BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. ....
Pl. ....

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/cursustheologiae00sass_1

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ADM. REVERENDI, ET EXIMII PATRIS
P. REINERI SASSERATH
IN ALMA UBIORUM UNIVERSITATE
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS DE CONCILIO
ET PROFESSORIS PUBLICI, EXAMINATORIS
SYNOD. ORD. FR. MIN. S. P. FRANCISCI
CONVENT. EXPROVINCIALIS.

CURSUS THEOLOGIÆ MORALIS

IN QUATUOR PARTES DIVISUS
ADNEXIS CUIVIS TRACTATUI

CASIBUS PRACTICIS

SOLIDE, AC BREVITER RESOLUTIS.

PARS II.

COMPLECTENS
TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, DE VIRTUTE RELIGIONIS IN GENERE ET SPECIE, AC PECCATIS IISDEM OPPOSITIS, DE JURE ET JUSTITIA, DE INJURIIS AC RESTITUTIONE IN COMMUNI ET PARTICULARI.

EDITIO QUINTA
EMENDATIOR, ET SANIORIBUS PRINCIPIIS CONFORMIOR.

SUPERIORUM PERMISSU, ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER P. M. FILIORUM.
MDCCLXXX.

INDEX
TRACTATUUM,
DISSERTATIONUM, QUÆSTIONUM, CASUUM,
IN HAC PARTE SECUNDA CONTENTORUM.

In quo numerus paginam denotat.

TRACTATUS I.
De Virtutibus Theologicis.

DISSERTATIO I.
De Fide.

Quæſt. I. Quot ſint virtutes theologicæ ? Pag. 1
Quæſt. II. Quid ſit fides, & quale ejus objectum ? 4
Quæſt. III. Qualis debeat eſſe actus fidei meritoriæ, & quænam ad illum requirantur ? 7
Quæſt. IV. Quæ ſint motiva credibilitatis pro fide Catholico-Romana, & quæ fidei regulæ ? 10
Quæſt. V. An, & quomodo fides ſit neceſſaria ad ſalutem ? 17

3222a

Quæſt. VI. Quandonam obliget præceptum fidei internæ ? Pag. 25
Quæſt. VII. Quandonam obliget præceptum fidei externæ ? 30
Quæſt. VIII. Quid & quotuplex infidelitas fidei oppoſita ? 36
Quæſt. IX. Quid & quotuplex ſit hæreſis, & quæ pœnæ annexæ ? 40

DISSERTATIO II.

De Spe & Charitate.

Quæſt. I. Quid ſit ſpes, quodnam ejus objectum, & quomodo neceſſaria ? 45
Quæſt. II. Quænam ſint peccata ſpei oppoſita ? 49
Quæſt. III. Quid ſit charitas, & quomodo obliget ? 53
Quæſt. IV. An, & qualiter teneamur diligere nos ipſos & proximum ? 58
Quæſt. V. An, & qualiter teneamur diligere inimicos ? 63
Quæſt. VI. Quomodo charitas obliget ad eleemoſynam ? 69
Quæſt. VII. Quomodo obliget eleemoſyna ſpiritualis, ſive correctio fraterna ? 76
Quæſt. VIII. De odio, aliiſque peccatis charitati oppoſitis ? 83
Quæſt. IX. An, & qualiter bellum ſit licitum ? 89
Quæſt. X. Quid ſit duellum, & an licitum ? 94
Quæſt. XI. Quid, & quale peccatum ſit ſcandalum ? 99

CA-

CASUS. *De Virtutibus Theologicis.*

I. De actu fidei ſupernaturalis, & revelatione ad eum requiſita. Pag. 110
II. De obligatione amplectendi fidem. 111
III. De Articulis fidei indiviſibiliter credendis. 112
IV. De credendis neceſſario, & de obligatione actus fidei. 113
V. De ignorantia credendorum. 114
VI. De confeſſione externa, negatione, & diſſimulatione fidei. 115
VII. De occultatione fidei. 116
VIII. De peccatis fidei oppoſitis. 117
IX. De miſſione filiorum ad univerſitates acatholicas. 119
X. De communicatione cum hæreticis. ibid.
XI. De modo inſtruendi hæreticum volentem amplecti fidem. 120
XII. De obligatione actus ſpei Theologicæ. 121
XIII. De peccatis ſpei oppoſitis. 122
XIV. De obligatione, & intenſione charitatis erga Deum. 124
XV. De dilectione ſui ipſius, & proximi. ibid.
XVI. De inimicis ſalutandis, & reſalutandis. 125
XVII. De dilectione inimici. 126
XVIII. De offenſa. 127
XIX. De obligatione eleemoſynæ. 128
XX. De correctione fraterna. 129
XXI. De odio, & indignatione. ibid.
XXII. De bello. 130
XXIII. De eodem. 131
XXIV. De duello. 132
XXV. De ſcandalo. 133
XXVI. De eodem. 133

XXVII. De cooperatione ad peccatum. Pag. 134
XXVIII. De eadem. 135
XXIX. De eadem. 136

TRACTATUS II.

De Virtute Religionis in genere, & in ſpecie ac peccatis ei oppoſitis.

DISSERTATIO I.

De Virtute Religionis in genere, adoratione, oratione, & peccatis oppoſitis.

Quæſt. I. Quid ſit religio ? quid adoratio ? 137
Quæſt. II. Quid ſit oratio ? 140
Quæſt. III. Quinam teneantur ad horas canonicas ? 143
Quæſt. IV. Quomodo integre recitandæ ſint horæ ? 148
Quæſt. V. Quomodo officium divinum dicendum ſit ordinate ? 151
Quæſt. VI. Qualis requiratur ad horas recitandas intentio & attentio ? 155
Quæſt. VII. Quænam excuſent a recitatione horarum ? 162
Quæſt. VIII. Quid & quotuplex ſit ſacrificium, oblationes, & primitiæ ? 165
Quæſt. IX. Quid pro praxi notandum circa decimas ? 167
Qnæſt. X. Quid & quotuplex ſit ſuperſtitio ? 173
Quæſt. XI. Quid & quotuplex ſit divinatio ? 175

Quæſt.

Quæſt. XII. Quale peccatum ſit vana obſervantia? Pag. 180
Quæſt. XIII. Quid, & quale peccatum ſit magia, & quomodo poſſit tolli? 185
Quæſt. XIV. Quid, & quale peccatum ſit tentatio Dei? 189
Quæſt. XV. Quid, & quale peccatum ſit ſacrilegium? 191
Quæſt. XVI. Quid, quotuplex, & quale peccatum ſit blaſphemia? 193

DISSERTATIO II.

De Voto.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex ſit votum? 198
Quæſt. II. Quæ ſit materia voti? 205
Quæſt. III. Quæ, quanta, & qualis ſit obligatio voti? 210
Quæſt. IV. Quo tempore implendum ſit votum? 217
Quæſt. V. Qualiter obliget votum conditionatum, & pœnale? 219
Quæſt. VI. Quomodo ceſſet votum per irritationem? 221
Quæſt. VII. Quiſnam poſſit diſpenſare in voto? 225
Quæſt. VIII. Quinam poſſint vota commutare? 230

DISSERTATIO III.

De Juramentis.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex ſit juramentum, & an licitum? 234

Quæſt. II. Quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii ? Pag. 240
Quæſt. III. An in juramento liceat uti fictione ? 244
Quæſt. IV. An in juramento liceat uti amphibologia, & reſtrictione mentali ? 247

CASUS. *De Virtute Religionis.*

I. De adoratione, & cultu reliquiarum. 250
II. De oratione. 252
III. De obligatione recitandi horas Canonicas. 253
IV. De integritate horarum, & obligatione reſtitutionis ex omiſſione illarum orta. 254
V. De dilatione, & ordinata earum recitatione. 255
VI. De attentione in legendis horis. 256
VII. De cauſis excuſantibus a recitatione horarum. 257
VIII. De decimis. 258
IX. De ſuperſtitione. 259
X. De vana obſervantia. 260
XI. De ſacrilegio. 261
XII. De blaſphemia. 262
XIII. De voto. 263
XIV. De materia voti. 264
XV. De obligatione voti. 265
XVI. De eadem. 266
XVII. De tempore, quo Votum ſit implendum, & de ceſſatione voti. ibid.
XVIII. De irritatione, & diſpenſatione votorum. 268
XIX. De Juramento. 269

XX. De conditionibus ad juramentum requiſitis. Pag. 270
XXI. De juramento promiſſorio, & ejus obligatione. 271
XXII. De eodem. 272
XXIII. De eodem. ibid.
XXIV. De eodem. 273
XXV. De fictione. 274
XXVI. De reſtrictione mentali. ibid.

TRACTATUS III.

De Jure & Juſtitia.

DISSERTATIO I.

De Jure & Dominio.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex ſit juſtitia, & jus? 277
Quæſt. II. Quid, & quotuplex ſit Dominium? 282
Quæſt. III. Quid de poſſeſſione? 287
Quæſt. IV. De ſubjecto, & objecto dominii. 290
Quæſt. V. De dominio conjugum. 297
Quæſt. VI. De dominio filiorum-familias. 300
Quæſt. VII. De dominio clericorum. 303
Qnæſt. VIII. De dominio religioſorum. 310

DISSERTATIO II.

De modis acquirendi Dominium.

Quæſt. I. Quomodo acquiratur dominium per occupationem? 316

Quæſt. II. An, & quomodo per inventionem acquiratur rerum dominium? Pag. 323
Quæſt. III. Quibus modis fiat translatio dominii authoritate publica? 326
Quæſt. IV. An, & quomodo acquiratur dominium per præſcriptionem? 328

APPENDIX.

De pietate, & obſervantia juſtitiæ annexis.

CASUS.

I. De Diviſione juris & juſtitiæ. 347
II. De natura & diviſione dominii. 348
III. De ſpeciebus dominii utilis. 349
IV. De dominio hominis in vitam & membra. 350
V. De dominio ejusdem in bona animæ, & famæ. 351
VI. De dominio & bonis uxorum. 352
VII. De bonis & dominio filiorum-familias. 353
VIII. De bonis & dominio, item obligatione Clericorum. 354
IX. De dominio Religioſorum. 355
X. De eodem. 356
XI. De modo acquirendi dominium per occupationem. ibid.
XII. De modo acquirendi dominium per inventionem. 357
XIII. De eodem. 358

XIV. De mixtione, ſpecificatione &c. Pag. 359
XV. De præſcriptione. 360
XVI. De obligatione præceptoris erga diſcipulum. 361
XVII. De obligatione Diſcipuli erga præceptorem, & diligentia ejusdem ſtudiis impendenda. ibid.
XVIII. De pietate parentibus debita. 362

DISSERTATIO III.

De Injuriis & Reſtitutione in communi.

Quæſt. I. Quale peccatum ſit injuſtitia Legalis ? 362
Quæſt. II. An, & quomodo peccetur per injuſtitiam diſtributivam ? 366
Quæſt. III. Quid ſit reſtitutio, & qualiter neceſſaria ad ſalutem ? 370
Quæſt. IV. Unde oriatur obligatio reſtitutionis, & qualis ad illam requiratur culpa ? 374
Quæſt. V. Qualis culpa in officio pariat obligationem reſtitutionis ? 382
Quæſt. VI. Qualis culpa in contractu commiſſa pariat obligationem reſtitutionis ? 385
Quæſt. VII. Quid ſit reſtituendum ratione rei acceptæ tantum, vel a poſſeſſore bonæ fidei ? 388
Quæſt. VIII. Quid ſit reſtituendum ratione injuſtæ acceptionis, & a poſſeſſore malæ fidei ? 391
Quæſt. IX. Quid reſtituendum ſit a poſſeſſore dubiæ fidei ? 395
Quæſt. X. Quinam fructus ſint reſtituendi ? 399

DIS-

DISSERTATIO IV.

De cooperantibus ad injuſtam damnificationem.

Quæſt. I. An, & qualiter teneatur mandans? Pag. 407
Quæſt. II. Quomodo teneatur conſulens? 410
Quæſt. III. Ad quid teneantur conſentiens, & reliqui poſitive cooperantes? 415
Quæſt. IV. Qualiter teneantur cooperantes negative, & quis ordo inter cooperantes? 421

DISSERTATIO V.

De circumſtantiis reſtitutionis, & cauſis ab ea excuſantibus.

Quæſt. I. Cui facienda ſit reſtitutio? 429
Quæſt. II. Cui reſtituenda ſint bona, vel debita incerta? 431
Quæſt. III. Quando, quo loco, cujus expenſis, & cujus periculo facienda ſit reſtitutio? 434
Quæſt. IV. Quo ordine facienda ſit reſtitutio? 437
Quæſt. V. An, & quomodo a reſtitutione excuſat impotentia? 440
Quæſt. VI. Quænam ſint aliæ cauſæ excuſantes? 445
Quæſt. VII. An, & quomodo excuſet ingreſſus Religionis? 448

CA-

CASUS. *De injuriis, & reſtitutione in communi.*

I. De injuſtitia legali, & diſtributiva. Pag. 451
II. De Injuſtitia commutativa & reſtitutione. 452
III. De eadem. 453
IV. De radicibus reſtitutionis. 454
V. De culpa ad obligationem reſtitutionis requiſita. 455
VI. De eadem extra contractum. 456
VII. De eadem in contractu. 457
VIII. De poſſeſſore bonæ & dubiæ fidei. 458
IX. De poſſeſſore malæ fidei. 459
X. De modis cooperandi ad damnificationem. 460
XI. De conſulente. 461
XII. De eodem, & conſentiente. 462
XIII. De cooperantibus negative. 463
XIV. De ordine reſtitutionis inter damnificantes ſervando. 464
XV. De circumſtantia reſtitutionis, & cui debeat fieri reſtitutio. ibid.
XVI. De tempore, loco, expenſis, & periculo reſtitutionis. 465
XVII. De ordine inter creditores ſervando. 466
XVIII. De cauſis excuſantibus a reſtitutione. 467

DISSERTATIO VI.

De obligatione reſtitutionis ex injuria in bonis fortunæ.

Quæſt. I. Quid ſit furtum, rapina, & quale peccatum? 468

Quæſt.

Quæſt. II. Quando materia furti ſit gravis? Pag. 470
Quæſt. III. An, & quomodo peccetur furtis minutis? 474
Quæſt. IV. An a furto excuſet neceſſitas? & quid de occulta compenſatione? 479

DISSERTATIO VII.

De Injuriis famæ, & reſtitutione debita.

Quæſt. I. Quid & quale peccatum judicium temerarium, ſuſpicio &c.? 483
Quæſt. II. Quid ſit detractio, & quale peccatum? 487
Quæſt. III. An infamatus in uno loco poſſit infamari in aliis? 492
Quæſt. IV. Quomodo peccent audientes detractionem? 497
Quæſt. V. Quomodo fama ſit reſtituenda? 500
Quæſt. VI. Quid circa revelationem ſecreti naturalis? 505
Quæſt. VII. An, & qualiter reparandus ſit honor læſus? 507

DISSERTATIO VIII.

De Injuriis in Corpus & vitam proximi, ac neceſſaria reſtitutione.

Quæſt. I. An, & qualiter liceat occidere malefactores, Tyrannum, & deprehenſos in crimine? 510

Quæſt. II. An liceat occidere invaſorem vitæ, rerum temporalium, & pudicitiæ ſervato moderamine inculpatæ tutelæ? Pag. 516
Quæſt. III. Quid reſtituendum ratione homicidii, aut mutilationis? 521
Quæſt. IV. Quid reſtituendum ob ſtuprum, & adulterium? 525

DISSERTATIO IX.

De Injuriis in bonis ſpiritualibus, ac neceſſaria reſtitutione.

Quæſt. I. Quanta ſit injuria, & quæ obligatio illius, qui alium inducit ad peccatum? 528
Quæſt. II. Quomodo peccet, & ad quid teneatur, qui aliquem retrahit a Religione? 530

CASUS. *De Injuriis & reſtitutione in particulari.*

I. De furto. 532
II. De eodem, & occulta compenſatione. 534
III. De ſuſpicione. 535
IV. De detractione. 536
V. De eadem. ibid.
VI. De infamatione per plures detractiones veniales. 537
VII. De cauſis, ob quas licet revelare crimen alterius occultum. 538
VIII. De eodem. 539
IX. De eo, qui revelando alterius crimen occultum eum privavit beneficio. ibid.

X. De

X. De læſione honoris, ejusque reparatione. Pag. 540
XI. De eo, qui in homicidii ſibi revelati ſuſpicionem venit. 541
XII. De ſecreto tibi ab altero commiſſo. 542
XIII. De deriſione & injuria, quomodo ſit ferenda. 543
XIV. De occiſione Malefactorum. 544
XV. An licite occidantur feripetæ. ibid.
XVI. De occiſione invaſoris rerum temporalium. 545
XVII. De ſtupro & obligatione ſtupratoris. ibid.
XVIII. De eo, qui alterum retraxit a Religione, quam ingredi voluit. 546
» » » De eodem, qui illum ad mala ſimul ſeduxit. ibid.

PARS

PARS SECUNDA.

TRACTATUS I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DISSERTATIO I.

DE FIDE.

QUÆSTIO I.

(1) *Quot ſint Virtutes Theologicæ?*

N. 1. Virtus accipitur vel pro ipſo actu virtuoſo, vel frequentius, & magis proprie pro habitu, & definitur: *Habitus, ſive principium permanens inclinans potentiam ad operationem bonam.* Alia eſt *naturalis, & acquiſita*, quæ per actus virtuoſos frequentatos a nobis viribus naturæ acquiritur, aut acquiri poteſt, licet per accidens infundatur. Alia *ſupernaturalis per ſe infuſa*, ſive excedens vires naturæ, & hæc dat ſimpliciter poſſe, cum ſupponat potentiam in ſe inſufficientem ad eliciendum actum; *naturalis* dat tantum faciliter poſſe. Utraque alia eſt *intellectualis*, quæ inclinat intellectum ad actum ve-

rum, ut ſcientia, fides Theologica &c. Alia eſt *moralis*, quæ inclinat voluntatem ad actionem moraliter bonam, & hoc ſenſu ſpes, & charitas poſſunt dici virtutes morales; magis proprie virtus *moralis* eſt, quæ pro objecto formali, & motivo immediato habet honeſtatem creatam in actu talis virtutis relucentem: quæ vero pro tali motivo habet aliquam perfectionem divinam, dicitur *Theologica.*

N. 2. Congruum eſt, a Deo infundi virtutes ſupernaturales; quia homo in ordine ad finem naturalem habet principia naturalia habitualia ſibi intrinſeca ad eliciendos actus naturales; ergo & in ordine ad finem ſupernaturalem, ad quem homo eſt elevatus, congruit habere comprincipia ſupernaturalia ad eliciendos actus ſupernaturales ſtabilia. Hinc licet ſufficerent auxilia tranſeuntia, magis tamen connaturale eſt habere principia intrinſeca permanentia.

(2) *D.* Tres dantur virtutes Theologicæ, *fides, ſpes, charitas*, quæ ſunt virtutes ſupernaturales a Deo infuſæ; ait enim Apoſtolus: (a) *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Et Tridentinum: (b) *Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.* Igitur in baptismo aut prima juſtificatione infunduntur, una cum gratia ſanctificante, cujus ſunt quaſi-proprietates, a qua Deo ſic ordinante ſunt inſeparabiles, quamvis inter ſe non ſint connexæ, cum una ſæpe pereat ſine altera. Quomodo autem admittantur, dicetur ſuis locis. *Deinde* ut homo tendat in finem ſuum ſupernaturalem, requiritur 1. ſupernaturalis ejus cognitio, quæ habetur per fidem, 2. fiduciale, efficax, & ſupernaturale ejus deſiderium, quod habetur per ſpem, 3. digna ejus dilectio ſcilicet propter ſe, quæ habetur per charitatem.

Ob.

(a) 1. *Cor.* 13. *v.* 13. (b) *ſeſſ.* 6. *cap.* 7.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Ob. Religio colit Deum propter infinitam ejus excellentiam: ſicut per fidem credit Deo propter ejus veracitatem; ergo non minus religio, quam fides eſt virtus theologica. ℟. *d. a.* propter ejus excellentiam tanquam objectum cui, *c.* formale quod, vel propter quod. *n.* Proximum motivum religionis eſt honeſtas talis actus; ideo enim colit Deum, quia decens, & honeſtum eſt, colere Deum ſumme excellentem.

Inſt. Cur non poſſum Deum directe colere propter ejus excellentiam ut motivum? ℟. potes, ſed actus erit charitatis, non religionis: quia velle Deo immediate cultum ob ejus excellentiam, eſt velle Deo bonum illud extrinſecum, quia Deo bonum eſt, adeoque actus charitatis. Quod dicitur de religione, valet de obedientia, qua Deo obedio, & ſimilibus.

Reſ. 1. Dantur virtutes Theologicæ etiam naturales, quæ circa Deum ut objectum immediatum verſantur; Catholicus enim in hæreſin lapſus eandem facilitatem ſentit ad credendum cæteris articulis, ac ante: ſed hæc non provenit ab habitu infuſo, qui non dat facilitatem, & amiſſus eſt; ergo ab habitu comparato, adeoque naturali. Attamen requiruntur habitus infuſi & ſupernaturales, ut actus ſint meritorii & ſupernaturales. Si tamen per virtutes Theologicas intelligantur illæ, ut communiter fit, quarum actus immediate conducunt ad ſalutem, non dantur virtutes Theologicæ naturales.

(3) *Reſ.* 2. Actus V. G. fidei Theologicæ *ſupernaturalis* eſt, in quem influit habitus fidei infuſus, vel eo deficiente, aliud principium ſupernaturale, ut contingit in converſione hominis, qui habitum fidei non habuit, vel amiſit: *naturalis* eſt, in quem non influit principium ſupernaturale.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Reſ. 3. Licet actus fidei naturalis habeat idem motivum cum ſupernaturali, non eſt tamen æque certus; quia naturalis tendit in objectum per lumen naturale V. G. teſtimonium humanum applicatum; ſupernaturalis per lumen fidei applicatum.

QUÆSTIO II.

(4) *Quid ſit fides, & quale ejus objectum?*

N. 1. Fides varie ſumitur, videlicet pro fidelitate in ſervandis promiſſis *ad Rom.* 3. pro conſcientia ibid. 5. pro fiducia *Jacobi* 1. pro objecto fidei *Apoc.* 6. Strictius pro habitu vel actu, quo quis alteri loquenti credit, hoc eſt: quo quis authoritate loquentis motus judicat aliquid ſe ita habere vel non habere, ſicut loquens dicit: hoc enim proprie eſt credere. Si loquens ſit homo, dicitur *fides humana*: ſi Deus, dicitur *fides divina*, in quam ſi influat principium ſupernaturale, dicitur *proprie* fides Theologica divina, de qua in præſenti.

N. 2. Fides eſt prima inter virtutes Theologicas, non dignitate, quia *major horum charitas*, ait Apoſtolus (a), ſed ordine generationis eſt natura prior ſpe, & charitate; quia absque fide non datur virtus Theologica. Ejus actus præcedit quoscunque actus meritorios vitæ æternæ, hinc dicitur ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium; eſt enim ſubſtantia, hoc eſt: baſis in qua fundatur ſpes & ſalus noſtra; eſt argumentum, hoc eſt: cognitio rerum non apparentium, quia licet credita non appareant, & ſint obſcura, iis tamen certo certius aſſentimur propter authoritatem Dei revelantis, quaſi digito, & evidentiſſima argumentatione demonſtrarentur.

(5) *D.*

(a) 1. *Cor.* 13. *v.* 13.

(5) *D.* 1. Habitus fidei, ſive ipſa fides Theologica eſt *qualitas ſupernaturalis permanenter adjuvans intellectum ad firmiſſime aſſentiendum revelatis a Deo propter infallibilem ejus authoritatem:* ut eſt actus, *eſt aſſenſus firmiſſimus præſtitus revelatis a Deo propter ejus authoritatem.* Pro quo

D. 2. Objectum materiale proximum fidei eſt omne revelatum a Deo, ſive ſit Verbum Dei ſcriptum, ſive traditum; eo ipſo enim, quod aliquid eſt a Deo revelatum, jam quantum eſt de ſe, eſt proxime credibile. Objectum, ſive motivum formale fidei eſt authoritas Dei revelantis: hæc enim poteſt, & debet movere ad præſtandum aſſenſum veritatibus a Deo revelatis.

Authoritas hæc involvit duo, *infinitam ſapientiam* (qua Deus infallibiliter omnia cognoſcit, ſicut ſunt in ſe) & *veracitatem*, qua neceſſario loquitur, ſicut cognoſcit. Ratione primi non poteſt falli, ratione ſecundi nequit fallere, & utrumque requirit aſſenſus fidei certiſſimus & firmiſſimus; uno enim deficiente, non poſſem revelatis aſſentiri aſſenſu firmiſſimo. Rudes autem quamvis, dum credunt, non cogitent de hoc complexo explicite, cogitant tamen implicite, modo ſint ſatis inſtructi, quatenus Dei teſtimonium judicant in omnibus infallibile, quale non poteſt eſſe ſine hoc, licet non ſciant, in quo illa infallibilitas conſiſtat, de quo etiam docti diſputant.

Reſ. 1. Certum eſt requiri ad actum fidei revelationem objecti; an vero ipſa ſit motivum fidei partiale, an conditio tantum applicans, diſputatur, ſed nihil ad praxin facit. Veroſimilius eſt hoc ſecundum; non enim credo V. G. Petro, quia loquitur, ſed quia in loquendo verax eſt. Unde videtur revelatio ſe habere ad actum fidei, ſicut ſe habet cognitio ad actum amoris:

ris: nam & ſine cognitione bonitatis non poſſum amare objectum.

Reſ. 2. Si rudis objecto revelato aſſentiatur propter authoritatem V. G. Parochi, non eſt fides Theologica, defectu objecti formalis. Si econtra propter authoritatem Dei revelantis aſſentiatur objecto, quod erronee putat eſſe revelatum, iterum non eſt actus fidei divinæ defectu objecti materialis; nam ut aliquid poſſit credi fide divina, non ſufficit revelatio exiſtimata tantum: alias actus fidei non eſſet certiſſimus &c. ut patet examinanti.

Ob. Ut adorem hoſtiam, ſufficit me prudenter judicare eſſe conſecratam, ergo & ut credam in illa eſſe Chriſtum. ℟. *n. c.* Virtutes morales licet ferantur in objectum falſo propoſitum, non tamen illud affirmant, unde non evadunt falſæ, ſicut eſt in fide. *Deinde* in moralibus manet motivum formale, ſcilicet honeſtas V. G. honeſtum eſt adorare hoſtiam, quam prudenter credo eſſe conſecratam, licet dicam, fieri fortaſſe poſſe, ut non eſſet conſecrata; idem eſt de aliis, non ſic de fide.

Inſt. Rudis a rudi Parocho intelligens duos fidei articulos æqualiter proponi, unum verum, alterum falſum, ſi nulla ei occurrat ratio in contrarium, tenetur ad fidem divinam circa utrumque, & peccaret peccato infidelitatis diſcredendo; ergo ſufficit revelatio prudenter exiſtimata. ℟. *d. a.* tenetur credere fide divina. *n.* hoc enim non poteſt tenetur credere ob conſcientiam erroneam, vel tenetur ad fidem divinam exiſtimatam. *c.* Peccaret ratione diſſenſus præciſe. *n.* quia ſaltem virtualiter rejiceret authoritatem Dei, & Eccleſiæ. *c.*

Reſ. 3. Pueri & ſimplices, dum myſteriis fidei aſſentiuntur propter authoritatem Parochi vel parentum, plerique apprehendunt horum dictum ut a Deo revelatum.

latum. Pariter in Eccleſia apprehendunt aliquid divini, ideo implicite credunt propter authoritatem Dei. Interim gravis incumbit obligatio Parochis, aliisque animarum curatoribus docendi, non tantum quid credere debeant, ſed & quid ſit credere &c. Sæpe enim ex defectu veræ fidei Sacramenta absque fructu frequentant, & ideo pereunt. Interim de hoc adhuc infra.

QUÆSTIO III.

Qualis debeat eſſe actus fidei meritoriæ, & quænam ad illum requirantur?

(6) *D.* 1. Actus fidei meritoriæ debet 1. eſſe *ſupernaturalis;* quia eſt initium ſalutis; id eſt: primus actus inter eos, qui ad juſtificationem proxime diſponunt, diſpoſitio autem ad formam debet eſſe ejusdem ordinis cum forma. Pro quo

Obſ. 1. Actus noſtri deſumunt ſuam ſupernaturalitatem *efficienter* a principio ſupernaturali phyſico, in eos influente, quod eſt vel habitus ſupernaturalis, vel auxilium Dei ſpeciale ſupplens habitum, ſi hic deſit. *Objective* vero eam habent ab objecto per ſupernaturalem cognitionem propoſito, quæ cognitio reſpectu actus fidei eſt ſupernaturalis illuſtratio exhibens objectum credendum, reſpectu aliorum actuum ſupernaturalium V. G. doloris eſt actus fidei, vel lumen ſupernaturale æquivalens ad fidem pertinens. 2. Actus fidei meritoriæ debet eſſe liber: quia Deus ad juſtificandum peccatorem adultum liberam ejus cooperationem requirit. 3. Debet eſſe *certus, & ſuper omnia firmus;* talem enim meretur authoritas Dei pro veritate revelata interpoſita.

(7) *D.* 2. Ad actum fidei ſupernaturalem requiritur 1. *ex parte intellectus interna ſpiritus ſancti illuſtratio, & inſpiratio,* qua incipiat inquirere in motiva

credibilitatis, ideo dicitur (a): *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* 2. *Judicium ſpeculativum evidens*, quo intellectus ex ſignis & notis aliquibus convincatur, objectum ſibi propoſitum eſſe a Deo revelatum, idque tanta certitudine morali, ut quisque prudens ei aſſentiri debeat: alias non poterit imperare prudenter aſſenſum firmiſſimum, ac plane indubitatum excludentem omnem deliberatam formidinem de oppoſito, unde damnata eſt hæc (b): *Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, ne non ſit locutus Deus.* 3. Requiritur *ex parte Dei lumen ſuaſivum, & ex parte credentis judicium practicum*, quod honeſtiſſimum ſit hic & nunc credere, quia Deus per auxilia ſua ſupernaturalia excitat, inſtruit, & elevat intellectum, ut obediat voluntati, & concipiat fidem, prout oportet. 4. Sequitur ex parte Dei pia motio voluntatis, qua Deus ſuaviter trahit voluntatem. Dein ſequitur *pia affectio, ſive imperium voluntatis* imperans actum fidei; licet enim per motiva credibilitatis objectum credibile fiat evidenter credibile, non tamen evidenter verum, ſed manet obſcurum; hinc ſe ſolo non poteſt intellectum determinare ad tam firmiter aſſentiendum, niſi a voluntate determinetur, & ab hac actus fidei fit liber & meritorius, ubi iterum damnata eſt hæc (c): *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit firmior, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*, hoc eſt: quam præciſe mereantur motiva credibilitatis. *Denique* ponitur ipſe actus fidei ſimul ab habitu fidei, ſi adſit, vel ab auxilio transeunte, de quo ſupra; *Deus enim operatur in nobis velle, & perficere*, ait Apoſtolus (d).

Reſ.

(a) *Joannis 6. v. 44.* (b) *Prop. 21. ab Innoc. XI.*
(c) *Prop. 19. ab eod.* (d) *ad Philip. 2. v. 13.*

Reſ. 1. Aſſenſus fidei eſt certior certitudine infallibilitatis, & appretiativæ adhæſionis quovis aſſenſu ſcientifico, ſic ut credens in actu exercito veritatem objecti crediti appretiet ſuper omnia, quia nititur certiore motivo: attamen actus ſcientificus ratione evidentiæ eſt certior certitudine ſatisfactiva intellectus, hinc non patitur dubium indeliberatum, quale patitur fides.

Reſ. 2. Evidentia credibilitatis alia eſt *abſoluta*, quæ ſufficit ad excludendam omnem prudentem formidinem de oppoſito reſpectu cujuscunque potentis penetrare motiva, de quibus mox infra: alia *reſpectiva*, quæ tantum ſufficit reſpectu aliquorum. Hinc

Reſ. 3. In pueris & rudibus ſufficit reſpectiva, qualem illis facit authoritas Paſtoris, parentum, vel magiſtri, dum proponuntur myſteria fidei tanquam a Deo revelata, & ab Eccleſia ut credenda propoſita; tunc enim ſuperveniente cœleſti lumine, pioque motu interno, prudenter & firmiter credere poſſunt, ac debent, niſi ſubeſſet ratio dubitandi V. G. ſi Parochus deprehendatur ſubinde erraſſe in materia fidei, ſi contradicat hactenus traditis ab aliis, vel quid ſimile. Infidelibus autem cenſetur ſufficienter propoſita fides, dum vel rationibus, vel miraculis, vel aliis ſignis credibilitatis moraliter certificati ſunt, eam a Deo revelatam eſſe, ut nulla ipſis ſuperſit rationabilis formido.

Ob. Damnata eſt hæc propoſitio (a): *Poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat, ſupernaturalem;* atqui hoc poſſet fieri, ſi ſufficiat evidentia credibilitatis reſpectiva, ergo. *p. m.* Proponat Parochus ruſtico articulum verum, quem fide divina ipſe credat, deinde veniat homo, quem ipſe putat longe doctiorem, & dicat Parochum eſſe indoctum & erraſſe: jam ruſticus incipiet dubitare circa articulum, & prudenter

(a) 20. *ab Innoc. XI.*

denter repudiabit, ergo. ℟. *d. aſſ.* non poteſt quis prudenter repudiare ſtante eadem applicatione revelationis. *c.* hac mutata. *n.*

Inſt. Credens ita animo debet eſſe comparatus, ut ſi Angelus e cœlo contrarium evangelizaret, non moveretur ad oppoſitum: atqui talis non eſt rudis ſub credibilitate reſpectiva; ergo. ℟. *d. Maj.* debet eſſe ita comparatus ex præſenti animi affectu, & pro caſu, quo ſufficienter manet credibile *c.* pro quo non manet amplius ſufficienter credibile *n.*

Reſ. 4. Infidelis advertens, religionem Catholicam eſſe probabiliorem ſua, formidans tamen de veritate, peccat graviter, ſi negligat inquirere veritatem: non tenetur tamen ſtatim, imo nec poteſt actum fidei divinæ ſupernaturalem elicere, niſi quando inveſtigatis motivis credibilitatis videt illa eſſe moraliter certa & evidentia.

QUÆSTIO IV.

(8) *Quæ ſint motiva credibilitatis pro Fide Catholico-Romana, & quæ Fidei Regula?*

N. 1. Per Eccleſiam hic intelligitur *Cœtus fidelium in una vera religione Deum colentium, ex quibus fit corpus myſticum conſtans capite ſuo & membris.* Dividitur autem Eccleſia in triumphantem, militantem, & purgantem. *Triumphans* eſt Beatorum in cœlis, *militans* eſt hominum in terris, *purgans* eſt animarum in purgatorio. Militans ſub Chriſto eſt *ſocietas fidelium baptizatorum ſub uno capite in cœlis, & Vicario ejus in terris ejusdem fidei profeſſione, eodemque cultu inter ſe communicantium;* hinc hæretici, quibus deficit fides, ſchismatici, qui ſe ſeparant a Capite, & corpore Eccleſiæ, item excommunicati, qui pri-

privantur communione fidelium, & cultu communi, non ſunt membra Eccleſiæ.

Ob. 1. Schismatici, & excommunicati retinent Baptismum, & fidem; ergo ſunt membra Eccleſiæ. ℟. *n. c.* Inſuper requiritur communicatio externa reſpectu aliorum fidelium.

Ob. 2. Eccleſia poteſt punire Schismaticos, hæreticos, & excommunicatos; ergo ſunt intra Eccleſiam; Eccleſia enim non punit eos, qui ſunt extra dicente Apoſt. (a) *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* ℟ *n. c.* Tales, quia habent characterem Baptismalem, hoc ipſo habent debitum redeundi ad Eccleſiam, a qua diſceſſerunt; ergo ſicut oves fugientes extra ovile poſſunt a paſtore etiam verberibus cogi ad redeundum, ita &c. Apoſtolus loquitur de iis, qui ita foris ſunt, ut nunquam fuerint intus.

(9) *N.* 2. Authoritas Eccleſiæ eſt duplex: una *humana*, quæ fundatur in pietate, ſapientia, ac prudentia eorum, qui jam a tot ſæculis corpus Eccleſiæ conſtituerunt, item in ſanctitate doctrinæ, conſtantia Martyrum, & Confeſſorum, aliisque id generis argumentis: alia eſt *quaſi divina* fundata in ſpeciali Spiritus ſancti aſſiſtentia, qua Eccleſia regitur circa res fidei juxta illud (b) *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Prior authoritas eſt quidem maxima in genere ſuo, attamen abſolute fallibilis; non enim repugnat ex natura rei in rebus adeo obſcuris, ut ſunt aliqua fidei myſteria, etiam virorum illorum cœtum in errorem labi: altera eſt plane infallibilis ob ſpecialem aſſiſtentiam Spiritus ſancti.

N. 3. Eccleſia vera debet eſſe viſibilis, & infallibilis in rebus fidei & morum, & habere caput viſibile; nam jubemur eam ingredi, & illi obedire *Marci ult.* & *Matth.* 18. ſed hæc quomodo fient, ſi non habeat notas,

(a) 1. *Cor.* 5. *v.* 1. (b) *Matth.* 16. *v.* 18.

tas, quibus cognoſcatur? Deinde (a) dicitur *columna, & firmamentum veritatis.* Item *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, quæ vera non eſſent, ſi poſſet errare in rebus fidei, & morum.

N. 4. Eccleſia quoad hæc eſt infallibilis non tantum in concilio generali legitime congregata, ſed etiam in ſuo Capite, hoc eſt: Papa loquente ex cathedra; quia ortis controverſiis non poſſunt ſemper Concilia convocari. Loquitur autem Papa ex cathedra, quando ut Caput & Doctor univerſalis Eccleſiæ aliquid tanquam fide divina credendum, aut velut honeſtum, vel inhoneſtum proponit toti Eccleſiæ: ſic enim loquenti promiſſa eſt aſſiſtentia Spiritus ſancti, ut oves ſibi commiſſas ſalutari doctrina paſcat, & ducat ad ſalutem.

(10) *D.* 1. Motiva credibilitatis pro fide, & Eccleſia Catholica ſunt: 1. Religionis noſtræ antiquitas ejusque ſtabilitas, quam nec barbarorum rabies, nec tota dæmonum machina potuit evertere: 2. multitudo Miraculorum directe in confirmationem fidei patratorum: 3. modus mirabilis, quo propagata eſt, licet contraria inclinationi naturali doceret.

Huc faciunt quatuor notæ veræ Eccleſiæ, quod ſit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apoſtolica*; prima conſiſtit in unitate ſive conſenſu fidelium in credendis myſteriis; cui non obſtant controverſiæ Theologicæ in materiis fidem non concernentibus, aut circa propoſitiones ab Eccleſia nondum definitas, aut circa Ceremonias tantum, aut ritus accidentales. Secunda in ſanctitate vitæ hominum ſecundum inſtituta Eccleſiæ viventium, ac puritate doctrinæ, quæ nil iniquum in materia fidei aut morum continet. Tertia in extenſione ad omnes fere mundi regiones & gentes. Quarta in conformitate doctrinæ cum doctrina Apoſtolorum,

(a) 1. *Tim.* 3. *v.* 16.

rum, & continua ſucceſſione Epiſcoporum; has quatuor notas convenire Eccleſiæ Romano-Catholicæ & quidem ſoli patet ex evidentia facti, & evidenter demonſtrant Controverſiſtæ.

Reſ. Cum Catholico ſatis inſtructo non poſſit eſſe ratio prudens dubitandi, non licet ipſi dubitare de veritate ſuæ Religionis, aut ullo fidei articulo; contrarium per ſe eſt de hæretico.

(11) *D.* 2. Regula fidei infallibilis, & in multis ſufficiens eſt ſacra Scriptura, ſive Verbum Dei ſcriptum, quia multa fidei myſteria ſatis clare exprimit: ſed neceſſaria quoque eſt traditio divina, quia multa credimus & nobiſcum credunt hæretici, quæ in Scriptura non continentur V. G. ſymbolum fidei eſſe Apoſtolicum, libros aliquos eſſe canonicos, ſive dictatos a Spiritu ſancto, alios non; de his ait Apoſtolus: (a) *ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Inſuper neceſſarius eſt controverſiarum fidei Judex animatus, qui eſt Eccleſia; ut enim fidelis infallibiliter credat, quæ continentur in vera ſcriptura & traditione, debet cognoſcere, quæ ſit vera Scriptura, quæ vera traditio, & quis legitimus utriusque ſenſus; illa enim duo ſunt obſcura & controverſa: nunquam ex Scriptura poterit hæreticus probare ſe habere veram Scripturam, nihil eſſe credendum, niſi quod in Scriptura continetur &c. Spiritus autem privatus, quem fingunt ſibi hæretici, eſt incertus, ac ſibi ipſi contrarius, ut conſtat in ipſis hæreticis ſibi invicem contrariis. Interim Eccleſia non habet novas revelationes, ſed tantum proponit, & exponit verum Scripturæ ſenſum.

(12) *Obſ.* Traditio eſt *doctrina, quæ in ſacra Scriptura expreſſe non habetur.* Alia eſt *divina*, ſive Verbum Dei non ſcriptum, quæ immediate a Spiritu

(a) 2. *Theſſal.* 2. *v.* 14.

ritu ſancto, vel a Chriſto Apoſtolis tradita eſt, & ab ipſis ad nos tranſmiſſa, qualis habetur circa materiam & formam Sacramentorum: alia *Apoſtolica*, quæ immediate ab Apoſtolis aſſiſtente tamen Spiritu ſancto ad nos deſcendit V. G. jejunium quadrageſimale: alia *Eccleſiaſtica*, quæ eſt conſuetudo quædam antiqua ab Epiſcopis, vel populo fideli in Eccleſiam introducta, & tandem per modum legis vel conſuetudinis recepta, & usque ad nos delata. *Divina* eſt ejusdem authoritatis cum Verbo Dei ſcripto; eſt enim Deus infallibilis, tam in ſcriptis quam in verbis. Dignoſcuntur autem traditiones divinæ, quod ſint divinæ, ex judicio Eccleſiæ, ejusque definitione, quæ in hoc non minus debet eſſe infallibilis, quam in diſcernendis libris canonicis. *Apoſtolica* dignoſcitur, ſi non conſtet de ejus initio, ut docet S. Auguſtinus (a). Denique Infallibilis fidei regula eſt Concilium Generale legitime congregatum, & authoritate S. Pontificis confirmatum; ſic enim repræſentat totam Eccleſiam. Habet autem infallibilitatem ſuam ex influxu Pontificis ut capitis, ſine quo non repræſentat totam Eccleſiam.

Q. 1. *Quid eſt Symbolum?*

℞. Eſt *ſumma præcipuorum fidei catholicæ articulorum*, ſeu *propoſitionum præcipuarum a ſingulis fidelibus explicite credendarum*; ideo breviter collectum, ut præcipua fidei dogmata facilius a fidelibus addiſcerentur, retinerentur, crederentur, &, ubi opus eſt, aliis exponerentur. Principale eſt ſymbolum *Apoſtolorum* ab Apoſtolis acceptum, non ſcripto, ſed traditione: & eſt illud, quod a cunctis fidelibus in oratione quotidiana recitatur: aliud eſt *Nicænum*, quod publice decantatur in Eccleſia inter miſſarum ſolemnia: Tertium eſt ſymbolum *S. Athanaſii* ab Eccleſia Romana approbatum: *Quicunque vult ſalvus eſſe.*

Di-

(a) *lib. cont. Epiſt. fundament. cap.* 4.

Dices: quomodo Apoſtoli poterant in ſymbolo addere: credo in Eccleſiam Catholicam, id eſt: ubique diffuſam, qualis tempore iſto non erat? ℟. Sufficiebat, quod eſſet proxime futura Catholica, quod iis certo conſtabat tum ex prophetia Davidis Pſ. 28. *In omnem terram exivit ſonus eorum*, tum ex mandato Chriſti Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes.*

Circa præcipuos hujus ſymboli articulos

Petes 1. Quid eſt *credere in Deum*, *Deo*, *& Deum?*

℟. *Credere in Deum*, eſt in eum tanquam finem ultimum aliquo amore tendere. *Credere Deo*, eſt eidem aſſentiri aliquid revelanti. *Credere Deum*, eſt credere ipſum exiſtere unum in natura, & trinum in perſonis.

Petes 2. Quid intelligitur per tertium articulum: *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto?*

℟. Intelligitur Chriſtum non fuiſſe, ut alii homines, ex ſemine viri conceptum, ſed per operationem miraculoſam; quæ operatio cum ſit opus charitatis, tribuitur ſpecialiter Spiritui ſancto, qui amor eſt.

Petes 3. Quid ſignificant hæc verba: *Deſcendit ad inferos?*

℟. Quod Chriſtus non ſecundum corpus, quod jacebat in ſepulchro, ſed ſecundum animam deſcenderit, non in infernum, nec in purgatorium, ſed in receptaculum ſanctorum veteris teſtamenti, qui exſpectabant mortem Redemptoris, per quam portæ Paradiſi, hoc eſt, cæli, reſerarentur, quæ clauſæ erant.

Petes 4. Quid innuunt hæc: *Sedet ad dexteram Dei?*

℟. Denotant Chriſtum æqualem eſſe Deo, ſeu pari potentia, gloria, & majeſtate regnare cum Deo Patre, non ratione humanitatis, ſed divinitatis.

Petes 5. Quid vult articulus ſeptimus: *inde venturus eſt judicare vivos & mortuos?*

℟. Per

℟. Per vivos non intelliguntur illi, qui nondum mortui ſunt: cum enim *ſtatutum eſt hominibus ſemel mori,* (a) omnes ante judicium morientur; ſed per vivos intelliguntur juſti, per mortuos injuſti.

Petes 6. Quid intelligitur per *communionem Sanctorum?*

℟. Hic articulus innuit, quod in Eccleſia inter fideles detur communicatio bonorum ſpiritualium, puta: meritorum, orationum, ſuffragiorum &c. Hanc rudes agnoſcunt, dum aliorum precibus, & ſacrificiis ſe commendare ſolent.

Alii articuli facilius intelliguntur, omnes autem ab animarum Curatoribus ad captum rudibus ſunt explicandi.

Q. 2. *Quomodo ſine circulo vitioſo fieri debet fidei reſolutio?*

(13) ℟. Hoc, vel ſimili modo: credo V.G. incarnationem, quia Deus, qui nec falli poteſt, nec fallere, dixit; interrogatus: unde habeam Deum id revelaſſe? reſpondeo: ex Scriptura, quam mihi demonſtrat Eccleſiæ authoritas, quæ ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti errare non poteſt. Ubi vides Scripturam, & appellationem Eccleſiæ ſe habere per modum conditionis ſine qua non; ſi *denique* interroget: cur firmiter teneam, Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, & non potius ſynagogam Sathanæ? reſpondeo, id evidenter colligi ex notis veræ Eccleſiæ, aliisque ſignis credibilitatis, quæ evidenter ei ſoli conveniunt; hinc dum S. Auguſtinus ait (b): *Evangelio non crederem; niſi me Eccleſiæ Catholicæ moveret authoritas*, vult authoritatem Eccleſiæ eſſe conditionem, ſine qua non cognoſceret certo Evangelium Chriſti. Unde licet quoad propoſitio-

(a) *Hebr.* 9. 27.
(b) *Lib. cont. Epiſt. fundament. cap.* 4.

tionem credendorum fides reſolvatur in authoritatem Eccleſiæ ut regulam fidei & conditionem applicativam, quoad aſſenſum tamen fit in ſolam authoritatem Dei ut motivum formale aſſentiendi.

QUÆSTIO V.

(14) *An, & quomodo fides ſit neceſſaria ad ſalutem?*

N. 1. Hic non quæritur de habitu fidei; hic enim eſt tam neceſſarius ad ſalutem, quam gratia ſanctificans. Tota ergo difficultas eſt de actu fidei.

N. 2. Neceſſarium *neceſſitate medii* dicitur, quo etiam invincibiliter ignorato, vel inculpabiliter omiſſo non poteſt haberi ſalus de lege Dei ordinaria: ſi jam hoc non ſit in noſtra poteſtate, ut eſt prima gratia actualis, dicitur *neceſſarium neceſſitate medii tantum;* ſi ſit in noſtra poteſtate V.G. dolor de peccatis mortalibus, dr. *neceſſarium neceſſitate medii & præcepti;* præcepto enim, quo tenemur tendere ad noſtram ſalutem, tenemur & adhibere media ad illam neceſſaria; ſi ejus defectus per nullum aliud ſuppleri poſſit, dicitur neceſſarium neceſſitate medii in re: ſi poſſit, dicitur neceſſarium neceſſitate medii in re, vel in voto. Neceſſarium *neceſſitate præcepti* tantum eſt, cujus defectus inculpabilis non impedit juſtificationem, ſed culpabilis tantum, ut eſt ſumptio Euchariſtiæ reſpectu adultorum, reſtitutio rei alienæ gravis &c.

N. 3. Fides alia eſt *explicita*, qua objectum revelatum in ſe & ſub propriis terminis creditur V.G. credo Deum eſſe unum in eſſentia, trinum in perſonis: alia *implicita*, qua creditur aliquid ut contentum in alio; ſic credens quidquid, proponit Eccleſia credendum, implicite credit Trinitatem &c.

(15) *D.* 1. Fides actualis theologica eſt, & ſemper fuit neceſſaria neceſſitate medii in re homini adulto uſus rationis capaci ad juſtificationem, & ſalutem. Patet ex Script. (a) *qui non crediderit, condemnabitur* (b): *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo* &c. *Deinde* Deus de facto non ſalvat adultos, niſi per proprios actus tendant in ipſum ut ultimum finem ſupernaturalem; atqui hoc non poſſunt ſine adjutorio fidei: ſic nec Deus juſtificat adultum, niſi per proprios actus ſe diſponat, qui cum debeant eſſe ſupernaturales, debent procedere ex fide ſupernaturali. Ad hæc *accedentem ad Deum*, hoc eſt, volentem juſtificari, *oportet credere*, ait Apoſtolus (c). Infantibus autem, & perpetuo amentibus, qui ex ſolis Chriſti meritis juſtificantur, & capaces non ſunt fidei actualis, ſufficit habitualis.

Ob. Ergo qui invincibiliter ignorat fidem, non habet medium ſufficiens ad ſalutem; ergo ſalus eſt illi impoſſibilis, quod repugnat divinæ bonitati. ℞. *n. ſ.* nullus unquam præciſe ob carentiam fidei inculpabilem damnatur, nec in illa morietur, ſed Deus ipſi hominem, vel Angelum, ait *S. Thomas*, mittet, aut alio modo illuminabit. Nec hoc eſt miraculum, cum enim Deus velit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & hoc de lege communi impoſſibile ſit ſine fide, nemo eſt, quem Deus non excitet ad obſervantiam legis naturæ, quam ſi per aliquod tempus obſervet, ulterius illuminabit: ſi non ſervet, quantum cum auxilio gratiæ poteſt, poterit illi Deus juſte denegare lumen fidei ob peccata perſonalia, ob quæ tunc damnabitur, non præciſe ob carentiam fidei, ſicque quamvis non ſit in poteſtate proxima hominis habere fidem, eſt tamen in poteſtate ejus remota.

Inſt.

(a) *Marc.* 16. *v.* 16.
(b) *Hebr.* 11. *v.* 6. (c) *Ibid.*

Inſt. 1. Tali homini ſufficit baptismus in voto, cur non fides in voto? ℟. Si baptismum habeat in voto, eo ipſo fidem habet actualem. *Deinde* baptismus in voto habetur per contritionem perfectam, vel amorem Dei ſuper omnia, quæ juſtificant; fides autem non poteſt haberi in alio actu priore ad juſtificationem ſufficiente, quia ipſa eſt initium juſtificationis noſtræ, nec per notitiam naturalem utpote improportionatam ſuppleri poteſt.

Inſt. 2. Si baptizatus ſtatim poſt adeptum uſum rationis moriatur, antequam peccaverit, & quidquam audierit de fide, utique ſalvabitur, cum ſit in gratia. ℟. 1. probabiliter ſalvabitur non qua adultus, ſed qua infans. ℟. 2. Deum, qui neminem deſerit, niſi prius deſeratur ab illo, parvulo ante mortem daturum, unde poſſit credere.

(16) *D.* 2. Omnibus adultis ratione utentibus tum ad ſalutem, tum ad juſtificationem neceſſarium neceſſitate medii in re eſt, & ſemper fuit fide explicita, & ſupernaturali credere exiſtentiam Dei ut authoris ſupernaturalis & remuneratoris bonorum operum, adeoque ſaltem implicite animam eſſe immortalem, cui pro altera vita debent ſperare præmium, vel timere pœnam, & gratiam eſſe ad ſalutem neceſſariam, ſine qua vita æterna obtineri nequit. Ita Catholici omnes. Conſtat ex illo Apoſtoli (a) *accedentem ad Deum oportet credere: quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Deinde* damnata eſt hæc: (b) *nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris. Ratio primæ partis eſt;* quia nemo poteſt in Deum tendere per ſpem vel charitatem alios que actus ſupernaturales ad juſtificationem neceſſarios, niſi prius per fidem explicite cognoſcat Deum eſſe, & autho-

(a) *Hebr.* 11. *v.* 6.

(b) *prop.* 22. *ab Inn. XI.*

authorem ſupernaturalem eſſe. *Prob. ſecunda pars.* Apoſtolus *in citato textu* loquitur eodem modo: ſed certum eſt, quod credere primum ſit de neceſſitate medii; ergo & ſecundum: non quidem ex natura rei, ſed ex ordinatione divina; abſolute enim cur fieri non poſſet, ut credens Deum eſſe, & Authorem ſupernaturalem eſſe, auxilio divinæ gratiæ adjutus aſſurgeret ad peccatorum deteſtationem, ſpem veniæ, & amorem Dei ſuper omnia, & ſic juſtificetur? qui caſus non eſt poſſibilis in moderna providentia, ut mox infra.

(17) *D.* 3. Poſt ſufficienter evulgatum Evangelium omnibus adultis neceſſaria neceſſitate medii eſt fides explicita ſaltem confuſa in Chriſtum Redemptorem, & Sanctiſſimam Trinitatem tum ad ſalutem, tum ad juſtificationem. Ita communius cum *D. Thoma* contra plures Recentiores. *Prob.* 1. (a) *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti, JESUM CHRISTUM;* ubi eadem fides in Chriſtum requiritur, quæ in ipſum Deum, ejusque exiſtentiam; atqui hæc debet eſſe explicita, ergo. Petrus Apoſtolus (b) ait: *& non eſt in ullo aliquo ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* *Prob.* 2. ex Tridentino, quod (c) conformiter S. Scripturæ fidem Chriſti, de qua loquitur Apoſtolus (d), vocat humanæ ſalutis initium, fundamentum omnis juſtificationis; ergo utique non eſt tantum neceſſaria neceſſitate præcepti, ſed etiam medii. *Prob.* 3. *ratione.* Sicut ſtatus gratiæ eſt perfectior, quam ſtatus legis naturæ, & ſcriptæ, ita & requirit perfectiorem fidem, & cognitionem Mediatoris, quam requirebatur antiquitus, ubi Chriſtus erat tantum obſcure revelatus, ſicut & ſanctiſſima Trinitas; ſed tunc requi-

(a) *Joan.* 17. *v.* 3.
(b) *Act.* 4. *v.* 12.
(c) *Seſſ.* 9. *cap.* 6. & 8.
(d) 1. *Cor.* 3. *v.* 11. 12. 13.

quirebatur fides implicita: ergo nunc explicita, quando hæç myſteria clarius revelata ſunt.

Ob. Sine quo haberi poteſt ultima diſpoſitio infallibilis ad gratiam, illud non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad juſtificationem: atqui absque fide explicita Incarnationis, & ſanctiſſimæ Trinitatis poteſt haberi ultima diſpoſitio ad gratiam; ergo. *p. m.* Nil prohibet, quin ſola fide ſupernaturali Dei Remuneratoris, & juſtificatoris inſtructus, de cætero ignorans invincibiliter Trinitatem, & adventum Chriſti, poſſit ex motivo divinæ bonitatis ſuper omnia dilectæ ſua peccata deteſtari: ſed hæc eſt perfecta contritio; habetur enim ſufficiens motivum illius, ſcilicet bonitas Dei in ſe; & alias in lege veteri ſine cognitione explicita Incarnationis, & Trinitatis non fuiſſet contritio perfecta juſtificans ℟. *d.* Nil prohibet abſolute & ex natura rei, ut hoc fiat: *c.* ſuppoſita ordinatione divina in ſcripturis ſacris manifeſtata. *n.* Hac enim ſuppoſita homo nunquam habebit auxilium efficax ad eliciendam perfectam contritionem, aut dilectionem Dei ſuper omnia, niſi mediante fide Redemptoris, quem Deus poſuit, *ut ſit ipſe juſtus & juſtificans eum, qui eſt ex fide JESU CHRISTI,* ait Apoſtolus (a). Idem alii dicere debent ex actu charitatis elicito ante fidem explicitam in Deum ut Remuneratorem.

Inſt. 1. Apoſtolus tantum requirit: *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod remunerator ſit;* ergo non quod Chriſtus, quod Trinitas ſit. ℟. *n. c.* quia ibi loquitur de fide in omni ſtatu neceſſaria: alibi expreſſe requirit fidem etiam explicitam Chriſti in lege Evangelica, & quod de Chriſto dicitur, valet de Trinitate; non enim habetur cognitio Chriſti, ſeu quod Filius Dei ſit incarnatus, & conceptus de Spiritu Sancto, ſine cognitione Trinitatis.

(a) *Heb.* 11.

Inſt. 2. Ergo multi adulti carent medio ad ſalutem neceſſario; dantur enim a nativitate ſurdi & muti, dantur adeo rudes, ut hæc neceſſaria apprehendere non poſſint, qui tamen ſunt peccati capaces. ℞. *n. ſ.* Siquis enim cognitionem Dei ut Remuneratoris habere poſſit, etiam incarnationis & Trinitatis quoad ſubſtantiam in confuſo habere poterit: & ſi hoc non poſſit, amenti & infanti comparandus eſt; id quod & adverſarii dicere debent de illo, qui Dei ut Remuneratoris ſupernaturalis cognitionem non caperet.

Reſ. 1. In praxi certum eſt ad juſtificationem requiri fidem explicitam de Chriſto & Sanctiſſima Trinitate; cum enim agatur de valore Sacramenti, ſententia oppoſita non eſt practice probabilis, niſi in extrema neceſſitate, ubi ſi pœnitens ob ruditatem vel temporis brevitatem inſtrui non poſſet, eſſet ſub conditione abſolvendus.

(18) *Reſ.* 2. Fides hæc non debet eſſe ſignata, quæ fiat cum perceptibili reflexione ad Dei teſtimonium, ſed ſufficit exercita: ſic fidelis ad imaginem Crucifixi deponens pileum habet fidem exercitam, licet de revelatione Dei reflexe non cogitet.

Reſ. 3. Fides virtualis ſecundum veriorem ſententiam eſt actus tenuis imperceptibiliter tendens in objectum materiale propter formale, eo modo, quo perfectus V. G. muſicus, dum cantat, imperceptibiliter ſe reflectit ad regulas, licet hoc non advertat; & in hoc ſenſu ſufficit fides virtualis, quæ eſt eadem cum actuali exercita: non autem ſufficit habitualis, quæ eſt etiam in dormiente.

Reſ. 4. Moraliter fieri non poteſt, ut qui actus fidei frequenter elicuit circa illa myſteria, non habeat ſufficientem fidem, dum ad Sacramentum pœnitentiæ ſe diſponit, niſi forte habitum fidei amiſiſſet. Idem eſt de actu ſpei, licet deſuper non reflectat; non enim de

pec-

peccatis doleret, emendationem proponeret, eum ſui confuſione confiteretur, niſi crederet Deum illis offendi, velle remittere per Sacramentum, quod credit a Chriſto inſtitutum &c. & hæc ſperaret. Quod autem fideles inſtructi fidem frequenter eliciant, dubitari non poteſt; dum enim orant, ſimul fidem eliciunt licet imperceptibiliter, formando crucem credunt Sanctiſſimam Trinitatem, adorando Euchariſtiam Chriſtum, & ſic de aliis.

(19) *D.* 4. Omnes adulti per ſe loquendo tenentur neceſſitate præcepti affirmativi ad fidem explicitam myſteriorum, quæ in ſymbolo Apoſtolorum continentur; quilibet enim tenetur habere notitiam eorum, quæ ſunt propria ſui officii; ergo & Chriſtianus illorum, quæ maxime legi Evangelicæ, & ſtatui hominis Chriſtiani ſunt propria; ſed hæc potiſſimum continentur in ſymbolo: ergo. Deinde videntur Apoſtoli ideo confeciſſe ſymbolum, ut fideles haberent compendium eorum, quæ noſſe debent. Interim pro diverſitate ætatis, capacitatis, officiorum ad plura myſteria, eorumque circumſtantias per fidem cognoſcendas unus obligatur præ altero, & ita maxime Parochi, Doctores, Concionatores ad alios in fide inſtruendos conſtituti, ad explicationem dogmatum obligantur.

Reſ. 1. Venialiter peccat, qui ſcit Chriſtum reſurrexiſſe, ſed neſcit: an *tertia die*, novit paſſum, ſed neſcit: *ſub Pontio Pilato.* Aliud foret, ſi ſciret natum, ſed neſciret: *ex Beata Virgine*, ſciret conceptum ignorans, quod ex Spiritu Sancto; quia hæ circumſtantiæ videntur notabiles, aliæ leves.

Reſ. 2. Unum ſymboli articulum culpabiliter ignorans peccat graviter; quia quilibet continet dogma fidei ſpeciale gravis momenti.

Reſ. 3. Non ſufficit ſymbolum ſcire memoriter, ſed requiritur aliqualis ipſius intelligentia ſaltem quoad

ſubſtantiam, id eſt: in ſe, & ſub propria ratione, ſub aliquo vero conceptu licet imperfecto V.G. Chriſtum eſſe Deum & hominem, non eſſe duos Chriſtos, vel in ipſo non eſſe duas Perſonas, quamvis non intelligant, quomodo humanitas ſit unita. Item quid intelligatur per communionem Sanctorum, remiſſionem peccatorum &c. ſufficitque rudibus, ſi contentorum notititiam habeant, ita ut interrogati ſciant apte reſpondere. Curandum tamen, ut diſcant memoriter lingua vernacula.

Reſ. 4. Probabilius eſt obligatio gravis memoriter ſciendi orationem Dominicam ſaltem quoad ſubſtantiam.

Reſ. 5. Eſt obligatio gravis acquirendi notitiam præceptorum Dei, & Eccleſiæ, ſicut & cujuslibet Sacramenti ſuſcepti, & ſuſcipiendi. *Ratio primi eſt:* quia tenemur contenta in illis præceptis ſuo tempore adimplere: ergo ſcire. *Ratio ſecundi eſt;* quia adultus ſuſcipiens Sacramentum ſcire debet, quæ diſpoſitiones præcedere, & quæ obligationes ſequi debeant.

Reſ. 6. Graviſſima incumbit obligatio parentibus, præceptoribus, ludimagiſtris ſuos in rebus fidei inſtruendi: quia ex tali neglectu ſequitur in prolibus magnum ſalutis præjudicium, quod maxime inculcandum eſt hominibus agreſtibus, qui proles ſuas, dum vix incipiunt uti ratione, applicant paſcendis pecoribus, nec ad Catechismum mittunt, nec domi inſtruunt.

Reſ. 7. Parochi ex juſtitia ſub gravi peccato tenentur ſuos in myſteriis fidei, aliisque neceſſariis erudire ad captum, ut etiam rudes intelligant: ideo multo melius facerent, ſi Cathechismos bene ſervarent, quam ſi ſubtiles ſine ullo fructu conciones, prout frequenter fit, declament.

Reſ. 8. Confeſſarius ſi prudenter dubitet, prout ex rudi modo confitendi ſæpe debet dubitare, an pœnitens ſciat ea, quæ ſaltem quoad ſubſtantiam ſub peccato gra-

gravi ſcire tenetur, debet interrogando explorare; ſi ignoret, examinari debet de negligentia in addiſcendo, quam ſi doloroſe confiteatur cum propoſito proxime addiſcendi, poteſt abſolvi, ſi tantum neſciat neceſſitate præcepti requiſita. Si vero ſint de illis, quæ etiam probabiliter tantum ſunt neceſſaria neceſſitate medii, tenetur vel ante abſolutionem inſtruere rudi modo, & actus neceſſarios cum pœnitente elicere, vel ſine abſolutione ad Parochum remittere, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis defectu doloris ſupernatuturalis, qui ſine fide explicita horum myſteriorum non habetur; nec ſufficit ea aliquando crediſſe, ſi de facto ignoret. Aſt quia multi ad Parochum remiſſi eum audire non ſolent, hinc ex charitate, quantum tempus patitur, ſunt inſtruendi, & ſimul ſerio monendi, ut curam ſalutis omnibus aliis præponant.

QUÆSTIO VI.

(20) *Quandonam obliget præceptum fidei internæ?*

N. 1. Præceptum hoc aliud eſt *affirmativum* de eliciendo actu fidei obligans in certis tantum caſibus, vel certo tempore: aliud *negativum*, quo prohibemur unquam diſſentire, aut voluntarie dubitare de objecto fidei ſufficienter propoſito.

N. 2. Obligatio hic alia eſt *directa & per ſe*, quæ ex ipſa virtute fidei oritur: alia *indirecta, & per accidens*, quæ tantum ex alia virtute vel præcepto oritur.

N. 3. Quod dicitur de actu fidei, valet de actu ſpei & charitatis, cum par ratio eſſe videatur.

N. 4. Damnata eſt hæc propoſitio (a): *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas*

(a) 1. ab *Alexand. VII.*

virtutes pertinentium. Item damnata eſt hæc (a): *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Pariter (b) damnata eſt: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum:* ergo certum eſt, quod ſaltem intra quinquennium elici debeat actus charitatis.

(21) *D.* 1. Præceptum fidei per ſe obligat. 1. reſpectu fidelium, dum uſum rationis ſufficientem attingunt, & myſteria fidei illis ſub obligatione credendi ſatis proponuntur; tunc enim ſi notabiliter differant, injuriam faciunt primæ Veritati, & neceſſe eſt, ut initium uſus rationis ex ſubjectione fidei incipiat, cum hæc ſalutis noſtræ, omniumque Chriſtianarum virtutum ſit fundamentum. Infideles vero tenentur, dum illis noſtræ fidei myſteria ſufficienter proponuntur ut credenda. 2. In articulo mortis, vel morali ejus periculo; tunc enim oportet per actus fidei, ſpei, & charitatis nos Deo conjungere, & dæmonis inſultibus juxta monitum Principis Apoſtolorum reſiſtere fortes in fide. 3. Dum inſurgit gravis tentatio contra fidem, oriturque hæc obligatio per ſe ex præcepto fidei negativo, ſi aliter vinci non poſſit, *quod notanter additur:* quia ordinarie tentatio interna contra fidem melius vincitur contemnendo, *de quo, ubi de ſcrupuloſis.* 4. Quoties quis lapſus eſt in hæreſin, vel aliam infidelitatem; tenetur enim injuriam primæ Veritati illatam per actum contrarium reſarcire. 5. Probabilius præcepta fidei, ſpei & charitatis obligant per ſe ſemel ſaltem in anno. *Ratio eſt:* quia ſi differantur ultra annum, cenſentur nimis diu differri, ut in ſimili agnovit Eccleſia, quæ ideo confeſſionem & communionem annuam præcepit. Confeſſarii inculcent fidelibus, ut piam *Doctoris ſubtilis*

(a) 17. *ab Innoc. XI.*

(b) 6. *ab eodem.*

tilis admonitionem ſequantur, ſingulis Dominicis eliciendo actus fidei, ſpei, & charitatis.

Ob. Gravis obligatio non debet adſtrui ſine ſufficienti fundamento. ℟. Fundamentum eſt ipſa indecentia ulterioris dilationis; nec ſine pudore dicere poteſt Chriſtianus ſibi hoc eſſe grave. Dixi: *ſaltem ſemel in anno:* non enim nego, revera ſæpius dari hanc obligationem; nam *juſtus*, ait Apoſtolus (a), *ex fide vivit;* quomodo autem ex fide vivet, ſi non ſæpius actum fidei eliciat? Interim incertum manet, quoties per ſe quis obligetur, utinam elicerentur quotidie, & ſæpius: non quod ſit obligatio, ſed quia ſunt maxime meritorii, ideoque optime a Confeſſariis injunguntur pro pœnitentia mane, veſperi, ſub ſacro, & præſertim tempore tentationis eliciendi.

Reſ. 1. Adulto infideli, & baptizato inter infideles educato myſteria fidei ſufficienter proponuntur, quando rationibus ex notis Eccleſiæ deſumptis, ex miraculis &c. accedente præſertim interiori Spiritus Sancti illuſtratione ita proponuntur vera & credibilia, ut ſana ratio dictet, noſtram fidem eſſe veram, contrariam falſam: pueris vero inter fideles educatis, dum a ſuis Parentibus, Parochis, vel inſtructoribus intelligunt, hæc myſteria eſſe a Deo revelata, & ab Eccleſia proponi ut credenda (b). In praxi tamen raro peccant non adeo frequenter eliciendo hos actus, quia ipſis hæc obligatio vix unquam in mentem venit; ſi autem deſuper inſtruantur, etiam frequenter elicere debent.

Reſ. 2. Qui ad juvandos moribundos vocatur, inter primas curas habere debet, ut cum iis actus virtutum Theologicarum eliciat. Hinc male agit Confeſſarius, qui moribundo ante datam abſolutionem non proponit hos actus ſumme neceſſarios fidei, ſpei, charitatis, &

(a) *ad Gal.* 3. *v.* 11.

(b) *Vid. ſup. Num.* 7.

& contritionis perfectæ, maxime quando hic & nunc illorum defectum in pœnitente timere poteſt: ideo breves, ſed veras formulas eliciendi hos actus in promptu habere debet. Addo: *veras;* quia multæ circumferuntur, quæ non ſubſiſtunt. Inter cæteras formulas placent ſequentes.

Actus Fidei.

Credo, mi Deus, omnia, quæ tu revelaſti, quia tu es infinite ſapiens, & verax, ideo credo, quod ſis vindex malorum, & Retributor bonorum ſupernaturalium, credo animam meam eſſe immortalem, creatam ad finem ſupernaturalem beatitudinis, gratiam Dei eſſe nobis ad ſalutem neceſſariam, Deum eſſe unum in eſſentia, Trinum in Perſonis, Secundam Perſonam eſſe incarnatam, & nos in ara Crucis redemiſſe. Credo omnia, quæ credit Eccleſia Romana Catholica, & nobis credenda proponit. Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.

Actus Spei.

Spero, mi Deus, me conſecuturum per merita tua a te promiſſam (ſi gratiæ mihi dandæ cooperatus fuero) remiſſionem peccatorum, gratiam ſanctificantem, ac ſi finaliter in ea perſeveravero, vitam æternam. Hæc ſpero, quia vis dare, quod promittis, ob tuam fidelitatem, & potes dare ob omnipotentiam. Deſidero te poſſidere poſt hanc vitam per viſionem, & fruitionem beatificam: quia es ſummum bonum noſtrum, & finis ſupernaturalis. Confido me illa obtenturum, per merita Chriſti, quia tu in promiſſis ſervandis es fideliſſimus, potentiſſimus, & miſericordiſſimus. In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum.

Actus Amoris.

Amo te, mi Deus, non ideo tantum, quia creaſti me, redemiſti, ſanctificaſti, conſervas, & innumeris quotidie beneficiis cumulas; neque tantum ideo, quia inſuper dare vis mihi æternam beatitudinem; ſed ideo maxime & ſuper omnia te amo, quia tu DEUS es ob infinitas perfectiones tuas omni amore digniſſimus. Tu es omne bonum, & in te ipſo propter te æſtimari, coli, & honorari digniſſimum, licet nec præmium a te ſperandum, nec pœna timenda eſſet. Illas omnes ob perfectiones tibi ex corde faveo. Ex hoc in te amore amo Angelos, & homines ejusdem mecum beatitudinis capaces: amo me ipſum, ſed ſemper propter Te, quia Tu ſummum bonum es, & infinite dignus, quod ita ab omnibus, & in omnibus ameris, lauderis.

Actus Doloris.

Deteſtor omnia peccata totius vitæ ſuper omne malum, & de iis doleo ex toto corde, non quia gehennam a te juſto Judice infligendam promerui, ſed ideo ſolum, quia iis te offendi, quia tibi infinite bono diſplicent. Utinam nunquam peccaſſem. Propono firmiſſime tua adjuvante gratia non amplius peccare. Deus meus! propitius eſto mihi peccatori.

(22) *D.* 2. Præceptum fidei obligat per accidens, dum obligat aliquod præceptum, quod ſine fide impleri non poteſt. Sic dum percipiendum eſt Sacramentum, tenetur quis credere illius efficaciam. Sic non poteſt quis elicere actum ſpei, contritionis &c. niſi præcedat, vel concomitetur actus fidei; alias enim hi actus non erunt ſupernaturales.

Reſ. Qui timoratæ eſt conſcientiæ, imprudenter angitur circa impletionem hujus præcepti, quia, *ut ſupra*, dum oramus, Miſſam audimus, & ſimilia facimus, fidem

fidem elicimus, non quidem ſignate, ſed exercite, quatenus ex notitia fidei ſcientes Deum eſſe, Redemptorem eſſe, hoc eſſe Sacramentum &c. Deum oramus, Sacramentum ſuſcipimus &c. Interim pro majori merito curandum eſt, ut ſæpe cum reflexione ad divinam authoritatem ex humili reverentia fidem, ſpem, & charitatem eliciamus.

QUÆSTIO VII.

(23) *Quandonam obliget præceptum fidei externæ?*

N. 1. Præceptum profitendi externe fidem aliud iterum eſt *affirmativum*, aliud *negativum:* hoc obligat ad non negandam fidem, illud ad illam profitendam.

N. 2. Fidem poteſt quis negare *directe*, dum negat fidem Catholicam, aut aliquod ejus myſterium eſſe verum: vel *indirecte*, aut *interpretative*, dum eam non confitetur, ubi tenetur, dum ponit actionem, quæ vel eſt ipſe cultus falſus V. G. ſumit cænam Calviniſticam, vel ex ſe, aut ex circumſtantiis ſignificat profeſſionem falſæ Religionis V. G. bibit in ſanitatem hoſtium Papiſtarum; ſive fiat voce, ſive ſcripto, ſive alio ſigno externo.

(24) *D.* 1. Præceptum negativum non negandi fidem obligat ſemper, & pro ſemper. Patet hoc tum ex conditione præcepti negativi, tum ex Scriptura, in qua (a) legitur: *Qui negaverit me coram hominibus &c. Deinde* negare fidem eſt dicere mendacium intrinſece malum, divinæ veritati graviter injurioſum: ergo nunquam licet.

D. 2. Datur & præceptum divinum affirmativum profitendi aliquando externe fidem. Conſtat ex illo (b): *Qui*

(a) *Matth.* 10. *v.* 33. (b) *Luc.* 9. *v.* 66.

Qui me erubuerit &c. hunc filius hominis erubeſcet, cum vènerit in Majeſtate ſua (a). *Si confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, ſalvus eris*; ergo ſicut datur præçeptum de elicienda fide in corde, ſic & de confitenda coram hominibus. Hoc præceptum obligat etiam cum periculo vitæ, quoties id ſpecialiter exigit honor Dei, vel fidei, propria, vel proximi ſalus; hanc generalem regulam tradit *D. Thomas* (b) communiter hic receptus. Pro reſolutionibus particularibus.

(25) *N. Simulare* eſt aliquid exterius ſignificare, quod in mente non eſt. Si jam intendam, ut alius me ita ſentire judicet, eſt *ſimulatio formalis.* Si hoc non intendam, ſed permittam alterius errorem, eſt *ſimulatio materialis*: ille autem falſam ſectam ſimulat, qui exterius aliquid facit, ex quo alii prudenter judicant eſſe alterius Religionis. *Diſſimulare* autem eſt mentem ſuam occultare, vel *negative* per omiſſionem, vel *poſitive*: faciendo aliquid, quod mentem occultet, ut non poſſint inde colligere, quod ſim V. G. religioſus.

N. 2. Signa hic alia ſunt *diſtinctiva unius gentis ab alia*, quibus uterentur, licent omnes eſſent Catholici, ut Turcis eſt faſcia. Alia ſunt *diſtinctiva religionis, & ſectæ unius ab alia, non tamen ſemper* ſunt *proteſtativa illius ſectæ*, ſed habent etiam alium uſum V. G. commoditatis, nitidioris cultus, ut in Germania eſt ſignum prædicantium: vel ſigna illa ſunt inſtituta, ut quis inde cognoſci poſſit, & alter ſibi præcavere; ſic Romæ flavus pileus denotat quidem Judæum, ſed eo fine, ut alii ſibi caveant in contractibus. *Denique* alia ſigna ſunt

(a) *Rom.* 10. *v.* 9.
(b) 2. 2. *q.* 3. *art.* 2.

ſunt *proteſtativa ſectæ*, vel ex conſtitutione, vel ex conſuetudine V. G. imago Mahometis.

Reſ. 1. Peccat graviter, qui etiam externe tantum fidem negat, qui idolo thus adolet, coram eo genuflectit, etſi intentionem dirigat ad occultum Crucifixum: qui cænam hæreticam frequentat, cum hæreticis in eorum ceremoniis, & precibus communicat; ſecus ſi in his adeſſet tantum ut nudus ſpectator, idque palam appareret: ſic licitum eſt famulis catholicis Dominos Acatholicos comitari ad eorum templa, ſi ſine gravi incommodo ſubterfugere nequeant, quibus tamen non licet cantare cum hæreticis, aut communiter orare.

Ob. 1. Apoſtolus (a) ait: *Factus ſum Judæis tanquam Judæus*, & (b) *Omnibus omnia factus ſum.* 2. (c) Eliſæus Propheta dedit Naaman Syro licentiam genuflectendi coram idolo. 3. (d) Jehu finxit ſe velle adorare Baal, ut inde occaſionem haberet occidendi Sacerdotes illius, laudaturque de hoc in ſcriptura; ergo hæc non ſunt mala. ℞. *Ad* 1. Apoſtolum omnibus omnia factum in iis, quæ licebant, cum Gentilibus gentiliter, non obſervando legalia Judæorum, quæ amplius non obligabant, cum Judæis illa obſervando, quia nondum erant mala. *Ad* 2. non dedit licentiam genuflectendi in honorem idoli, ſed præſtandi officium politicum Regi adoranti, qui ſuper Naaman inniti conſueverat. *Ad* 3. laudatur zelus Jehu, non ſimulatio.

Reſ. 2. Peccat contra fidem, qui interrogatus etiam a privato: *an ſit religionis Reformatæ, an Evangelicæ?* Reſpondet affirmative, ſubintelligens Catholicam eſſe vere Evangelicam, & a Tridentino quoad aliqua in moribus

(a) 1. *Cor.* 9. *v.* 20.
(b) *ibid. v.* 22.
(c) 4. *Reg.* 5. *v.* 19.
(d) 4. *Reg.* 10. *v.* 9.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ribus reformatam; quia circumſtantiæ denotant ſignificare ſe eſſe Calviniſtam vel Lutheranum.

Reſ. 3. Peccat contra fidem comedens carnes in iis circumſtantiis, in quibus eſt ſignum negatæ fidei, V. G. hæretici dicunt: videamus, an inter nos ſit aliquis Papiſta, in cujus ſignum comederent carnes die Veneris. Cæterum comedere carnes die vetito non eſt per ſe ſignum negatæ fidei; hinc Catholicus occultus inter hæreticos poteſt comedere carnes appoſitas ſine mentione religionis, ſi ad vitandum grave damnum requiratur.

Reſ. 4. Simulatio falſæ religionis in nullo caſu licita eſt; quia eſt mentiri factis, & æquivalenter fidem negare; eſt enim facto, vel guſtu ſignificare, ſe eſſe V. G. Calviniſtam.

Reſ. 5. Ad vitandum grave damnum, dum non urget præceptum confitendi fidem, licitum eſt fidem diſſimulare, adeoque uti ſignis primi, & ſecundi generis, (*de quibus ſupra*) permittendo alios falli, non vero ſignis tertii generis V. G. portare Mahometem ad collum, quia virtualiter negaret fidem. Nec obſtat, quod navigantes ſæpe utantur vexillis Mahometem ferentibus; quia ſatis probabiliter excuſantur: ſcitur enim jam, quod ſimilie habeant alium uſum in mari ad ſtratagemata.

(26) *Reſ.* 6. Non peccat per ſe graviter, qui negat ſe eſſe Religioſum, Sacerdotem, audiviſſe Miſſam &c. quia multi Catholici non ſunt Religioſi, Sacerdotes, non audiunt Miſſam; hinc non eſt ſignum hæreſis. *Dixi*, *per ſe;* ſi enim interrogans per hæc velit æquivalenter quærere: an ſit Catholicus? Implicite negaretur fides.

Reſ. 7. Fidem diſſimulare ſæpe melius eſt, quam confiteri, imo neceſſarium, ſi degens inter hæreticos prævideat ſe ſic melius poſſe prodeſſe.

Reſ. 8. Intereſſe nuptiis, funeri, tanquam actionibus profanis, in Germania non eſt per ſe illicitum, modo oſtendant ſe non participare eorum ceremoniis & precibus.

Reſ. 9. Per ſe non eſt graviter illicitum adire concionem vel Eccleſiam hæreticorum: eſt veniale, ſi fiat ex curioſitate: nullum, ſi ut V. G. refutet errores prædicantis; qui tamen ſine cauſa ſæpius id faceret, peccaret graviter, quia eſſet virtualis negatio fidei. Si vero fiat ex juſta cauſa, V. G. miles, vel filius occulte Catholicus pergit conciones frequentare, ne ab Officiali vel Patre male tractetur, vel a fide retrahatur, nullum eſt peccatum: ſæpe tamen ſubeſt periculum.

Reſ. 10. Si Magiſtratus publico edicto velit, ut omnes adeant Eccleſiam hæreticorum, aut die Veneris carnes edant, peccat graviter, qui obedit: ita reſpondit *Paulus V.* Anglorum interrogationi; quia tale decretum directe tendit ad augmentum ſectæ hæreticæ, & deſtructionem religionis Catholicæ, licet Princeps diceret ſe per hoc tantum velle obedientiam civilem: quia hanc aliis modis exercere poteſt.

(27) *Reſ.* 11. Qui particulatim, licet privatim, de ſua fide interrogatur a poteſtate publica V.G. a Judice, tenetur illam ingenue fateri, nec poteſt verbis V.G. ambiguis eludere, etiam cum periculo mortis; contrarium eſt damnatum: (a) quia revera eſt magnus honor Dei ac fidei, & ædificatio proximi, coram Principibus fidem tueri cum vita & ſanguine, & qui tunc diſſimulat, merito cenſetur fidem erubeſcere. *Dixi: particulatim;* ſi enim ederetur edictum generale jubens Catholicos ſe prodere, vel ſi præſentibus multis Catholicis generaliter præciperetur, ut ſi Catholicus adeſſet, ſe proderet, nullus teneretur ſe prodere; quia nemo

(a) *ab Innoc. XI.*

nemo proprie interrogatur, niſi forte honor Dei, aut proximorum ſalus aliud exigeret.

Reſ. 12. Interrogatus a perſona privata poteſt contemnere dicendo: quid ad te? Quia per hoc ſolum ſignificatur contemptus perſonæ; nec tunc ex omiſſione confeſſionis honori divino, nec proximorum ſaluti præjudicatur, niſi ex diſſimulatione etiam tunc fides ludibrio exponeretur, vel ſcandalum oriretur V.G. interrogatus eſt vir gravis, & alii præſumunt, id fieri ex timore vel erubeſcentia, aut inciperent dubitare de firmitate fidei Catholicæ, aut hæretici in ſua ſecta confirmarentur.

Reſ. 13. Videns conculcari Crucifixum, Sanctorum imagines, doctrinam Eccleſiæ exponi ludibrio, contemni fidem &c. tenetur ad fidei confeſſionem, & proteſtari etiam cum periculo vitæ, ſi prævideat ſe poſſe impedire; quilibet enim tenetur injuriam a Deo & Sanctis avertere, vi impliciti juramenti in baptismo præſtiti.

(28) *Reſ.* 14. Per ſe poteſt quis tempore perſecutionis fugere, ne interrogetur, & fidem fateri teneatur; fuga enim non eſt diſſimulatio, minus negatio fidei, imo implicita confeſſio: ſi enim eſſet infidelis, bona, patriam, amicos non derelinqueret. Imo fuga poteſt eſſe præcepta, dum V. G. multum intereſt, talem conſervari, vel ſiquis putet ob animi infirmitatem ſe ſubiturum periculum proximum fidem abnegandi, niſi fugiat. *Dixi: per ſe;* quia paſtores animarum, Parochi, Epiſcopi tenentur eo tempore animas pro ovibus ponere, illisque in tanto periculo aſſiſtere.

Reſ. Denique: qui poteſt licite fugere, poteſt & licite remanere cum periculo vitæ, quia mortem pure permittit, & quod CHRISTUS dixit (a): *Cum perſequen-*

(a) *Matth.* 10. *v.* 23.

quentur vos in civitate iſta, fugite in aliam, eſt licentia, non præceptum.

(29) *D.* 3. Ex præcepto poſitivo Eccleſiæ tenentur juratam fidei profeſſionem facere omnes proviſi de beneficiis curam animarum habentibus, de dignitatibus & Canonicatibus in Eccleſiis Cathedralibus, aliisque; idque intra duos menſes a die adeptæ poſſeſſionis: ſimiliter Doctores, Magiſtri, Regentes, & quarumcunque artium Profeſſores tum Clerici, tum laici, adjecta excommunicatione latæ ſententiæ, & privatione omnium beneficiorum in eos, qui aliquem ad ejusmodi gradum vel cathedram ſine prævia profeſſione fidei promovere auſi fuerint.

QUÆSTIO VIII.

(30) *Quid, & quotuplex ſit infidelitas fidei oppoſita?*

N. Infidelitas hic eſt *carentia fidei;* eſtque triplex: *pure negativa*, & eſt carentia fidei orta ex inculpabili ignorantia, hæc non eſt peccatum, ſed pœna peccati originalis: alia eſt *privativa*, & eſt carentia fidei orta ex culpabili ignorantia: alia *poſitiva*, & eſt error voluntarius contra fidem.

D. 1. Tres ſunt quaſi ſpecies infidelitatis poſitivæ: paganismus, judaismus, hæreſis. *Paganismus* eſt infidelitas in eo, qui nec CHRISTUM Deum hominem veniſſe, nec venturum credit. *Judaismus* eſt infidelitas in eo, qui credit Meſſiam venturum, necdum tamen veniſſe. *Hæreſis* in eo, qui credit veniſſe, ſed non credit omnia, quæ ſunt credenda. *De hac ſpecialiter quæſtione ſeq.*

Obſ. Atheismus, Gentilismus, Turcismus continentur ſub Paganismo; licet enim Turcæ admittant Meſſiam in lege promiſſum, negant tamen eſſe Deum

&

& Redemptorem mundi. *Apoſtaſia*, quæ eſt deflexio a fide ſemel ſuſcepta, reducitur ad illam ſpeciem infidelitatis, ad quam fit deflexio. Dubium, & formido deliberata in fide ſpectat ad ſpeciem infidelitatis, ad quam quis propendet.

D. 2. Paganismus, judaismus, hæreſis, prout opponuntur fidei, non diſtinguuntur ſpecie; quia eidem virtuti eodem modo opponuntur: malitia enim conſiſtit in eo, quod condemnatur authoritas Dei dicentis & Eccleſiæ proponentis. In quantum tamen includunt ritus & ceremonias ſibi proprias, ſpecie differunt; nam Paganismus includit idololatriam, Judaismus ſuperſtitionem &c.

(31) *D.* 3. Habitus fidei expellitur per ſolum peccatum mortale internæ infidelitatis poſitivæ, directe contrarium fidei: nam debet eſſe mortale; veniale enim V. G. ex ſemi-deliberatione non tollit gratiam; ergo minus fidem. *Deinde* peccatum omiſſionis contra præceptum fidei affirmativum, & commiſſionis ſolo opere externo contra præceptum negativum, item infidelitas privativa orta ex ignorantia etiam craſſa non pugnat cum voluntate efficaci aſſentiendi omnibus a Deo revelatis, & ſufficienter propoſitis. Quod autem amittatur per poſitivam internam fidei directe oppoſitam patet: quia cum illa non poteſt ſtare efficax affectus credendi Deo omnia firmiter-

Reſ. Qui negat veritatem a Deo revelatam, vel revelationem ſibi cum obligatione credendi ſatis propoſitam, amittit habitum fidei, nec poteſt quidquam fide divina credere, quia motivum apud ipſum vel eſt intentionaliter deſtructum, vel non ſatis applicatum.

Ob. Hæreticus diſcredens uni articulo adhuc credit alios propter authoritatem Dei revelantis; ergo retinet fidem Theologicam circa illos. ℟. *d. a.* credit alios propter authoritatem Dei revelantis, ut applicatam

 per

per infallibilem propoſitionem Eccleſiæ. *n.* ut applicatam proprio judicio fallibili. *t. a.* & *n. c.*

(32) *D.* 4. Legitimus Superior non poteſt, *per ſe loquendo*, ſubditis permittere libertatem fidei, ſed tenetur, quoad commode poteſt, errores & ritus contra fidem impedire. Prob. Superior jure naturali & divino obligatur ſubditos a peccatis Deo, & reipublicæ pernicioſis liberare: ſed tale peccatum eſt V.G. hæreſis, ut bella, & calamitates inde orta teſtantur: ergo. *Dixi; per ſe;* quia ad majus malum vitandum ſaltem ad tempus permitti poteſt.

D. 5. Eccleſia habet jus generale ubique prædicandi Evangelium; quia Chriſtus in toto mundo, quem ſuo ſanguine redemit, utique habet hoc jus, quod (a) dedit Apoſtolis, & per hos Eccleſiæ dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes,* & (b) *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Denique cum fides omnibus ſit neceſſaria ad ſalutem, ne redemptio CHRISTI fruſtretur ſua efficacia, congruum fuit, non tantum Eccleſiæ licere Evangelium ubique prædicare, ſed & eſſe jus illud prædicandi; unde poteſt ſe defendere contra illos, qui prædicatores impediunt.

(33) *Reſ.* 1. Eccleſia non poteſt non baptizatos directe cogere ad fidem ſuſcipiendam: quia poteſtas ejus ſpiritualis non extendit ſe ad illos, qui per baptismum non ſunt ingreſſi Eccleſiam juxta illud (c): *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?*

Reſ. 2. Princeps ſæcularis non poteſt ſubditos non baptizatos directe cogere ad fidem ſuſcipiendam; quia poteſtas ejus profana eſt ſe tantum extendens ad bonum civile, naturale, & politicum, non ad res fidei

&

(a) *Matth.* 28. *v.* 19.

(b) *Marc.* 16. *v.* 15.

(c) 1. *Cor.* 5. 19.

& religionis, niſi quantum a poteſtate Eccleſiaſtica illi permittitur; hinc canone: *de Judæis*, *diſt.* 45. ſtatuitur; ut nemo invitos Judæos ad fidem compellat.

Reſ. 3. Poteſt Princeps ſæcularis ſubditos cogere indirectè, negando V. G. iis habitationem inter Chriſtianos, niſi ſe convertant, privando favoribus, officiis indebitis, exigendo graviora onera, ſeverius puniendo alia eorum crimina, manendo ſemper intra limites juſtitiæ.

Reſ. 4. Infideles baptizatos poteſt Eccleſia cogere directè; cum enim ſubſint jurisdictioni Eccleſiæ, cui per baptismum ſe ſubjecerunt, non minus ad fidem, quam cætera officia cogi poſſunt.

Reſ. 5. Infideles ſubditi etiam non baptizati cogi poſſunt, & debent a Principe ad ſervandam legem naturæ: quia hujus obſervatio eſt neceſſaria ad regimen politicum, & omnes illa obligat; hinc ritus Judæorum, qui non ſunt contra legem naturæ, tolerari poſſunt, non idololatriæ V. G. impiorum.

Reſ. 6. Infideles ſubditi non baptizati cogi poſſunt ad audiendam prædicationem fidei; ſic Romæ qualibet hebdomada tenentur audire concionem de rebus noſtræ fidei, & qui non interſunt, mulctantur. *Ratio eſt:* Princeps ſæcularis poteſt obligare ſuos ſubditos ad opus bonum utile ſubditis, non excedens finem honeſtum regiminis politici; atqui auditio Evangelii eſt tale; nam licet velle amplecti fidem ſit quid ſupernaturale; velle tamen audire ipſius propoſitionem, ut dein poſſit quis eligere, quod ſibi rectum videtur, non excedit lumen naturale.

(34) *Reſ.* 7. Non licet Catholicis communicare cum infidelibus in multis: 1. In ſacrificiis & orationibus factis ritu infidelium. 2. Non licet cum Judæis frequentare convivia, vocare Judæum medicum, aut ab illo medicinas recipere, ſi alius æque peritus haberi poſſit.

Conceditur proin civilis tantum communicatio V. G. in commercio publico: dummodo familiaritas nimia evitetur.

Reſ. 8. Licitum eſt privatis colloquiis infideles ad fidem perducere, ſed, ut recte fiat, agendum eſt cum magna lenitate, ſine ullo contemptus ſigno: excitandi ſunt ad petendum a Deo lumen, ad dolorem perfectum de peccatis. Oſtendendum eſt, quod nullam habeant fidei ſuæ fundamentum; oſtendendum eſt per motiva credibilitatis, Religionem noſtram eſſe veram, & unice prudenter credibilem. *Denique* licitum eſt publice cum iis de fide diſputare, ſed ſervandæ ſunt quatuor conditiones: 1. diſputaturus debet eſſe firmus in fide; 2. bene inſtructus, ut argumenta proponere, & objectiones ſolvere poſſit ad captum; alias cedet in contemptum fidei & ſcandalum ſimplicium, qui putant illam cauſam meliorem, quæ plauſibilius defenditur; 3. non debet fieri coram idiotis de illis, de quibus nunquam audiverunt controverti: nam ſæpe facilius argumenta in contrarium apprehendunt, quam ſolutiones cum periculo vacillandi; 4. hæretici ad formam ſylogiſticam adſtringantur, ne more ſuo de uno ſaltent in aliud.

QUÆSTIO IX.

Quid, & quotuplex ſit hæreſis, & quæ pœnæ annexæ?

Hæreſis duplex eſt: alia tantum *materialis*, eſtque error in fide absque pertinacia ex ignorantia quadam: alia *formalis*, de qua

(35) *D.* 1. Hæreſis formalis eſt *error intellectus voluntarius, liber & pertinax contra fidem in eo, qui CHRISTUM jam veniſſe confitetur.* Hinc requiritur 1. ex parte intellectus judicium erroneum contra fidem; 2. error debet eſſe liber & voluntarius; quia alias peccatum,

catum, adeoque hæreſis formalis non eſt; 3. requiritur pertinacia, quæ adeſt, cum quis, licet objectum fidei credibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo dubitari non poſſit, nec formidari, contrarium tamen judicat, a quo nolit recedere, ſaltem niſi evidenter convincatur. *Denique* debet eſſe in eo, qui CHRISTUM jam adveniſſe confitetur; hoc enim hodie exigit vocis ſignificatio: unde error contra fidem, quo Judæus negat V.G. Sacramentum baptismi, non eſt hæreſis, licet ſit peccatum formale contra fidem.

Reſ. 1. Eſt hæreticus formalis, qui poſitive, ſive affirmative de aliquo fidei objecto ſufficienter propoſito dubitat cum pertinacia; quia is exercite judicat, objectum ſufficienter propoſitum non eſſe certum, adeoque licet non neget objectum revelatum, negat tamen illius certitudinem, quod involvit apertam hæreſin: quia negatur ſumma divini teſtimonii veritas, vel Eccleſiæ proponentis infallibilitas. De dubitante negative, vel ſuſpenſive eſt diſtinguendum. Vel enim ſuſpenditur judicium, quia objectum credendum non eſt ſatis propoſitum, & non eſt hæreſis; quia deeſt pertinacia, nec peccatur contra fidem, niſi defectus ſufficientis propoſitionis veniat, ex culpabili negligentia. Vel ſuſpenſio judicii circa objectum ſufficienter propoſitum oritur propter motiva retrahentia in contrarium, & jam hæreſis formalis eſt; quia ſaltem æquivalenter judicat myſterium revelatum non eſſe certum; & æquivalenter negat vel infallibilitatem Dei revelantis, vel Eccleſiæ proponentis. Vel *denique* ſuſpenſio judicii oritur ex alio motivo V. G. quia non vult modo his immorari, & non eſt hæreſis, nec per ſe peccatum, imo in timoratis quandoque laudabile, dum tentantur.

Reſ. 2. Nemo eſt hæreticus formalis, quamdiu paratus eſt judicium ſuum ſubmittere, vel neſcit contrarium teneri a vera Eccleſia, licet ex ignorantia etiam

culpabili errorem firmiter tueatur, & contra fidem peccet; quia deeſt pertinacia. Idem eſt de eo, qui per ignorantiam affectatam ex ſolo tædio addiſcendi errat contra fidem; ſecus ſi ignorantia affectata ſit ex contemptu Eccleſiæ, ſive voluntate non credendi, licet ſciretur ab Eccleſia proponi aliter; quia is pertinax eſt, & parvi momenti ducit, quæ Eccleſia proponit. Idem eſt de eo, qui pertinaciter negat, quod erronee putat ab Eccleſia eſſe definitum, cum definitum non ſit; eſt enim error pertinax circa objectum juxta ejus conſcientiam ad fidem pertinens. Idem *denique* eſt de eo, qui ſuum judicium non vult ſubmittere Eccleſiæ definitioni, niſi prius argumentis convincatur; quia non credit Eccleſiam eſſe infallibilem.

(36) *D.* 2. Ad hæreſin, quæ ab Eccleſia punitur, requiritur 1. ex parte actus, ut ſit internus: qui enim externe tantum negat fidem, quamvis graviter peccet, non eſt proprie hæreticus: quia non habet errorem in intellectu. Perfecte liber, pertinax contra generalem fidei regulam, prodiens in actum externum; quia Eccleſia non punit hæreſin, niſi mortalem externe manifeſtatam, ſibique contumacem, & repugnantem fidei Catholicæ, & gravis pœna ſupponit culpam gravem. 2. Ex parte objecti requiritur, ut objectum credendum per communem fidei regulam ſit ſatis propoſitum; quia alias non eſt pertinacia contra ſenſum Eccleſiæ, quam hæc punit. 3. Ex parte ſubjecti requiritur baptiſmus; quia per hunc introitur in Eccleſiam, unde Catechumenus negans articulum fidei non eſt hæreticus in foro Eccleſiæ, quamvis ſit talis coram Deo. Ex his

Reſ. 1. Hæretici materiales ſtricte loquendo non ſunt hæretici, eoquod generali aſſenſu, quo credunt omnia a Deo revelata, & a vera Chriſti Eccleſia ad credendum propoſita, corrigant ſuum errorem, & re ipſa ad Catholicos pertineant.

Reſ.

Reſ. 2. Hæreticus materialis etiam graviter ob ignorantiam culpabilis paratus deponere errorem ſuum non incurrit excommunicationem, nec reſervationem, conſequenter a quolibet Confeſſario, prævia tamen debita inſtructione, abſolvi poteſt, & quidem ſine omni ſpeciali ceremonia, vel facultate; unde male faciunt, qui eos ad alios privilegiatos mittunt non ſine eorum confuſione, niſi tamen ita habeat conſuetudo locorum, ut petatur licentia abſolvendi.

Reſ. 3. Nec illam incurrit, qui hæreſin formalem internam exterius nullo ſigno, facto, verbo &c. manifeſtavit; Eccleſia enim non judicat de mere internis, nec illa reſervat; debet autem actio externa eſſe mortaliter mala; quia excommunicatio, & pœnæ ſimiles non imponuntur, niſi propter actus externos mortaliter malos.

Reſ. 4. Excommunicatio, & reſervatio non incurritur ab eo, qui hæreſin internam manifeſtat Confeſſario, aut amico conſilii, vel inſtructionis gratia, qui manifeſtat in ſomno, plena ebrietate &c. Neque qui de ſua hæreſi loquendo utitur verbis indifferentibus, vel ita ambiguis, ut clare colligi nequeat, quod ſit hæreticus; idem eſt de aliis ſignis. Igitur requiruntur verba, vel ſigna, quæ ſaltem ex circumſtantiis loci, temporis, perſonæ hæreſin internam ſufficienter arguant; imo requiritur intentio hæreſin profitendi.

Reſ. 5. Non requiritur, ut illud ſignum aliquis videat, verba audiat, modo colligere poſſet, ſi adeſſet: ſic V. G. qui in occulto ſolus ex odio imaginum cultus laceraret imagines, vel ſimilia ſigna faceret, caſum reſervatum incurreret; quia etiam occulta pœnis ſpiritualibus V. G. excommunicatione, reſervatione per ſententiam generalem puniri poſſunt.

(37) *D.* 3. Variæ jure communi ſunt pœnæ in hæreticos ſtatutæ: 1. *excommunicatio major* latæ ſententiæ

tiæ reſervata Summo Pontifici in Bulla Cænæ, quæ etiam extenditur ad hæreticorum fautores, defenſores, imprimentes libros hæreticos, *de quibus ſupra.* 2. *irregularitas* ſaltem pro hæretico notorio: 3. *inhabilitas ad beneficia:* 4. *infamia:* 5. *privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ.* Pœnæ civiles ſunt confiſcatio bonorum, & liberatio ſubditorum ab obedientia illius, qui nominatim eſt excommunicatus; ſed hæ ultimæ pœnæ in Germania non obſervantur, Summo Pontifice ob potentiam hæreticorum diſſimulante.

(38) Cenſuræ Theologicæ propoſitionum damnabilium potiſſimum ſunt ſequentes: 1. propoſitio dicitur *hæretica*, cujus contradictoria eſt de fide: dicitur *hæreſin ſapiens*, quæ licet ex ſe poſſit habere ſenſum Catholicum, attamen ex circumſtantiis loci, temporis, modi, & perſonæ illam uſurpantis dat occaſionem credendi probabiliter latere hæreſin ſaltem materialem in mente authoris: ſi tantum de hoc ingerat ſuſpicionem, dicitur *ſuſpecta de hæreſi.* 2. Dicitur *erronea in fide, vel hæreſi proxima*, cujus contradictoria eſt concluſio Theologica ex una præmiſſa revelata, & altera evidenter vera. 3. Dicitur *errori proxima*, quæ opponitur concluſioni Theologicæ, non quidem evidenter, ſed probabiliſſime deductæ ex præmiſſis fidei. 4. *Male ſonans, uti & piarum aurium offenſiva*, quæ licet nullam hæreſis ſuſpicionem ingerat, habet tamen ſenſum abſurdum, a communi Patrum & Scholaſticorum more loquendi abhorrentem. 5. *Schismatica*, quæ poteſt generare diſſenſionem ab Eccleſia. 6. *Scandaloſa*, quæ dat occaſionem errandi in materia fidei, vel morum. 7. *Temeraria*, quæ in materia fidei, vel morum ſine fundamento adverſatur communi Theologorum ſententiæ.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE SPE, ET CHARITATE.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Spes, quodnam ejus objectum, & quomodo neceſſaria?

N. 1. Sperare eſt optare ſibi aliquod, bonum & confidere ſe illud obtenturum? hinc ſpes dicit duos actus, deſiderium efficax, & confidentiam, ſive erectionem animi ſibi quaſi ſpondentis, quod bonum illud ſit obtenturus.

N. 2. Objectum ſpei: 1. debet eſſe ***bonum***, mala einm non ſperantur; ſufficit eſſe bonum apparens, ſive honeſtum, ſive delectabile, ſive utile: 2. debet eſſe ***proprium***, id eſt: aliquo modo pertinens ad ipſum ſperantem; ſpes enim eſt amor concupiſcentiæ: 3. ***abſens:*** *ſpes* enim, ait Apoſtolus, (a) *quæ videtur, non eſt ſpes;* 4. ***arduum***, id eſt: cum aliqua difficultate adipiſcibile; nemo enim dicitur ſperare id, quod pro libitu habere poteſt: ***poſſibile ſaltem in apprehenſione ſperantis, & probabiliter futurum;*** alias enim voluntas poteſt quidem illud deſiderare, non tamen erigi ad tale bonum per media quamvis ardua conſequendum.

(39) *D.* 1. Spes Theologica ***habitualis*** eſt ***virtus Theologica ſupernaturalis a Deo infuſa, qua voluntas fertur in Deum, quatenus eſt beatitudo noſtra, ex fideliſſima promiſſione divina per media ordinata obtinenda: actualis*** eſt ***deſiderium efficax cujuſcunque boni ſupernaturalis ardui a Deo promiſſi cum certa fiducia & animi ere-***

(a) *Rom.* 8. *v.* 24.

erectione ad illud obtinendum. Dr. efficax; id eſt: voluntas ſeria applicandi media opportuna: quia voluntas inefficax beatitudinis, vel ſimplex complacentia poteſt ſtare cum deſperatione. *Dr. boni ſupernaturalis;* hoc eſt, conducentis ad vitam æternam. *Dr. ardui;* beatitudo enim eſt ardua & difficilis ſine ſupernaturali auxilio non conſequibilis. *dr. a Deo promiſſi:* quia ſicut nihil poteſt fide divina credi, niſi ſit revelatum, ſic nihil ſperari, quod non eſt a Deo promiſſum. *Dr. certa cum fiducia;* quia ſpes ſupponit fidem, qua quis certo credit, quantum eſt ex parte auxiliorum Dei, ſe rem promiſſam conſecuturum; ex hac fide oritur confidentia, animi erectio, & promptitudo ad ſuperandas cum auxilio Dei quascunque occurrentes difficultates; *ſpes* enim *non confundit*, ait Apoſtolus (a): quia tamen promiſſio eſt conditionata ſub conditione noſtræ cooperationis, ſi non ponatur a nobis culpabile impedimentum, ideo ex hac parte ſpes noſtra non eſt certa, & merito timemus.

(40) *D.* 2. Objectum materiale ſpei divinæ primarium eſt Deus a nobis beatifice poſſidendus mediante ſcilicet viſione & fruitione: ſecundarium ſunt media ad beatitudinem conſequendam conducentia, a Deo promiſſa, inter quæ præcipua ſunt remiſſio peccatorum, gratiæ actuales, & gratia ſanctificans, præſertim in fine vitæ &c.

D. 3. Objectum formale motivum ſpei, ut eſt deſiderium, eſt bonitas Dei reſpectiva, ſeu Deus, in quantum eſt ſummum bonum noſtrum volens, & potens nos æternum reddere beatos; ſic enim pertinet ad amorem concupiſcentiæ, quæ fertur in bonum, ut eſt bonum amantis. Prout vero ſpes eſt fiducia & erectio animi ac certa rei promiſſæ exſpectatio, eſt omnipotentia divina, qua poteſt dare promiſſa, & ſumma fidelitas,

(a) *Rom.* 5. *v.* 5.

litas, qua certo dat; promiſſio vero habet ſe reſpectu ſpei, ſicut revelatio reſpectu fidei. *Ratio eſt:* quia omnipotentia & fidelitas poſſunt, & debent nos movere ad firmiſſime ſperandum: & ſi alterutrum deeſſet, non eſſet firmiſſima ſpes noſtra.

(41) *D.* 4. Spes habitualis eſt omnibus tam parvulis, quam adultis neceſſitate medii neceſſaria in ordine ad æternam ſalutem. *Ratio hujus eſt:* quia nemo ſalvatur, qui non eſt in gratia ſanctificante, quæ non ſeparatur ab habitu ſpei. Actualis eſt adultis ratione utentibus neceſſaria neceſſitate medii. Conſtat ex illo Apoſtoli (a). *Spe ſalvi facti ſunt.* Hinc Tridentinum inter actus adultorum ad juſtificationem ſimpliciter prærequiſitos actum ſpei recenſet.

D. 5. Sicut fides a Deo ut Remuneratore omni homine ratione utenti eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſic & ſpes remunerationis; quia textus Apoſtoli: *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, de fide ſimul & ſpe intelligitur.

D. 6. Actus ſpei inſuper eſt neceſſarius neceſſitate præcepti tam affirmativi, quam negativi. Primum conſtat ex propoſitione hac (b) damnata: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore* &c. Præterea in Scriptura (c) exprobatur impiis, quod non ſperaverint mercedem juſtitiæ &c. *Deinde* homo tenetur adhibere media neceſſaria ad ſalutem, ex quibus unum eſt actus ſpei. *Denique* ratio naturalis dictat, hominem debere tendere in finem ſuum ultimum cognitione & affectu: *primum* fit per fidem, *ſecundum* per ſpem & charitatem; fide enim cognoſcimus finem ultimum, ſpe exſpectamus, charitate conjungimur illi. *Ratio ſecundi eſt:* quia Deo tanquam fini ſuo ultimo nunquam velle conjungi, nec ſe erigere ad ſuperandas difficultates, dum Deus ſuum ad-

(a) *Rom.* 8. (b) *ab Alexandro VII. Vid. ſup. Num.* 21.
(c) *Sap.* 2. *v.* 22.

addixit auxilium; eſt quidam contemptus finis ultimi, omnipotentiæ, fidelitatis, & promiſſionis divinæ.

(42) *Præceptum negativum* eſt duplex: *unum* de non deſperando, quod repugnat miſericordiæ & fidelitati: *alterum* de non præſumptuoſe ſperando, quod repugnat modo vel conditioni, ſub qua Deus vult a nobis ſperari beatitudinem. *Negativum* obligat ſemper & pro ſemper, ſicut & alia præcepta negativa. De *affirmativo* diſcurrendum eſt, *ut ſupra de fide* (a). Igitur *per ſe* obligat ſub initium uſus rationis, dum æterna & ſupernaturalis beatitudo ut a Deo promiſſa ſufficienter proponitur cum obligatione ſperandi: in articulo & morali periculo mortis: in gravi tentatione non aliter ſuperanda: dum quis lapſus eſt in deſperationem: & probabilius ſæpius in anno; quia homo viator tenetur ſerio tendere ad beatitudinem, quod nequit ſine ſpe. *Per accidens* obligat, dum urget præceptum, quod ſine actu ſpei impleri non poteſt, ſicut non poteſt elici attritio V. G. Interim huic præcepto facile ſatisfit, qui enim Chriſtiane vivit, pia opera exercet, habet ſpem ſaltem virtualem; quia hæc vix aliter fiunt, quam ex intentione quadam conſequendi beatitudinem, prout ſupra (b).

(43) *Obſ.* 1. Ad ſpem reducuntur complacentia, gaudium de beatitudine ſibi promiſſa; de mediis ad eam conſequendam; item timor, fuga, dolor, & deteſtatio eorum, quæ beatitudinem impediunt, prout impedit peccatum; pro quo

Obſ. 2. Timor hic alius dicitur *mundanus*, vi cujus temporale damnum plus timetur, quam peccatum. Aliud eſt timor *ſervilis*, quo peccatum vitatur, ne pœna incurratur, & hic alius eſt *pure*; ſeu *ſerviliter ſervilis*, quo quis quidem timet peccare propter pœnam, eſt tamen ſic conſtitutus, ut peccaret, ſi pœna

non

(a) *Num.* 21. (b) *Num.* 18.

non adeſſet, & hic, ſicut prior, eſt malus, quia ſtat cum affectu ad peccatum. Alius non *pure ſervilis,* quo quis timet peccare propter pœnam, ſed ita, ut vi hujus timoris revera excludat omnem affectum ad peccatum, & hic honeſtus eſt, de quo, *ubi de dolore.* Alius eſt *timor filialis,* quo timetur peccatum, quia eſt offenſa Dei, qui etiam dicitur timor *caſtus, reverentialis, ingenuus:* quia proprium eſt ingenui filii, & caſtæ uxoris fugere offenſam patris vel mariti. *Denique* alius dicitur timor *initialis,* quo quis fugit peccatum partim propter pœnam, partim propter Dei offenſam; *dr. initialis;* quia ſolet eſſe initium converſionis, & diſponit ad timorem filialem.

Reſ. Certum eſt dari præceptum de timore tum filiali, tum ſervili; de filiali intelligendum eſt illud (a). *Quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas eum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?* de ſervili illud (b): *Eum timete, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennam;* attamen videtur non eſſe ſpeciale præceptum; quis enim unquam ſe accuſavit de omiſſione timoris? & licet foret, illi ſatisfit, dum ex amore Dei vel metu gehennæ quis abſtinet a peccato, vel ideo de peccatis dolet.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint Peccata ſpei oppoſita?

Spei per defectum opponitur deſperatio, quaſi per exceſſum præſumptio. De quibus

(44) *D.* 1. Deſperatio eſt *voluntaria abjectio omnis ſpei obtinendæ beatitudinis, eoquod appareat impoſſibilis, vel nimis difficilis, vel nunquam futura. dr. voluntaria;* ut excludantur motus involuntarii ex nimio

(a) *Deuteronom.* 10. *v.* 12. (b) *Matth.* 10. *v.* 28.

mio timore, ex complexione melancholica, vel dæmonis tentatione provenientes, ad quod debet advertere Confeſſarius. *dr. abjectio*, quia deſperatio non eſt mera omiſſio actus ſpei, etiam dum præceptum urget, ſed eſt poſitiva nolitio, & receſſus a proſecutione beatitudinis. *dr. omnis ſpei;* qui enim aliquam adhuc, licet modicam ſpem & conatum obtinendæ beatitudinis retinet, nondum deſperat.

D. 2. Deſperatio eſt peccatum mortale, & quidem ex toto genere; quia directe opponitur divinæ omnipotentiæ, fidelitati, miſericordiæ, quibus gravem irrogat injuriam; eſt tamen ſecundum ſe levius odio Dei & infidelitate, quia hæc opponuntur Deo ſecundum ſe, deſperatio in ordine ad nos: eſt tamen periculoſior, quia ſpe excluſa homines in quævis crimina ſe præcipitant, donec tantum conſcientiæ reatum ferre non valentes ſibi ipſis mortem inferant.

D. 3. Deſperatio ſæpe conjuncta eſt cum infidelitate, ut ſi procedat ex judicio contra fidem V. G. quod Deus illi non poſſit parcere, eum non velit ſalvare, peccata ſua vincant Dei miſericordiam, quod non ignoſcet, etſi ſe diſpoſuerit: & ſæpe eſt ſine infidelitate, ut ſi judicet ſalutem ſibi eſſe impoſſibilem propter proclivitatem ſuæ naturæ ad peccandum, vel deſperet ex hoc judicio: nunquam me diſponam, non amplius Deus mihi parcet, non dabit mihi auxilia efficacia, non perſeverabo &c. Peccat quidem graviter diffidendo bonitati divinæ, & abjiciendo conatum ad ſalutem, ſed hæreticus ex hoc non eſt: non enim eſt revelatum, quod Deus ſit daturus gratiam efficacem, ſed quod dare poſſit, quod velit, ſi &c. Unde in confeſſione interrogandus eſt pœnitens, ex quo judicio, vel motivo deſperaverit, ut videatur, an unum ſit, vel duplex ſpecie peccatum.

(45) *D.* 4. Præſumptio eſt *inordinata fiducia obtinendi a Deo beatitudinem vel auxilia gratiæ*; hoc eſt: aliter ac ille ſtatuit, quod fit: 1. ſi ſperet conſequi beatitudinem viribus naturæ. 2. ſi ſperet conſequi ſine bonis operibus, ſola fide fiduciali, utraque eſt hæreticalis: vel 3. ſi facilitas veniæ conſequendæ ſit ipſi ratio multiplicandi peccata, ac differendi pœnitentiam ad finem vitæ.

D. 5. Præſumptio etiam non hæreticalis eſt peccatum mortale; quia eſt contemptus gravis bonitatis divinæ, dum ea quis abutitur ad liberius peccandum: eſt tamen minus grave, quam deſperatio; quia per hanc quis omnino recedit a Deo, per præſumptionem tendit in Deum, licet inordinate: interim maxime perniciosa; quia laxat habenas ad multiplicanda peccata. Communius dicitur, in ea non dari parvitatem materiæ; videtur enim gravis irreverentia, abuti divina miſericordia ad peccandum, etiam venialiter tantum.

Reſ. 1. Contra ſpem peccat. 1. Qui rebus terrenis ita adhæret, ut interpretative ſit paratus, relicto cœlo illis perpetuo frui, ſi poſſet, etſi, cum id fieri non poſſe ſciat, adhuc aliqualiter deſideret beatitudinem. 2. Qui ex diffidentia quadam de gratia & bonitate Dei optat, ſe nunquam fuiſſe natum, aut modo annihilari. 3. Qui plane deſperat de emendatione vitæ ſuæ, malæque conſuetudinis valde radicatæ, qua ſalus impediatur. 4. Qui licentioſius vivit, ſæpius & liberius peccat: quia facile eſt confiteri & obtinere veniam. 5. Qui differt pœnitentiam usque ad finem vitæ ſatis tunc adhuc maturum ſibi blandiens; abutuntur enim Dei bonitate cum ejus gravi injuria.

Reſ. 2. Qui timet, aut putat ſibi difficilem eſſe remiſſionem peccatorum ob nimiam eorum V. G. enormitatem, per hoc non peccat; revera enim remiſſio ex parte hominis eo eſt difficilior, quo graviora commi-

 ſit;

ſit; ſi tamen ideo abjiciat omnem ſpem & conatum ad ſalutem, peccat peccato deſperationis.

Reſ. 3. Qui pergit peccare ideo, quia confidit miſericordiam Dei æque facile remiſſuram plura peccata, quam unum: eſt præſumptio: ſi ideo, quia erubeſcentia eadem, vel labore poteſt confiteri plura, ſicut unum, rurſus eſt præſumptio, quia peccat ex confidentia in Dei miſericordiam multiplicando peccata.

Reſ. 4. Si ratio peccandi non ſit confidentia in Dei miſericordiam, ſed nimia V. G. objecti delectabilitas, aut quid ſimile V. G. ex tædio orandi omittit Breviarium, differt pænitentiam, quia nimis difficile eſt confiteri, abſtinere a peccatis, quamvis ſimul credat, & ſperet ſe ex poſt veniam impetraturum, non eſt præſumptio; eſt tamen negligentia graviter culpabilis. Ad præſumptionem reducitur Dei tentatio, *de qua alibi.*

(46) *D.* 6. Habitus infuſus ſpei directe tollitur per peccatum mortale deſperationis, & omne aliud ſpei directe oppoſitum ut ſunt: poſitivum & efficax odium beatitudinis formalis; ejus contemptus, nolitio mediorum neceſſariorum, & ſimiles actus; quia hi excludunt motivum ſpei. Non amittitur per omiſſionem actus ſpei graviter culpabilem, nec per præſumptionem, ſi non adſit formalis infidelitas; quia præſumptio relinquit motivum ſpei, nec reddit hominem inhabilem ad ſperandum. Ita cum communiſſima Theologorum docet *Billuart* in Terminis T. de Spe. D. Uni. §. 2. dico: hinc non video, quomodo ab Ampl. adverſario meo adduci potuerit pro ſententia oppoſita, pro qua & citatur *P. Henno*, qui de hoc nihil habet. Nec per inefficacem diſplicentiam beatitudinis. Indirecte tollitur quovis peccato infidelitatis fidem

dem deſtruente: quia ſublata fide velut fundamento conſecutive pereunt cæteræ virtutes per ſe infuſæ.

QUÆSTIO III.

(47) *Quid ſit charitas, & quomodo obliget?*

D. 1. Charitas habitualis eſt *virtus Theologica ſupernaturalis, qua quis diligit Deum tanquam ſummum bonum propter ſe, ſe ipſum vero & proximum propter Deum. dr. diligit Deum;* quia Deus eſt objectum materiale primarium, ſecundarium nos ipſi & proximus; quia per virtutem Theologicam charitatis nobis & proximo bonum volumus propter Dei bonitatem, quia hoc Deo bonum eſt, quatenus major Dei æſtimatio & gloria inde extrinſeca conſurgit, quam Deo volumus propter infinitam ſuam bonitatem abſolutam, qua in ſe Summum bonum eſt, & hoc ipſo omni amore digniſſimus, quæ infinita Dei bonitas eſt objectum formale motivum charitatis. *dr. diligit,* intellige: amore benevolentiæ, quo ipſi bene vult favendo ipſi perfectiones ſuas intrinſecas, & bona extrinſeca, ut laudem, amorem a nobis & creaturis, de his gaudendo, illi congratulando, optando, ut nullus ipſum offendat, omnes eum ament &c. Non autem ſufficit diligere Deum, ut nobis bonus eſt; hic enim amor eſt concupiſcentiæ ad ſpem pertinens, charitas amor eſt benevolentiæ & amicitiæ, quo bona illa volo amico, quia illi bona ſunt.

(48) *D.* 2. Charitas actualis eſt *amor benevolentiæ, quo Deo, nobis & proximo volumus bonum, quia Deo bonum eſt.*

Reſ. 1. Amare proximum propter Deum nihil aliud eſt, quam proximo velle bonum propter bonitatem Dei V. G proximo velle, ut in Deo ſit, ut illi tanquam fini ultimo adhæreat, indeque Deus ametur,

laudetur, glorificetur propter infinitam ejus bonitatem & perfectionem, ſicque patet, quod ratio formalis diligendi proximum ſit infinita Dei bonitas propter ſe amabilis. Imo, qui amat Deum, amat proximum; vult enim Deo omne bonum, conſequenter, ut ab omnibus ametur, colatur &c., quod eſt ſimul amare proximum.

Reſ. 2. Per proximum intelligitur omnis creatura rationalis capax beatitudinis, quales ſunt Chriſtus, Beatiſſima Virgo, Angeli boni, Beati in cœlo, animæ in purgatorio, omnes viatores etiam infideles, mali & inimici noſtri; quia ſunt beatitudinis capaces: & poſſumus moti a bonitate Dei illis bene velle, ut Deus ab iis ametur, laudetur &c.; quia ob ſummam bonitatem ſuam dignus eſt: non autem dæmones & damnati, quia ex decreto Dei ſunt incapaces beatitudinis: nec creaturæ irrationales.

(49) *D.* 3. Charitas habitualis eſt omnibus etiam parvulis neceſſitate medii neceſſaria; quia vel eſt eadem realiter cum gratia ſanctificante, vel ſaltem neceſſario connexa. Adultis ratione utentibus etiam actus charitatis eſt neceſſitate medii neceſſarius: dicitur enim (a): *omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognovit Deum, qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas eſt.* Debet autem hic actus eſſe ſupernaturalis: 1. Ex parte principii, quatenus a gratia ſaltem actuali procedit. 2. Ex parte objecti materialis reſpiciens Deum ut authorem & finem ſupernaturalem. 3. Ex parte objecti formalis: quatenus fertur in Deum ob ipſius bonitatem in ordine ſupernaturali per fidem ſupernaturalem propoſitam.

(50) *D.* 4. Datur ſpeciale præceptum charitatis non tantum negativum, nunquam odio habendi Deum; ſed & affirmativum graviter obligans ad amandum Deum

(a) 1. *Joan.* 4.

Deum ſuper omnia amore benevolentiæ propter ſe. Exprimitur hoc (a): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* (b) *Hoc eſt primum & maximum mandatum &c.* Si primum, ſi maximum: ergo ab aliis diſtinctum. *Deinde* recta ratio dictat Summum bonum eſſe ſumme amandum.

D. 5. Tenemur Deum diligere ſuper omnia objective, quia nullæ creaturæ poſſumus licite tantum bonum velle, quantum Deo, qui omnes ſimul infinite ſuperat: item *appretiative*, hoc eſt: ita æſtimare & quaſi pretio habere Deum, illique affici, ut mallemus omnia & nos ipſos potius perdere, quam Deum & ejus amicitiam per mortale amittere: & hoc eſt Deum diligere ex toto corde, ex tota anima &c. Hinc nihil Deo præferri poteſt aut æquiparari absque ejus injuria. Amor Dei cum tali appretiatione efficaci, licet in ſe remiſſus, ſufficit ad obſervantiam mandatorum Dei, quæ eſt perfectiſſimum divinæ dilectionis teſtimonium; *hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus* (c). Ideo non tenemur Deum diligere ſuper omnia intenſive, hoc eſt: conatu intenſiore, ut volunt quidam rigoriſtæ; ſic enim 1. graviter peccarent parentes, qui intenſius diligunt proprios filios, intenſius dolent de illorum amiſſione, quam de peccato, quod nimis durum eſt, & contra communem ſenſum fidelium; quia ſenſibilia magis movent. 2. Si homo in actu amoris Dei deberet habere certam intenſionem, jam plerumque neſciret, an ſatisfaceret ſuæ obligationi, quod eſt nimis grave, & plurimorum occaſio ſcrupulorum. 3. Si teneretur diligere Deum majori fervore, quam quodlibet aliud, ut dicunt, jam mater amans Deum ut ſex, filium ut ſeptem, non impleret hoc præceptum, alia amans Deum ut duo & filium;

(a) *Deuter.* 6. *v.* 5. (b) *Matth.* 22. *v.* 38.
(c) 1. *Joan.* 5. *v.* 3.

filium, ut unum impleret; quia prima intenſius amat filium, quam Deum, ſecunda econtra; quod patet eſſe abſurdum, nam prima intenſiorem habet actum amoris erga Deum, & amor ille filii de ſe malus non eſt, ut ſuppono, ac omnino per accidens ſe habet.

Ob. 1. (a) *Qui amat patrem aut matrem plùs, quam me, non eſt me dignus.* ℞. *d.* plus intenſive. *n.* appretiative. *c.*

Inſt. 1. Tenemur Deum diligere ex toto corde, totis viribus. ℞. 1. *retorq.* tenemur credere *ex toto corde* (b), & tamen nemo dixit requiri certam intenſionem in fide. ℞. 2. *n. c.* diligere Deum ex toto corde &c. eſt ipſum diligere appretiative ſuper omnia, ita, ut nihil amori ejus præponatur.

Inſt. 2. Deus meretur plus intenſive amari, quam creatura, & hoc dictat recta ratio. ℞. 1. Meretur continuo amari, ergo tenemur. ℞. 2. Hoc eſſe conſilii, non præcepti; nam leges ſunt de rebus moraliter poſſibilibus, ne operans ſit in continua anxietate. Recta ratio tantùm præcipit, ut excludatur omnis affectus malus contra Deum.

Ob. 2. Qui intenſius amat creaturam, quam Deum, fortius alligatur creaturæ, quam Deo: ergo non amat Deum appretiative ſuper omnia.

℞. *N. aſſ.* Poteſt enim mater aliqua adeo tenere amare infantem, cujus oſculis, amplexibus, curis occupata eſt, ut nihil videatur amplius diligere; ſi tamen daretur optio, an infantem vel maritum velit perdere, mox, ſi prudens ſit, adhærebit marito, relicto infante: hæc eſt ſimilitudo S. Franciſci Saleſii. Et ita ſe habet homo, qui creaturam intenſius diligit, quam Deum, modo hunc ſincere diligat.

Reſ. Appretiatio vel comparatio Dei cum creaturis non debet eſſe reflexa & explicita, imo ſæpe periculo-

(a) *Matth.* 10. *v.* 37. (b) *Actor.* 1. *v.* 37.

culoſum eſt reflectere ad alia objecta diligibilia, *de quibus, ubi de contritione.*

(51) *D.* 6. Hoc præceptum obligat *per ſe:* 1. Sub initium uſus rationis, ſi adſit ſufficiens notitia Dei ut infinite propter ſe amabilis ſuper omnia; quia recta ratio dictat tunc Deum eſſe propter ſe ſuper omnia diligendum, omnia in eum ut ultimum finem eſſe referenda, ita ut peccaret graviter, qui tunc differret ad longum tempus, quale non ſunt aliqui dies, forte nec hebdomadæ. 2. In fine vitæ adveniente articulo aut probabili periculo mortis; congruum enim eſt, ut tunc homo per amorem perfectum ad illum ſe referat, cui æterno amore in cœlo conjungi deſiderat; *deinde* ut ex amore ſui & Dei medio facili ac ſecuriſſimo ſaluti conſulat, ſicque defectum Sacramentorum baptismi & pœnitentiæ, ſiquis forte intervenerit, ſuppleat. 3. Sæpius in vita, non ſingulis ſolum quinquenniis ob propoſitionem damnatam (a) & probabilius ſæpius in anno, *de quo ſupra. Per accidens* obligat, quoties tenemur juſtificari deficiente Confeſſario; tunc enim tenemur ad contritionem perfectam, quæ eſt ſaltem virtualiter actus charitatis: inſuper quando quis judicat, id hic & nunc ſibi eſſe neceſſarium ad vincendam gravem tentationem; qui enim tenetur ad aliquem finem, eo ipſo tenetur ad media in eum finem neceſſaria.

Reſ. 1. Parentes, Parochi, & ſimiles ſub peccato gravi tenentur, pueros, aliosque rudes ad captum docere modum eliciendi actum charitatis Dei ſuper omnia, ad hunc ſæpe eliciendum excitare, iis amorem virtutum, & horrorem peccati a pueritia inſtillare.

Reſ. 2. Licet optimum ſit ſæpe elicere actum perfectæ charitatis, qui tamen eſt bonæ voluntatis, non debet angi, an huic præcepto ſatisfaciat; qui enim

 attente

(a) *Vid. ſup. pag.* 30.

attente & devote recitat orationem Dominicam: *Sanctificetur nomen tuum*, elicit actum formalis charitatis; hoc enim non eſt aliud, quam velle, quod nomen Dei ubique, & ab omnibus habeatur ſanctum, & glorificetur. Idem eſt, dum tentationi reſiſtit, a mortalibus abſtinet: quia graviter diſplicent Deo ſumme bono, aut quia repugnant infinitæ ejus bonitati, dum bona opera exercet, ut Deo placeat, &c.

Habitus charitatis amittitur per quodvis peccatum mortale: quia tollit amicitiam cum Deo.

QUÆSTIO IV.

(52) *An, & qualiter teneamur diligere nos ipſos, & proximum.*

D. 1. Datur præceptum ſpeciale charitatis diligendi ſe ipſum, & proximum actu in- & externo, amore benevolentiæ propter Deum, ſicut nos. Patet ex ſcript. loc. cit. (a) *Secundum autem eſt ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, & alibi ſæpe. In quo præcepto implicite continetur præceptum negativum nunquam odio habendi proximum. *Deinde* in nobis & proximo relucet idem motivum. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc (b): *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Igitur non ſufficit proximum diligere actu externo V. G. ſubveniendo in neceſſitate, ſed requiritur actus internus, quo ei bene velimus, optemus bonum &c. Jubemur enim *Joan.* 23. proximum diligere, ſicut Chriſtus nos dilexit.

Reſ. 1. Tenemur diligere omnes in univerſali, nullo excepto nequidem inimico, non in particulari; hoc enim eſt impoſſibile, & nullibi præceptum, niſi illos, quibus hic & nunc ſuccurrere debemus, vel in quos

(a) *Matth.* 22. *v.* 38. (b) *Prop.* 10.

quos odium deponi non poteſt, niſi actu interno diligantur: imo eſt de neceſſitate ſalutis, (inquit D. Thomas) ut homo habeat animum paratum habitualiter, quod in particulari diligeret, ſi neceſſitas occurreret.

Reſ. 2. Hoc præceptum obligat 1. quando eſt periculum odii proximi. 2. Dum tenemur proximo reconciliari. 3. Quando ſperamus impium precibus noſtris eſſe convertendum, imo tenemur ſemper eſſe in animo parati ad ſuccurrendum proximo, ubi fuerit opus.

Reſ. 3. Facile iterum huic præcepto ſatisfacimus; qui enim eſt bonæ voluntatis, habet animum ſuccurrendi proximo, ubi neceſſe fuerit, orat pro proximo, gaudet, quod illi bene ſit, facit, quæ ipſi placent, vitat, quæ diſplicent &c.

D. 2. Ordine charitatis poſt Deum ſuper omnia & præ omnibus diligendum quilibet tenetur 1. diligere ſe ipſum quoad bona ſpiritualia neceſſaria, ut ſunt gratia Dei & gloria, vitatio peccati; hinc illa nobis magis velle, ſtudioſius procurare, quam ulli alteri tenemur. Patet ex illo (a): *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur &c.?* 2. Proximum quoad eadem bona. 3. Seipſum quoad bona corporis. 4. Proximum quoad eadem bona. 5. Se ipſum ſecundum bona temporalia ac dein proximum. Ita communiter cum D. Thoma. *Ratio eſt:* quia dilectio, qua quis ſe ipſum diligit, eſt exemplar dilectionis proximi. *Deinde* motivum diligendi proximum eſt, quod nobis ſit conjunctus, nobiſcum capax beatitudinis, ſed quilibet eſt ſibi ipſi magis conjunctus: ergo charitas, quæ debet eſſe ordinata, incipit a ſe ipſo. Hinc illud (b): *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum,* non

(a) *Matth.* 16. *v.* 26. (b) *Matth.* 22. *ſup.*

non ſignificat æqualitatem, ſed ſimilitudinem, ut ſerio & ſincere fiat. Pro ſequentibus

(53) *Obſ.* Neceſſitas tum ſpiritualis, tum temporalis eſt triplex: extrema, gravis, communis. *Spiritualis extrema* eſt, ſi proximus ſit in æternum periturus, niſi adjuvetur, V. G. infans moriturus ſine baptismo, aut Peccator valde rudis ſine confeſſione. *Gravis* eſt, ſi ſine adjutorio poteſt abſolute ſalvari, ſed valde difficulter, ut V. G. inveteratus peccator per contritionem perfectam. *Communis* eſt, in qua communiter verſantur peccatores. *Extrema corporalis* eſt, quando ipſa vita periclitatur, ut ſi certo vel probabiliſſime timeatur mors vel malum æquivalens, V. G. amiſſio membri principalis, pedis, brachii, oculorum, injuſtus & perpetuus carcer, duriſſima captivitas, morbus incurabilis &c. *Gravis* eſt, quando prudenter timetur grave malum, ut gravis morbus, magna ſui vel familiæ infamia, amiſſio honeſti ſtatus juſte acquiſiti. *Communis* eſt, quando aliquod incommodum in neceſſariis ad vitam juxta ſtatum patientis adeſt: in tali ſunt plerique pauperes oſtiatim mendicantes.

Reſ. 1. Nullius amore aut mali avertendi cauſa licitum eſt admittere minimum peccatum, aut ſe exponere periculo proximo peccandi etiam venialiter tantum, cum hoc ſit vere peccare. Aliud eſt de periculo remoto peccati etiam mortalis; quia hoc vitare non ſemper poſſumus.

Reſ. 2. Quoad bona ſpiritualia non neceſſaria, ut V. G. augmentum gratiæ, poſſumus licite ea omittere pro ſalute proximi, imo quandoque eſt obligatio, exigente proximi neceſſitate: nec per hoc quis perdit meritum; quia ex hoc fine omittendo exerceo actum charitatis magis meritorium, quam foret opus ipſum,

quod

quod omitto, cujus tamen ob bonam voluntatem mercedem non perdo.

Reſ. 3. Quisque tenetur proximo in neceſſitate ſpirituali extrema conſtituto ſuccurrere etiam cum certo vitæ periculo, modo adſit certa ſpes illum juvandi, neque aliud æquale vel gravius damnum ipſi vel tertio immineat V. G. teneris cum vitæ periculo baptizare infantem moriturum, ſi alius non adſit, qui faciat: item peccatori notorio in articulo mortis adeo rudi, ut neſciat elicere contritionem perfectam, tenetur Sacerdos etiam ſimplex ſuccurrere beneficio abſolutionis cum vitæ periculo; debemus enim pro fratribus animam ponere. Ad hoc tamen te non obligat charitas in neceſſitate tantum gravi, poteſt enim adhibita diligentia ſe ipſum juvare: nec charitas exigit, ut me morti exponam pro eo, qui abſolute ſe liberare poteſt, & cujus ſpecialiter curam non ſuſcepi; teneor tamen cum periculo quorundam bonorum temporalium, hoc enim exigit charitas.

Reſ. 4. Quibus ex officio incumbit cura animarum, ut eſt V. G. Parochus, etiam iis incumbit obligatio juſtitiæ non tantum in extrema, ſed & in gravi neceſſitate ſuccurrendi ſaluti ſuorum cum periculo vitæ ob virtualem contractum; niſi forte vita Paſtoris pluribus foret neceſſaria, & ita communitas pateretur, ſi uni cum periculo vitæ ſuccurreret.

Reſ. 5. Si homo privatus ſit in extremo periculo vitæ, licitum eſt adire periculum probabile vitæ pro vita illius conſervanda; quia certa mors alterius eſt majus malum, quam probabile periculum vitæ propriæ; ad hoc tamen non teneris; quia nimis durum eſt hominem obligari ad exponendam vitam ſuam gravi periculo pro ſervanda vita alterius privati. Aliud eſt, dum agitur de ſalute reipublicæ; quia pars pro toto exponenda eſt.

(54) *Reſ.* 6. Probabilius *per ſe loquendo* eſt licitum in pari neceſſitate vitam propriam exponere pro conſervanda aliena, V. G. potes defendere proximum contra latronem, quamvis prævideas te occidendum, potes in naufragio alteri permittere tabulam, qua te ſalvares; quia tunc non amas plus proximum, quam te, ſed bonum heroicæ virtutis plus, quam vitam tuam, nec hanc tibi directe tollis, ſed tantum non ſervas amore virtutis. Quod magis tenet, ſi concurrat aliud motivum V. G. pietatis erga parentes, fidelitatis erga Dominum. *Dixi: per ſe;* ſi enim habeas familiam vita tua indigentem, ſi oneratus ſis debitis alias non ſolvendis, ſi prudenter diffidas de ſtatu gratiæ &c. certum eſt non licere.

Reſ. 7. Non potes tamen tabulam jam poſſeſſam, qua te ſalvares, dare alteri, ſi prævideas te certo ſubmergendum; quia jam in tabula conſtitutus eras extra periculum, in quod ſi te directe reingeras, moraliter tibi vitam directe tollis, ut alteri ſerves, quod eſt illicitum.

Reſ. 8. Si latro te invadat, quamvis credas te eſſe in gratia, non teneris permittere te occidi, quia latro non eſt in extrema neceſſitate ſpirituali, ſed in malitia, a qua poteſt ſe liberare, ſi velit: idem eſt, ſi invadens ſit phræneticus vel ſimilis; quia nimis durum eſt ſic imparatum trudi in æternitatem.

Reſ. 9. Si Sacerdos ſimul vocetur ad baptizandum infantem & ad abſolvendum agonizantem, quorum alter certo morietur abſque Sacramento, ſi adeſt laicus, qui baptizare poteſt, debet ipſe mitti ad infantem; ſi nemo adeſſet, qui baptizet, debet præferri infans; hic enim certo peribit, adultus poſſet ſe juvare per contritionem perfectam, ſi ſit in peccato mortali, & quamvis ſe juvare non poſſet, utpote non inſtructus in myſteriis fidei, adhuc infans eſt præferendus; quia

hic

hic certo juvabitur, adultus dubie tantum. Cæteris autem paribus præferendi ſunt, quibus opera noſtra certo eſt profutura, quam quibus tantum probabiliter, aut dubie.

(55) *D.* 3. Quoad proximos inter ſe ſervandus eſt hic ordo: in neceſſitate extrema 1. locum habet Pater. 2. Mater, quia poſt Deum vitam ab illis habemus & principaliter a patre. Illud autem: *dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, intelligitur quantum ad cohabitationem. 3. Proles. 4. Uxor. 5. Fratres & ſorores. 6. Conſanguinei & affines juxta ordinem graduum, ita tamen, ut in paritate gradus conjunctio. *Denique* extranei & benefactores præ non talibus, fidelis præ infideli, juſtus præ peccatore. Extra neceſſitatem extremam & præſertim in communi & obvia. 1. Succurrendum eſt uxori, quia civiliter eſt una perſona cum marito. 2. Prolibus, quia habent jus accipiendi alimenta a parentibus. 3. Parentibus, & ſic conſequenter.

Reſ. 1. Hæc omnia intelligenda ſunt in neceſſitate pari, & per ſe; ſi enim propinquus graviter violaſſet jura propinquitatis, ſecluſo malo affectu poſſet præponi amicus ſincerus.

Reſ. 2. Obligatio ſervandi hunc ordinem ex genere ſuo eſt gravis, poteſt tamen eſſe levis ſaltem in remote propinquis, vel ubi non eſt notabilis exceſſus unius ſuper alium; & in praxi ſæpe occurrunt circumſtantiæ, ob quas prudenter poſtponitur magis conjunctus.

QUÆSTIO V.

(56) *An, & qualiter teneamur diligere inimicos?*

D. 1. Tenemur inimicos non tantum non odiſſe, *de quo infra*, ſed & poſitive amare actu in- & exter-

externo. Patet id ex Script. (a) *Diligite inimicos veſtros. Benefacite his, qui oderunt vos. Deinde* in inimico manet ratio objectiva charitatis, cum ſit aliquid Dei, & capax beatitudinis: ergo ſicut tenemur diligere omnem proximum, ita & ideo inimicum, non in particulari *per ſe loquendo*, ſed univerſali, ita ut diligens Deum & proximum non excludat inimicum, & animo ſit paratus benefacere illi, ubi neceſſe fuerit. Dum S. Auguſtinus dicit, inimici dilectionem eſſe perfectorum: loquitur de dilectione perfecta, qua extra neceſſitatem aliquis dat ſpecialia ſigna dilectionis.

(57) *D.* 2. Ex ſpeciali præcepto charitatis tenemur *per ſe loquendo* inimico etiam perſeveranti in inimicitia exhibere ſigna charitatis communia, non vero ſpecialia. *Ratio eſt:* quia denegando communia damus aliis & ipſi ſcandalum: merito enim præſumit id fieri ex odio, indeque magis exacerbabitur, & in inimicitia firmabitur; non ſic denegando ſigna ſpecialia. Sunt autem ſigna communia, quæ aliis ejusdem ſtatus ſolemus exhibere, ut quæ civis civi, cognatus cognato, Superior ſubdito & econtra exhibere debet, aut ſolet; quia licet hæc poſſint eſſe ſpecialia ad omnes homines, ſunt tamen communia in ſua claſſe: ſpecialia ſunt, quæ tantum amicis, vel familiaribus exhibentur.

Reſ. 1. Peccat graviter, qui inimicum poſitive excludit a communi oratione. Peccat, qui alloquenti non reſpondet, ſalutantem non reſalutat, poſtulanti merces non vendit: idque graviter vel leviter, prout attenta perſonarum, locorum, aut aliarum circumſtantiarum conditione gravis aut levis reputabitur contemptus.

Reſ. 2. Peccat, qui etiam ex liberalitate omnibus pauperibus occurrentibus vel alicujus oppidi dat eleemo-

(a) *Matth.* 5. *v.* 44.

moſynam, alicui communitati præſtat beneficium, impertit privilegium, excludit autem inimicum; quia non excipitur, niſi quia inimicus eſt, quod eſt efficax ſignum odii, privatæ vindictæ, & excitat ad odium, parit ſcandalum; licet autem hoc ſecundum ſe ſit ſpeciale, attamen hoc ipſo, quod fiat toti communitati, non eſt ſpeciale reſpectu unius membri. Hinc

Reſ. 3. Peccat, qui cognatos omnes invitat ad prandium, inimicum non invitat, quia inimicus eſt, niſi forte aliquod grave malum ex illa invitatione ſequeretur, & tunc bono modo inſinuari deberet, quod non ex odio fieret. Peccat ſimiliter, qui omnes in via obvios, omnes ex vicinia &c. ex conſuetudine ſalutat, ſolo inimico excluſo.

Reſ. 4. Non reſalutare inimicum, a quo primo ſalutaris, eſt per ſe peccatum grave; niſi forte ſit perſona multo vilior, quæ etiam alias non reſalutabatur; quia iterum eſt ſignum odii, & parit ſcandalum.

Reſ. 5. Non ſalutare inimicum poteſt eſſe contra charitatem, ſi antea ſe invicem ſalutare ſolebant, & modo ad tempus ſaltem longum omittant.

Reſ. 6. Non peccat, qui ſpecialiter non orat pro inimico, mæſtum non conſolatur, infirmum non inviſit, pecuniam non mutuat, ad familiare colloquium non admittit &c. quia hæc ſunt ſigna ſpecialia.

(58) *Reſ.* 7. Si adſit juſta cauſa, poſſum ſigna etiam communia, ſecluſa averſione, ad tempus ſubtrahere; ſic Superiores, parentes, & ſimiles poſſunt cauſa correctionis, & ad aliorum exemplum ſubditos in ſe peccantes ab his ſignis excludere: modo non fiat ad longum tempus, ſed quousque videtur prudenter expedire ad correctionem, vel alium finem bonum, & abſit ſcandalum. *Similiter* non peccas ſaltem graviter, ſi te offendenti neges reſponſum, ſalutationem ad breve tempus in ſignificationem juſti doloris, triſtitiæ,

ſtitiæ, vel ne videaris parvi æſtimare gravem injuriam, vel ne alius ideo fiat protervior, vel ſi prævideatur ex hac negatione agniturus ſuum errorem: ſi ex aſpectu aut colloquio cum inimico timeas, ne injuriarum recordatio, major commotio, aut novæ rixæ inſurgant; deberet tamen tunc innoteſcere, id non denegari ex odio. *Denique* ſi cauſa offenſæ fuerit levis; quia tunc non præſumitur oriri ex gravi odio, ſed ex naturali paſſione, quod præſertim tenet in mulieribus.

(59) *Reſ.* 8. Per accidens tenemur etiam ſigna ſpecialia exhibere. 1. Si inimicus veniam debito tempore & modo petat. 2. Si ejus neceſſitas ſaltem gravis ita exigat; ſi enim tunc non fiat, erit ſignum interni odii, & grave ſcandalum tum aliis, tum ipſi inimico, qui inde magis exacerbabitur, & in inimicitia obfirmabitur. 3. Si per ea ſine tuo gravi incommodo poſſis eum tibi & Deo reconciliare; cuilibet enim mandatum eſt de proximo ſuo, teneturque quivis proximi ruinam evitare: ut ſi amica ſalutatio vel allocutio apta videatur ad conciliandum inimicum. 4. Si grave ſcandalum timeatur, ſi non exhibeantur ſigna ſpecialia, aut eorum negatio ſpectatis circumſtantiis foret ſignum latentis odii vel inimicitiæ, prout fieri poteſt, dum alias hæc ſigna ſibi exhibere conſueverunt. 5. Si hoc judicetur neceſſarium ad vincendam tentationem odii vel aliam.

Reſ. 9. Generaliter in hac materia valde practica ſi neges inimico ſigna dilectionis ex gravi odio vel contemptu, quia indignum putas tuo alloquio vel ſalutatione, vel ut ipſum affligas, eſt peccatum ex genere ſuo mortale, veniale ex parvitate materiæ; alias, ſecluſo odio interno, ea ſigna & opera charitatis tenemur exhibere inimico, ex quorum omiſſione ipſe, vel alii merito intelligunt, nos ea negare ex malo odii vel vindictæ affectu.

D. 3.

D. 3. Qui alterum externe verbo vel opere graviter offendit, tenetur quærere reconciliationem, etiam per veniæ petitionem, ſi dignitas perſonæ offenſæ, aut offenſæ gravitas hoc requirat, non ſemper ſtatim; quia animus alterius exacerbatus veniæ concedendæ ſemper aptus non eſt: ergo tunc paulisper exſpectandum. Dum autem duo æqualis conditionis ſe invicem læſerunt, qui prior offendit, cæteris paribus debet prius quærere reconciliationem, ſicut & qui gravius offendit: interim conſiderandæ ſunt circumſtantiæ: pro quibus *Vid. Tract. 2. de reſtitut. in particulari Q. 7. n.* 44.

(60) *D.* 4. Inimico veniam debito modo & tempore petenti, ac teſtanti ſe ſincere dolere, quod nos offenderit, tenemur ex corde remittere offenſam, ſeu dare veniam delicti, & cum eo reconciliari. Patet ex illo (a): *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis de cordibus veſtris.* Deinde tenemur hoc per ſigna externa declarare; alias indicium erit animi nondum reconciliati, & occaſio perſeverandi in averſione contra nos, ideoque ſcandalum: non tamen tenemur remittere ſatisfactionem pro injuria; hanc enim etiam in judicio, ſecluſo affectu malo, petere poſſumus, cum debita ſit.

Obſ. Offenſa eſt læſio ſeu irritatio voluntatis alterius, & pro hac debetur reconciliatio: injuria eſt læſio juris alieni ſtricti, pro qua debetur ſatisfactio, & ſi fuerit damnoſa, reſtitutio V. G. amicus a te petit rem tuam mutuo, qua valde indiget, & facile carere potes, ſi neges, ipſum offendis, & moves, ut contra te indignetur, non tamen facis illi injuriam; quia nullum ejus jus ſtrictum lædis, debes tamen quærere congruam reconciliationem V. G. petendo veniam, *de quo alibi.* Peccas cum uxore ejus, non ſecuta prole, inferſ

(a) *Matth.* 18, 35.

infers ipſi injuriam, ſed non damnoſam, debeturque, ſi marito innoteſcat, ſatisfactio: ſi proles naſcatur, quam ipſe ut ſuam alit, infers ſimul damnum, debeturque reſtitutio. *De his plura ſuo loco.*

Reſ. 1. Licet decens ſit & Chriſtianæ charitati conforme, ſatisfactionem pro injuria illata condonare inimico veniam ſincere petenti, læſus tamen ad hoc non eſt importune urgendus; cum enim Judex poſſit injuriantem punire, læſus poteſt hoc petere: quia tamen pauci ſunt, qui jura ſua coram judice proſequi poſſunt, ſecluſo affectu odii vel vindictæ, ideo ubi injuria damnoſa non eſt, vel alter rationabilem ſatisfactionem offert, omnino ſuadendum eſt, ut non petatur a Judice. Aliud eſſet, ſi V. G. familia offenſi maneret infamis, niſi offendens ſecundum leges puniretur.

Reſ. 2. Nemo non tenetur *per ſe loquendo* eo niti, ut injuria e memoria expellatur: recordatio enim injuriæ eſt fomentum odii, iræ, & vindictæ.

Reſ. 3. Si pœnitens dicat, ſe quidem inimico ignoſcere, ſed non poſſe injuriæ oblivíſci, ſe quidem non odiſſe, attamen non poſſe aſpicere, alloqui, ſalutare ſine motu amaritudinis, rancoris &c. interroget Confeſſarius, qualiter non poſſit oblivíſci, an tantum quoad memoriam & horrorem acceptæ injuriæ? An motus illi ſint voluntarii, aut involuntarii? An conjuncti cum imprecatione alicujus mali, vel deſiderio vindictæ &c.? *Si primum*, abſolvat; ſæpe enim animorum averſio non tam ex malitia, quam naturali geniorum diverſitate oritur: *ſi ſecundum*, non abſolvat: quamdiu enim ex corde non remittit offenſam ſibi quomodocunque illatam, & non exhibet ſigna charitatis communia, eſt indiſpoſitus.

Reſ. 4. Si dicat, ſe hactenus quidem non ſincere remiſiſſe, nunc autem remittere, ut Confeſſarius advertat, an ſincere loquatur, jubeat ſibi exponi ſeriem illatæ

illatæ injuriæ; non difficulter enim ex verbis conjiciet, quomodo interne ſit affectus: nam latens in corde rancor vix citra ſcommata & invectivas proferre cauſam odii ſinet.

QUÆSTIO VI.

(61) *Quomodo charitas obliget ad eleemoſynam.*

Neceſſaria vitæ ſunt, quæ requiruntur ad conſervandam vitam ſuam & ſuorum, quorum cura alicui incumbit, ut ſunt parentes, uxor, proles, quo ſpectant victus & amictus, domicilium: reliqua bona præter ipſa ſunt *ſuperflua vitæ. Neceſſaria ſtatui* ſunt, ſine quibus quis non poteſt convenienter vivere ſecundum decentiam ſui ſtatus Chriſtianæ modeſtiæ conformem; unde bona *ſuperflua ſtatui* ſunt, ſine quibus poteſt decenter ſuum & familiæ ſtatum conſervare. In judicando neceſſario ſtatus non eſt tantum habenda ratio temporis præſentis, ſed & futuri V. G. morbi, ſenectutis, belli imminentis, pro educandis & dotandis prolibus juxta conditionem ſuam, pro augendo decenter ſtatu, cujus tamen probabilis ſit ſpes: quod notanter additur; quia, ut bene ait D. Thomas, ſuperfluum & neceſſarium debet judicari ſecundum ea, quæ probabiliter & in pluribus occurrunt; hinc non ſufficit, ſi cæcus fieret, ſi domus exureretur &c. Alias vix eſſent, qui ſuperflua haberent, quod damnatum eſt (a): *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui;* dantur enim multi habentes bona, quæ neque ad præſentem ſtatum, neque ad altiorem, quem proxime ſperant, ſunt neceſſaria.

(62) *D.* 1. De fide eſt dari præceptum eleemoſynæ faciendæ fundatum in lege naturali charitatis (b):

(a) *Propr.* 12. *ab Innoc. XI.* (b) *Matth.* 22. *v.* 38.

Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Item (a): ***Diſcedite a me maledicti in ignem æternum? Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare.*** Comminatio autem ignis æterni culpam gravem denotat.

(63) *D.* 2. Eſt obligatio gravis ſuccurrendi proximo patienti extremam neceſſitatem ex ſuperfluis vitæ, licet neceſſariis ſtatui: quia ordinata charitas poſtulat, ut vitam proximi præferamus decentiæ ſtatus noſtri, cum hæc ſit bonum longe inferius. Attamen non tenetur quis in neceſſitate extrema privati ſe iis privare, quibus ablatis redigeretur ad mendicitatem, aut pro vita proximi exponere ſummam valde magnam, comparare medicinas valde pretioſas: quia hæc ſunt extraordinaria, ad quæ nequidem charitas erga ſeipſum obligat.

Reſ. 1. Omnes divites, qui neceſſitatem proximi noſcunt, tenentur in ſolidum, ita ut ſi nullus ſubveniat, omnes peccent graviter, uno tamen nomine omnium ſubveniente, cæteri eximuntur.

Reſ. 2. Non eſt ſemper gravis obligatio dandi eleemoſynam pauperibus publice expoſitis, qui vel ex nuditate, vel morbo, vel defectu membrorum, vel aliter gravem, imo extremam neceſſitatem oſtentant: quia illa ſigna non raro exaggerantur, vel etiam finguntur.

(64) *D.* 3. In gravi neceſſitate tenetur quis ſuccurrere ex iis, quæ non ſunt valde neceſſaria ad decentiam ſtatus. *Ratio eſt:* quia ex oppoſito ſequitur vix ullum unquam teneri ſuccurrere, cum pauciſſimi habeant ſimpliciter ſuperfluum. *Deinde* charitas ordinata exigit, ut gravi miſeriæ proximi poſtponam proprium non ita grave damnum, quale hic eſt, cum facile poſſit reſarciri; a fortiori ergo, ſi adſint ſuperflua ſtatui.

(65) *D.*

(a) *Matth.* 25. *v.* 41. *&* 42.

(65) *D.* 4. In communi neceſſitate eſt obligatio gravis dandi eleemoſynam de abſolute ſuperfluis decenti ſtatui, ita ut dives habens abſolute ſuperflua, & repellens omnes pauperes, vel habens voluntatem nunquam faciendi eleemoſynam, peccet mortaliter. *Ratio eſt:* quia alias illi pauperes facile dejicerentur in neceſſitatem gravem, & ex illa in extremam. Hinc dicit Apoſtolus (a): *Divitibus præcipe facile tribuere.* Scriptura inculcans præceptum eleemoſynæ loquitur veluti de re frequenter obvia, cujus neglectu plurimi in die judicii condemnabuntur, proinde intelligenda eſt de neceſſitate etiam communi.

Ob. Dives poteſt prudenter præſumere dari alios, qui velint ſuccurere indigentiæ hujus vel illius; ergo a peccato ſaltem gravi excuſatur. ℟. Si nulla eſſet obligatio dandi, pauciſſimi darent, adeoque tunc non poſſet prudenter præſumere.

Reſ. 1. Eleemoſyna eſt alienæ miſeriæ ſublevatio, comprehenditque omnia opera miſericordiæ tum corporalia, tum ſpiritualia: in præſenti eſt actus miſericordiæ corporalis, eſtque *actus externus, quo aliena indigentia corporalis ſublevatur.* Si fiat ex motivo ſublevandi miſeriam proximi, eſt actus miſericordiæ: ſi ſimul ob amorem Dei vel proximi, eſt actus charitatis: ſi ad ſatisfaciendum pro peccatis, actus pœnitentiæ &c. Si autem non fiat ex motivo ſupernaturali, nullius apud Deum eſt meriti.

(66) *Reſ.* 2. Illi tantum poſſunt dare eleemoſynam, qui habent plenum dominium & adminiſtrationem ſuarum rerum. *Ratio eſt:* quia per eleemoſynam fit alienatio rei; hinc ſervus, filius, religioſus non poteſt facere eleemoſynam ſine tacito ſaltem conſenſu Domini &c. Niſi priores habeant bona propria & eorum adminiſtrationem, aut in modicis rationabi-

(a) 1. *Timoth.* 6.

liter præſumant conſenſum Domini, *de quibus plura, ubi de donatione.*

Reſ. 3. Eleemoſyna debet fieri ex propriis juſte acquiſitis ac poſſeſſis quoad dominium, uſum, & jus utendi; hinc ex injuſte acquiſitis cum injuria alterius & reſtitutioni obnoxiis nequit fieri eleemoſyna. Aliud eſt de illicite tantum acquiſitis V. G. ex quæſtu meretricio.

(67) *Reſ.* 4. Soli pauperes vere tales poſſunt eleemoſynam acceptare; hoc non poſſunt ſimulantes paupertatem ſine obligatione reſtitutionis. *Ratio eſt:* quia eleemoſyna eſt liberalis donatio, quæ debet eſſe omnino libera; proinde libera a deceptione, licet enim charitas Dei ſit cauſa finalis dandi eleemoſynam in communi, ratio tamen, cur huic perſonæ detur, eſt paupertas; hinc ſimulans paupertatem decipit dantem, & hoc non tantum de eleemoſynis magnis, ſed & de modicis & quotidianis probabilius eſt. Debet ergo reſtituere veris pauperibus; quia donantes cenſentur abdicaſſe dominium in favorem pauperum; non tamen tenetur reſtituere, qui fingit ſe pauperiorem, ut largiorem obtineat eleemoſynam: quia conſtat pauperes ordinarie exaggerare ſuam paupertatem.

Reſ. 5. Proximo licet in extrema neceſſitate conſtituto nemo tenetur dare eleemoſynam de neceſſariis ſibi ad vitam propriam vel familiæ conſervandam, niſi proximus eſſet perſona, a qua ſalus boni communis dependeret, quod in praxi rariſſimum; hoc enim eſſet contra charitatis ordinem. Hinc in magna fame non teneor meum frumentum diſpergere in pauperes, quando video illud ipſum probabilius neceſſarium eſſe ad me meosque in ſimili neceſſitate alendos. *Ratio exceptionis eſt:* quia bonum commune eſt præferendum privato.

Reſ.

Reſ. 6. Si extreme indigens habeat alibi, unde ſolvere poſſit, aut ſi ſit in probabili ſpe habendi per hæreditatem V. G. vel laborem congruentem, non teneor ei ſubvenire gratis, niſi in re levioris momenti, ſed ſufficit mutuare aut vendere credito, quia non eſt vere & ſimpliciter pauper: ſi nec hic, nec alibi habeat in re aut probabili ſpe, non ſatisfit præcepto eleemoſynæ mutuando V. G., ſed teneor dare gratis, quia ſaltem tunc eſt obligatio dandi eleemoſynam, ſed mutuare V. G. non eſt dare eleemoſynam, quæ eſt donatio abſoluta ſine onere reſtituendi; ergo. Excipe: niſi res alteri neceſſaria eſſet valde pretioſa.

Dices: Per mutuum obtinetur finis eleemoſynæ: ſublevatur enim miſeria. ℞. Non ſublevatur conformiter ad præceptum eleemoſynæ; imo non ſublevatur, ſed una mutatur in aliam.

Reſ. 7. Tanta eſt danda eleemoſyna, quanta hic & nunc ſufficit ad levandam proximi neceſſitatem extremam vel gravem: hinc ſi alii tunc non poſſint vel nolint, teneris tu; finis enim præcepti eſt ſublevatio proximi.

Reſ. 8. Si proximus tantum indigeat uſu rei tuæ V. G. equi aut veſtis ad evadendum periculum ex injuſta perſecutione ſibi imminens, tantum teneris dare uſum rei, poteſque, ſi velis, petere compenſationem.

Reſ. 9. Graviter peccant medici, chirurgi, pharmacopolæ, qui pauperibus graviter decumbentibus operam ſuam negant, quia non ſunt ſolvendo. Idem eſt de Advocato renuente gratis ſuſcipere cauſam pauperis, dum miſer verſatur in gravi periculo injuſtæ condemnationis; non enim diligunt proximum *opere & veritate* (a), quod requiritur, niſi hi ipſi eſſent tam pauperes, ut gratis ſuccurrere non poſſent.

(a) 1. *Joan.* 3. *v.* 18.

Reſ. 10. Nullus tenetur inquirere in neceſſitates proximi; dicitur enim (a), *qui viderit fratrem ſuum*, hoc eſt: proximum ſuum, *neceſſitatem habere.* Intellige: niſi ſit prudens ratio dubitandi eſſe gravem neceſſitatem in familia, quæ propter verecundiam non audet ſuas miſerias inſinuare, & tales ordinarie præferendi ſunt trivialibus. Similiter Parochi, & alii curam pauperum habentes tenentur ex officio, ubi eſt prudens ſuſpicio, in ſuorum neceſſitates inquirere.

(68) *Reſ.* 11. Deo & hominibus exoſi ſunt divites illi præſertim Eccleſiaſtici, qui tempore publicæ neceſſitatis granaria frumentis redundantia recluſa tenent ſub ſpe majoris pretii, quibus (b) dicitur: *Qui abſcondit frumenta, maledicitur in populis, benedictio autem ſuper caput vendentium.*

Reſ. 12. Graviter contra hoc præceptum peccant, quibus ob veſtium pompam, frequentes epulas, ludos immoderatos, canum, aut equorum multitudinem nil ſupereſt dandum pauperibus. Sic etiam graviter peccant divites, qui tempore caritatis annonæ nihil de ſplendore ſtatus ſui, vel lautitia menſæ detrahentes ſinunt pauperes inedia confici.

Reſ. 13. In communi neceſſitate nemo tenetur omnibus dare, neque huic vel illi in particulari, ſed modo uni, modo alteri, prout vult, vel magis indigere putaverit: nec tenetur omnia ſuperflua ſtatim dare, ſed poteſt reſervare vel in alios pios uſus, vel ad augendum rationabiliter ſtatum, vel pro majori neceſſitate pauperum. Iis autem divitibus, qui vix ulli dant, ſerio inculcanda eſt obligatio eorum a Confeſſariis, ne hi cum ipſis pereant; nec ſufficit dare poſt mortem, quia ante hanc urget præceptum, & proximus patitur. Econtra pauperibus impatientibus diſcrete quandoque proponat Confeſſarius. Quod inopiam eo liben-

(a) *ibid. v.* 17. (b) *Proverb.* 11. *v.* 26.

libentius ferre debeant, quanto liberius prævisa impoſſibilitate ſe, uxorem, & proles naſcituras alendi, in talem neceſſitatem ſe conjecerunt, dum matrimonium inierunt.

(69) *Reſ.* 14. Non videtur Magiſtratus poſſe impedire omnes omnino extraneos, ne mendicent; quia plures ex ſuis locis coguntur exulare, & hi tamen debent vivere, unde autem vivent, ſi ab omnibus expellantur? Otioſi autem & vagabundi, qui laborando poſſunt ſibi procurare neceſſaria, merito expelluntur.

Reſ. 15. Danda eſt eleemoſyna pauperibus propter Chriſtum, vel amore virtutis, non vero illis, qui ex otio aut ſimili cauſa pauperes ſunt; quia hoc eſſet fovere eorum ignaviam & malitiam. Non eſt tamen curioſius inquirendum in conditiones pauperis, dum datur eleemoſyna. *Denique*

Reſ. 16. Juſte ad carcerem vel mortem damnatum non teneris redimere etiam ex ſuperfluis, ſed potes ad vindictam publicam permittere.

Petes: An eleemoſyna remittat peccatum? Videtur, quod ſic: dicitur enim de ea Luc. 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam; & omnia munda ſunt vobis.* Sed

℟. Se ſola non facit: Chriſtus ibi monebat phariſæos, ut darent eleemoſynam ſecundum ordinem charitatis, quod fit per fidem, dilectionem, pœnitentiam, reſtitutionem ablatorum, & ſuperflui erogationem, quæ illi non curabant: ſic & purgat peccata, ut dicit Tobias, movendo Deum, ut det auxilia ad Converſionem, ad quod excitatur precibus eorum, quibus fit eleemoſyna.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

(70) *Qualiter obliget eleemoſyna ſpiritualis, ſive correctio fraterna?*

Correctio fraterna eſt *monitio proximi facta a privato vel quaſi privato, ordinata ad emendandum vel impediendum illius peccatum procedens ex ipſius & Dei dilectione: dr. vel quaſi privato:* ut includatur correptio, qua Superior, qua Pater clam corripit ſubditum. *dr. ad emendandum, vel impediendum;* quia finis correctionis eſt proximi peccatum emendare, ſi perpetratum ſit, vel impedire, ſi videatur perpetrandum. Additur, *& Dei dilectione:* quia nempe doles, quod Deus offendatur; eſtque actus charitatis Theologicæ.

D. 1. Datur præceptum tum naturale, tum divinum poſitivum per ſe obligans ſub mortali ad fraterne corrigendum proximum de peccato. *Primum Prob.* Tenemur ſubvenire proximo indigenti temporaliter; ergo magis ſpiritualiter. *Deinde* lege naturali tenemur reducere bovem proximi errantem: ergo magis ipſum errantem. Et licet proximus non ſit in neceſſitate peccandi, cum peccet libere, eſt tamen in magna miſeria, & periculo peccandi, ac prava voluntate, a qua ut liberetur, indiget ope tua. *Secundum* habetur in Script. (a) *Corripe proximum, ne forte iteret* (b). *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum,* ubi *in te* idem eſt, ac coram te vel te ſciente; cumque peccatum mortale in ſe ſit grave, obligatio per ſe eſt gravis. *dr. de mortali;* peccata enim venialia nemo privatus tenetur corrigere niſi ad ſummum ſub veniali, dum facillime poteſt; cum enim ſint frequentiſſima, onus foret nimis grave, & pacem turbaret. *Excipe:* niſi proximus exponeretur proximo periculo labendi in mortale, aut ſcandalum timeretur. Superiores ma-

(a) *Eccl.* 19. *v.* 13. (b) *Matth.* 18. *v.* 15.

maxime Religioſi tenentur ſub mortali corrigere leves defectus ſubditorum, ſi videant, quod ex impunitate diſciplina regularis notabiliter patiatur, ad quod etiam deficientibus Superioribus tenetur quodlibet communitatis membrum, ſi commode facere poſſit, & ſperetur fructus; tunc enim exigit charitas; ut hoc grave malum conetur avertere a matre ſua religione. Unde etiam Religioſus privatus, videns in alio nimiam familiaritatem cum ſexu fæmineo, tenetur ſub mortali monere ob periculum ſcandali, aut etiam incidendi in mortale in hac materia lubrica. Similiter paterfamilias advertens filium vel ſubditum ſæpe furari modica, vel paulatim aſſuefacere ſe potationi, luſui periculoſo &c. Tenetur ſub gravi peccato corripere, quia eſt certum periculum perveniendi ad graviora.

(71) *D.* 2. Ut hoc præceptum obliget, debent adeſſe ſequentia. 1. *Notitia* quaſi *certa de peccato proximi*, aut *de periculo proximo peccandi;* unde non ſufficit qualiscunque ſuſpicio, dubium, aut rumor etiam publicus; quia hæc ſæpe ſunt infundata, & potius cauſabunt turbationem, quam emendationem, & in dubio præſumendum eſt in favorem proximi. 2. *Neceſſitas:* hinc excuſaris, ſi prudenter credas proximum utpote alias timoratæ conſcientiæ ſponte ſe emendaturum, vel emendandum per alium V. G. Confeſſarium; quia tunc non indiget tua correctione. 3. Ut ſit *probabilis ſpes emendationis;* alias otioſa ſaltem erit correctio. Hinc

Reſ. 1. Dum corrigendus eſt ſuperbus, protervus, ordinarie non eſt ſpes; ſecus ſi alias ſit bonæ conſcientiæ, ſi ſimplex, docilis, &c.

Reſ. 2. Sufficit eſſe ſpem, quod poſtea ad ſe rediens ſe ſit emendaturus, prout frequenter contingit: quamvis enim ab initio correptus reſiſtat, poſtea tamen, dum eſt ſolus, recogitat, & ſe emendat.

Reſ. 3. Si agatur de correctione in ordine ad alium finem V. G. impediendum damnum tertii, debet fieri, ſi ſit ſpes damni impediendi; licet non ſit ſpes emendationis in peccante.

Reſ. 4. Titius coram te & aliis effutit verba valde irreverentia in res ſacras, & valde obſcæna coram innocentibus, quamvis prævideas non emendandum ex correctione tua, teneris corrigere quantum ad primum; quia finis correctionis non tam eſt emendatio delinquentis, qaam conſervatio & compenſatio quædam divini honoris, ad quam qua Chriſtianus teneris. Teneris etiam in ſecundo, ſi ſit ſpes ſcandali avertendi; non enim charitas minus obligat ad avertendum damnum ſpirituale aliorum, quam ipſius peccantis.

Reſ. 5. Superior tenetur corrigere, etſi forte non ſit ſpes, ne peccantes fiant audaciores, ne alii ſumant occaſionem, liberius peccandi.

Reſ. 6. In dubio, an correctio tua ſit ob- vel profutura, juxta communem omittenda eſt, niſi in caſu mortis; tunc enim adhiberi debet, licet prudenter timeatur obfutura; quia dubium nocumenti compenſatur per ſpem fructus, ideo tunc corrigendus proximus, licet timeatur, ne deterior evadat.

Requiritur 4. *Opportunitas loci, temporis, occaſionis;* unde non ſemper ſtatim, ac proximus peccavit, corripi debet, ſed exſpectanda eſt major opportunitas, ut ſic ſit certior ſpes fructus *Denique* requiritur, ut citra grave incommodum fieri poſſit; hinc communiter advertunt Authores, præceptum hoc raro obligare, ſaltem graviter eos, qui non ſunt Superiores; quia raro iſtæ conditiones omnes adſunt. Superiores autem ſæpe tenetur, etiam cum gravi ſuo incommodo, cum teneantur ſimul ex juſtitia impedire ſuorum peccata.

Reſ.

Reſ. 1. Nemo privatus tenetur, imo nec poteſt in aliorum delicta inquirere; hoc enim nimis odioſum, & natum eſt ad alios turbandos & ad indignationem excitandos. Superiores autem & Parochi ſubditorum ſuorum delicta inveſtigare non prohibentur, imo tenentur, ſi adſit prudens dubium; debent enim invigilare ſuper gregem ſibi commiſſum. Caveant tamen, ne nimis particulariter in unum aliquem absque ſufficientibus indiciis inquirant, ac eum apud alios ſuſpectum reddant.

Reſ. 2. Valde imprudenter facit uxor V. G. maritum corripiens, dum crapulatus eſt, aut alia paſſione obrutus. Valde male faciunt quicunque Superiores, dum ſubditos ſuos actuali paſſione iræ V. G. vel potu obrutos tentant corrigere, vel dum ipſi Superiores his obruti ſunt; quia tunc ſperari prudenter nec poteſt, nec debet fructus; ergo differri debet correctio.

Reſ. 3. Concionatores, dum e cathedra populi peccata corrigunt, caute procedere debent, & non ad particularia vitia, minus ad perſonas ita deſcendere, ut poſſint ab aliis facile dignoſci non ſine periculo publicæ proſtitutionis: maxime autem cavere debent, ne utantur notitia ex confeſſione hauſta; facile enim orietur grave ſcandalum.

Reſ. 4. Etiam peccator obligatur hoc præcepto, ut autem cum fructu faciat, debet prius de peccatis propriis, ſi nota ſint, dolorem oſtendere. Imo Superiores vel Parochi ex hoc ipſo præcepto tenentur ad vitam exemplarem, ut efficacius ſuos, dum opus eſt, corrigere poſſint; tenentur enim ex officio ſuos in viam ſalutis dirigere.

Reſ. 5. Subditi quoque tenentur corripere Superiorem, maxime ſi ex ejus peccato immineat periculum gravis damni vel ſcandali. Patet id ex facto Pauli corripientis

tis S. Petrum: ſed debet fieri humiliter & reverenter: dicente Apoſtolo (a): *ſeniorem te ne increpaveris*, *ſed obſecra ut patrem.* Æquales amice commonendi ſunt. Subditi prius paterne monendi, & ſi hoc non proſit, aſperius increpandi ſunt.

Reſ. 6. Si ſpes fructus ſit dubia, & nullum inde malum timeatur, eſt obligatio corripiendi; adeſt enim aliqua ſpes avertendi a proximo grave malum: ſi vero ſit prudens periculum novi peccati, vindictæ, odii &c. omittenda eſt. Excipe, *ut ſupra*, de Superioribus.

Reſ. 7. Qui ex timore, ne proximus leviter offendatur, leviter contriſtetur, vel ipſe leve damnum inde patiatur, aut ex pudore humano omittit corrigere in re gravi, ubi ſperat fructum, per ſe peccat graviter.

Reſ. 8. Eſt Obligatio corrigendi proximum 1. de peccato ex ignorantia vincibili, quia eſt formale peccatum: 2. de peccato ex ignorantia invincibili rerum ad ſalutem neceſſariarum neceſſitate medii; quia adeſt periculum damnationis, quod prævalet periculo peccati formalis cum aliqua ſpe ſalutis: 3. de peccato ex ignorantia invincibili, dum fructus ſperatur, & hoc præſertim dum ignorantia eſt contra legem naturæ, quia incidente dubio fiet facile vincibilis, ſecus ſi non ſit ſpes fructus, *de quo alibi. Pro ſequentibus*

Obſ. Denuntiatio alia eſt *charitativa*, ſive *Evangelica*: quæ tendit ad emendationem proximi, & fit Superiori tanquam patri: alia *judicialis*, quæ ſpectat vel ad punitionem ob bonum commune, vel mali, aut damni impeditionem, & fit Superiori tanquam judici.

(72) *D.* 2. Per ſe loquendo ſub mortali in correctione fraterna ſervandus eſt ordo a CHRISTO præſcriptus *Matth.* 18. ut 1. fiat monitio ſecreta; ſi hæc non ſufficit, fiat coram uno aut duobus teſtibus; ſi nec ex hoc ſequatur emendatio, dicatur Eccleſiæ, hoc eſt: defe-

(a) 1. *Tim.* 5. *v.* 1.

deferatur ad Superiorem. *Ratio eſt:* quia charitas, imo juſtitia obligat, ut proximus corrigatur cum minimo, quo fieri poteſt, famæ ejus detrimento. *Dixi: per ſe loquendo;* hinc

Reſ. 1. Si delictum ſit occultum, & tu ſolus illud efficaciter corrigere poſſis, eſt detractio id manifeſtare alteri etiam Superiori: ſi ſolus non poſſis, adhibe teſtem, & quidem eum, cui crimen jam notum eſt: ſi ſufficiat unus, peccas adhibendo plures alios: ſi nec ſic proficias aut periculum peccandi ſatis removeas, defer Superiori, non ſtatim ut judici ad puniendum, ſed ut pio Patri, qui ut habens authoritatem aptior eſt ad efficaciter corrigendum; quia bonum ſpirituale prævalet bono famæ, non autem debet pluribus revelari Superioribus, quam neceſſe ſit ad correctionem.

Reſ. 2. Si fundate præſumas primum gradum non profuturum, debes incipere a ſecundo, ſi nec hunc profuturum, a tertio.

Reſ. 3. Si delictum ſit publicum, aut proxime publicandum, deferendum ſtatim eſt ad Superiorem, ut ſcandalum avertatur; jam enim ceſſat ratio ſervandi famam. Sic etiam, qui publice peccat, ſtatim corrigi poteſt, ſi ſperetur fructus.

Reſ. 4. Si peccatum ſit pernicioſum reipublicæ aut contagioſum V. G. conſpiratio, hæreſis, in religionibus peccata carnalia, ſi periculum ſit in mora, & non prævideatur certo aliter ſatis impediendum, ſtatim deferendum eſt ad Superiorem. Idem eſt, ſi ſit in grave damnum tertii innocentis: quia bonum commune aut innocentis prævalet.

Reſ. 5. Siquis ſatisfactionem debitam tibi deneget, potes illam petere a Superiore; uteris enim jure tuo.

Reſ. 6. Superior non poteſt delictum ad ſe ut Patrem delatum aperire aliis, qui ad correctionem neceſſarii non ſunt; ideo male facit, ſi illud ſtatim promul-

get, aut publice puniat, quod bene notent indiſcreti Superiores: igitur tenetur illum ſecreto monere & corrigere, ſi prudenter credat hoc ſufficere: poteſt etiam uni aut alteri Viro gravi conſilii cauſa crimen aperire, coram his paterne corripere, ſi ita expedire judicet, & pœnis moderatis coërcere, ne relabatur.

Reſ. 7. Si Superior intelligat aliquod crimen mere occultum ad ſe immediate delatum, prætermiſſa correctione fraterna, debet ipſe privatam monitionem facere; debet enim tunc ſupplere vices alterius, ſicut ſi ipſe ſolus noſcat occultum ſubditi peccatum.

Reſ. 8. Secluſa ceſſione juris ad famam in hoc puncto non licet Religioſo occultum fratris peccatum *per ſe loquendo*, omiſſa monitione ſecreta, deferre Superiori ut Patri, dum correctio privata eſt probabiliter profutura, & peccatum non eſt in grave damnum communitatis; quia per peccatum occultum religioſus, ſicut & ſæcularis non amiſit jus ad famam, nec ejus, aut commune bonum ſemper exigit, ut diffametur. Hinc contra juſtitiam ſimul & charitatem peccant, qui ſtatim omnia deferunt ad Superiores; deberent enim prius ſecreto minari delationem, ſi ſic prudenter ſperetur emendatio: ideoque & peccant Superiores, dum tales delatores, adulatores, detractores facile audiunt, iisque ſtatim credunt, dum non adeſt periculum grave communitatis vel tertii, nec alia adſunt ſigna; ſi tamen correpturus ſit minus idoneus, & Superior ſit vir pius, diſcretus, non habens rancorem contra ſubditum, facilius ad ipſum ut Patrem deferri poteſt. Idem eſt de alio viro pio & prudente; ſic enim melior & facilior ſperatur emendatio, ſed magna, ut inquit *D. Thomas*, opus eſt circumſpectione propter diverſas conditiones Superiorum, & ſubditorum, qui non ſunt ſemper tales, quales eſſe deberent.

Reſ. 9.

Reſ. 9. Dum in viſitatione mandatur, ut, ſi quid corrigendum ſit, aperiatur, intelligendum eſt de peccatis ex ſe in confuſionem vel damnum Religionis ſpecialiter vergentibus, quæ ordinarie privatim ſatis emendari non poſſunt, ut ſunt lapſus carnis cum altero ſexu, publica ebrietas, diſcurſus ſcandaloſi præſertim in materia luxuriæ, ſuſpectum conſortium &c. De his poteſt viſitator interrogare, & male faciunt, qui ex impia charitate etiam requiſiti celant: de aliis, quæ ſoli peccanti nocent, non poteſt mandare, ut occulta ſibi immediate deferantur; eſſet enim contrarium legi naturali & divinæ, niſi prævideatur correctio fraterna non fructificatura.

Reſ. 10. Male facit viſitator, qui nulla præcedente infamia vel aliis indiciis interrogat: an hic vel ille non commiſerit hoc vel illud crimen grave? ſic enim læditur fama, oritur mala ſuſpicio &c. De his plura alibi.

Reſ. Denique qui alium corripit, vel denuntiat non ex charitate, ut emendetur, ſed ex odio, ut confundatur, per ſe peccat graviter.

QUÆSTIO VIII.

(73) *De odio, aliisque peccatis charitati oppoſitis?*

Odium eſt *quædam averſio voluntatis ab eo, quod velut malum apprehenditur*, ſicut amor eſt proſecutio boni. Aliud eſt *inimicitiæ*, quo quis ex perſonæ averſione illi vult malum, quatenus ipſi malum eſt: aliud *abominationis* vel *qualitatis*, quo quis malum vel ſecundum ſe, vel ſimul perſonam, quatenus illi hoc malum adjacet, velut ſibi aut alteri amato contrarium averſatur. Hoc odium opponitur amori *concupiſcentiæ*, quia ſicut amore concupiſcentiæ volumus nobis bonum,

ſic odio abominationis averſamur nobis malum. Odium *inimicitiæ*, opponitur amori *benevolentiæ* vel *amicitiæ*: quia ſicut hoc amore volumus alteri bonum, ut ipſi bene ſit, ſic hoc odio volumus malum, ut ipſi male ſit.

D. 1. Odium Dei directum & formale eſt peccatum graviſſimum; quia directe & formaliter avertit a Deo ſummo bono, nec admittit parvitatem materiæ: quia quodlibet odium in Deum etiam abominationis tantum, quo averſamur Deum ob aliquem ejus effectum nobis contrarium, V.G. punitionem peccatorum, & quilibet motus malæ affectionis repugnat graviter ſummæ ejus bonitati; unde ſuppoſita deliberatione plena eſt mortale. *dr. directum & formale;* quia eſt & aliud odium Dei, quod vocatur generale, reperiturque in omni peccato mortali.

D. 2. Odium inimicitiæ in proximum eſt intrinſece malum, ex genere ſuo peccatum mortale, quia directe opponitur charitati: fit veniale ex parvitate materiæ, ut ſi ex levi diſplicentia optetur proximo leve malum. Odium proximi abominationis, ſi non ſimul tranſeat in perſonam, eſt de ſe indifferens: quandoque bonum, ſi qualitas ſit odibilis V.G. injuſtitia: quandoque indifferens, ut V.G. defectus naturæ, modo in utroque abſit contemptus perſonæ, vel malevolentia; quandoque eſt malum, ſi qualitas ſit bona, & ſic poteſt eſſe peccatum in Spiritum Sanctum, ſi talia odio habeantur, ut ſunt dona Dei.

(74) *Reſ.* 1. Nunquam licet abominari proximi perſonam affectam quibuscunque vitiis; quia proximus etiam vitioſus manet opus Dei, particeps divinæ bonitatis, capax æternæ Beatitudinis: unde, ut ſupra de inimico, oportet diligere malos, ipſis bene volendo, & in certis circumſtantiis benefaciendo, quamvis ipſi nobis male velint. Similiter nunquam licet optare proximo malum, quia ipſi malum eſt: gaudere de ipſius ma-

malo, quia ipſi malum eſt: dolere de ipſius bono, quia ipſi bonum eſt: licet tamen proximo optare malum ſub ratione boni, ſi bonum ſperatum præponderet malo optato: & quia vita hominis innocentis præponderat bonis fortunæ alicujus particularis, merito damnatæ ſunt (a) ſequentes propoſitiones. Prima. *Si cum debito moderamine facias, potes absque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu appetere, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Secunda. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quatenus ei obventura eſt pinguis hæreditas.* Tertia. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.*

Reſ. 2. Licitum eſt inefficaciter deſiderare, vel gaudere de morte proximi propter magnum bonum ſpirituale ipſius proximi: ſic pater licite affectu inefficaci deſiderat mortem filio, quem prævidet ſeducendum ob malam indolem, ſi ſupervivat: licite optas homini perverſo morbum, ut emendetur &c. *Ratio eſt:* quia ex una parte ſervatur ordo charitatis, cum bonum altioris ordinis præferatur bono inferioris ordinis, ex altera, cum affectus ſit inefficax, ſpeciem ſumit a ſolo motivo. Cavendum tamen, ne ſub pallio melioris boni lateat virus odii.

Reſ. 3. Similiter licitum eſt inefficaciter velle mortem, vel aliud malum temporale propter magnum bonum communitatis etiam temporale: ſic licite optas mortem tyranno, vel hoſti patriæ, ut refloreſcat pax alias non obtinenda.

Reſ. 4. Probabiliter licite optas mortem proximi ad evadendum ingens malum tibi, vel alteri conjuncto pro-

(a) *ab Innoc. XI.*

proximove imminens, quod aliter vitari non poteſt V. G. ne injuſte ab illo occidaris, per injuriam bonis tuis ſpolieris, quod alioquin futurum eſt; quia poſſes rem actu poſſeſſam magni momenti defendere, licet proximus volens injuſte tollere occidatur, *de quo alibi*, ergo & inefficaciter optáre mortem. Sed & hic facile ſe inſinuat malus affectus, præſertim ſi proximus ſit inimicus: hinc in praxi omnino caute eſt procedendum.

Reſ. 5. Optare ſibi mortem ob leve malum ex impatientia V. G. eſt peccatum mortale; quia graviter repugnat charitati ſibi ipſi debitæ, & rectæ rationi: optare autem ad evadendum graviſſimum malum V. G. carcerem perpetuum, diuturnam gravem infirmitatem non eſt peccatum; hoc enim non eſt optare mortem ut ſibi malam, ſed ut malorum finem juxta illud (a): *Melior eſt mors, quam vita amara.* Imo non videtur peccare ſaltem graviter, qui cum debita reſignatione ſibi a Deo mortem exoptat ad ſubterfugiendas multiplices miſerias hujus ſæculi. Sic communiter non culpatur, qui damnatus ad mortem petit citius mori: qui amico morienti optat breviorem agonem: multo magis licet ſibi optare mortem, ne Deum amplius offendat, vel ex deſiderio illum videndi.

(75) *Reſ.* 6. Charitati repugnat, & ad odium pertinet proximo maledicere, ſive malum grave ſine juſta cauſa imprecari V. G. ut fulmine, laqueo pereat, diabolus eum rapiat &c. &c. Eſtque per ſe peccatum mortale, ſi ſerio fiat ex animo, ut eveniant: & ſi in faciem fiat, accedit ſpecies contumeliæ contra juſtitiam. Excuſatur tamen a mortali. 1. Ob materiæ levitatem. 2. Actus imperfectionem, quia ex ſubito motu &c. 3. Ob defectum ſeriæ voluntatis, ut eveniant, prout communiter eſt, ſi nulla ab ante inimicitia præceſſerit: ſi tantum fiat ad expreſſionem juſtæ indignatio-

(a) *Eccl.* 30. *v.* 17.

tionis, doloris de nocumento, ad terrorem alterius; ob indecentiam tamen ſingulariter ſunt tales dehortandi.

Reſ. 7. Parentes ſæpiſſime graviter peccant, ſicut & alii Domini ſuis ſubditis gravia mala etiam ſine animo, ut eveniant, ex conſuetudine imprecantes, ſi non emendent hanc conſuetudinem; quia ſuo exemplo docent illos ſibi invicem & aliis mala imprecari, & tantum abeſt, ut emendentur, ut econtra pejores fiant, & contumaces. Similia prolibus ſerio imprecari nedum charitati, ſed & pietati graviter adverſatur.

Reſ. 8. Si filius patri, & iis, quos loco parentum habere debet, etiam ſine animo, ut eveniat, in faciem maledicat, eſt gravis contumelia contra juſtitiam, & pietatem.

Reſ. 9. Creaturis irrationalibus diabolum, mortem imprecari (ut ruſtici ſolent) per ſe eſt veniale peccatum; quia ſicut non ſunt objectum charitatis, ſic nec odii: ſi fiat ex diſplicentia perſonæ, cujus illæ res ſunt, erit peccatum grave vel leve pro qualitate mali; ſic enim æquivalenter fit homini. Sic peccat graviter, qui ex diſplicentia conjugis dicit: maledicta dies, qua matrimonio ſum conjunctus &c. ſi fiat ex indignatione contra Deum ſpectat ad blasphemiam.

(76) *D.* 3. Diſcordia eſt *diſſenſio voluntatis a voluntate alterius in iis, in quibus conſentire tenetur ex charitate Dei vel proximi:* peccatum eſt ex genere ſuo mortale; quia Apoſtolus (a) enumerat illud inter excludentia a regno cœlorum; poteſt eſſe veniale ex parvitate materiæ.

D. 4. Suſurratio eſt *manifeſtatio defectus alieni, apta ad diſſolvendam amicitiam & ſeminandam diſcordiam inter amicos*, ex genere ſuo mortale, gravius detractione illi ſæpe annexa; quia amicitia *ex D. Thoma* eſt bonum præſtantius fama: eo gravius, quo amicitia eſt ma-

(a) *ad Galat. v.* 21.

magis neceſſaria vel utilis, V.G. inter uxorem & maritum. Suſurro tenetur ſaltem ex charitate diſſidentes reconciliare, alias abſolvi non poteſt: & ſi dolo vel fraude ſit uſus, etiam reparare damna inde ſecuta, quia jus habent amici, ne ſic diſſolvatur amicitia; quæ ſi ſit perniciosa, vel periculoſa, per ſe laudabile eſt illam diſſolvere.

D. 5. Contentio eſt ***altercatio verborum ad impugnandam veritatem***, intellige: quam quis novit, aut poteſt & debet ſcire: debet autem fieri ſerio, V.G. ſtudii aut examinis cauſa: hoc enim laudabile eſt, ſi cum debitis circumſtantiis fiat. Contentio fit gravis ex parte materiæ, ſi impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, juſtitiam, vel grave proximi bonum pertinens: fit gravis ex parte modi, ſi adſit grave ſcandalum, grave vilipendium &c. ſi contendentes erumpant in verba contumelioſa &c.

D. 6. Rixa eſt ***pugna manuum, & verborum inter privatos.*** Dum ex ira unus alterum injuſte invadit, eſt peccatum ex parte invaſoris ex genere ſuo mortale: in ſe defendente poteſt eſſe nullum, ſi ſolo animo repellendi injuriam, & cum debita moderatione ſe defendat; ſi vero cum animo vindictæ aut odii, vel cum exceſſu debitæ moderationis, eſt peccatum grave, vel leve, prout fuerit exceſſus vel odium.

D. 7. Seditio eſt ***bellum aggreſſivum, quo una pars reipublicæ contra aliam, vel legitimum Principem, aut Magiſtratum inſurgit***, ubi rebellio dicitur: peccatum ex ſe grave; quia graviter adverſatur unitati, paci, & bono communitatis.

D. 8. Schiſma eſt ***voluntaria ſui ſubtractio ab unitate Eccleſiæ, prout hæc eſt corpus myſticum ex membris inter ſe, & cum uno capite Chriſto, ejusque in terris Vicario connexis***; poteſt eſſe cum & ſine hæreſi: eſt peccatum valde grave oppoſitum unioni charitatis, & paci;

paci: fit indirecte, V. G. ſi Catholicus Regi Boruſſiæ in ſpiritualibus tanquam Eccleſiæ Capiti obedientiam præſtet.

QUÆSTIO IX.

An, & qualiter licitum ſit bellum?

Bellum eſt *pugna externa inter Principes & Reſpublicas.*

(77) *D.* 1. Bellum non ſolum *defenſivum* (quod fit ſolius defenſionis cauſa) ſed & *offenſivum* (quod ad vindicandam vel compenſandam injuriam ſuſcipitur) eſt licitum & honeſtum, ſi adſint conditiones requiſitæ. Patet id ex veteri & novo teſtamento. *Ratio primi eſt*: quia jure naturæ licitum eſt vim vi repellere. *Ratio ſecundi eſt:* quia quandoque expedit injuriæ vindictam ſumere, aut læſionis compenſationem quærere, quod non poteſt fieri ſine bello, dum damnificantes requiſiti nolunt aliter ſatisfacere. Quæ in contrarium afferuntur, tantum volunt, non licere privata authoritate ulciſci injurias.

D. 2. Omnibus Clericis Sacris Ordinibus initiatis, imo & tantum tonſuratis, ſi beneficium habeant, jure Eccleſiaſtico prohibitum eſt, propria manu bellare extra caſum urgentis neceſſitatis. *dr. popria manu*; quia poſſunt hortari milites ad fortiter pugnandum pro patria, juſtitia, religione, non tamen dicere: occide, macta. Similiter ſi aliis militibus deficientibus neceſſe ſit pro defenſione patriæ, pro conſequenda inſigni victoria, ex qua ſalus Eccleſiæ vel Reipublicæ multum dependet, liceret ipſis pugnare; quia adeſſet neceſſitas: nec tunc incurrerent irregularitatem; quia hanc non incurrunt, ſi occidant aliquem in defenſionem propriæ vitæ, ut concedunt omnes; ergo minus, ſi pro neceſſaria defenſione Reipublicæ. *Nec obſtat* ſtylus Romanæ

Curiæ; quia ſæpe diſpenſatio petitur ad majorem ſecuritatem, & propter opinionem magis tutam.

(78) *D.* 3. Ad indicendum bellum offenſivum requiritur 1. *Legitima Authoritas;* quæ debet eſſe ſuprema, nullum alium in civilibus ſuperiorem agnoſcens; quia qui ſuperiorem habet, debet hunc implorare, ut de re controverſa judicet, & injuriam vindicet; qui vero non habet, poteſt ipſemet de ea judicare, & juſto modo vindicare injuriam. *Dixi: offenſivum;* quia cuilibet a natura licitum eſt, vim ſibi injuſte illatam vi debito modo repellere. 2. Requiritur *cauſa præponderans malis ex bello ſecuturis;* qualis eſt ad recuperandum regnum, ad propulſandam gravem injuriam Principi, vel Reipublicæ factam, nec aliter quam per bellum commode reparabilem, ad reprimendos ſubditos injuſte rebellantes, & ſimilia.

Reſ. Requiritur moralis certitudo de juſtitia belli; cum ex hoc ſequantur graviſſima incommoda: ideoque debet Princeps cum Conſiliariis ſuis tum ſuas, tum adverſarii rationes mature diſcutere. Ubi autem omnibus conſideratis, res manet dubia, & una pars eſt in certa & legitima poſſeſſione, hæc prævalet rationi licet magis probabili. In dubio, an adſit juſta bellandi cauſa, Princeps, Conſiliarii, omneſque cooperatores peccant tot peccatis, quot homines cæduntur, aut graviter in bonis ſuis læduntur; tenenturque ad omnium compenſationem. Quid in dubio liceat militi, *vide, ubi de conſcientia dubia.*

3. Requiritur *recta intentio*: ut non fiat ex odio, vana gloria, privata vindicta, ſed amore boni communis; defectu tamen hujus conditionis, ſi priores adſint, non erit obligatio reſtitutionis.

Reſ. Graviſſime errant, qui putant ampliationem regni, gloriam nominis, imminuendam potentiam Principis vicini, vel partis adverſæ, ne aucta prævaleat, & nocere

cere poſſit, eſſe juſtam cauſam bellandi, quod S. Auguſtinus recte vocat grande latrocinium; non enim licet occidere homines, ne nocere poſſint: alias cædibus miſcerentur omnia.

4. Requiritur *debitus bellandi modus*, ita ut ante bellum a parte adverſa petatur condigna ſatisfactio, quæ ſi offeratur, offenſus tenetur ex juſtitia acceptare, (ubi enim bellum definit eſſe neceſſarium, deſinit eſſe licitum) ideoque & ab inchoato bello deſiſtere, ſi offeratur condigna ſimul pro expenſis jam factis; ſi negetur, poteſt bellum proſequi, & inferre hoſtibus omnia mala, quæ ad debitam ſatisfactionem, & compenſationem neceſſaria juxta rectam conſcientiam judicantur.

(79) *Reſ.* 1. Licite occiduntur etiam poſt victoriam omnes nocentes, ſi hoc ad vindicandam injuriam, ad pacem & ſecuritatem ſtabiliendam neceſſarium judicetur, niſi ſub promiſſione vitæ ſe dederint: tunc enim pactum eſt ſervandum.

Reſ. 2. Innocentes, uti pueri, mulieres, & alii nihil ad bellum conferentes, ſpecialiter Eccleſiaſtici, & Religioſi directe occidi non poſſunt, neque peregrini, exteri, niſi conſtet hos eſſe belli ſocios, ex generali Dei mandato (a): *Inſontem non occides;* indirecte occidi poſſunt, ſi ita ſint permixti nocentibus, ut hi ſine illis interfici non poſſint, & hos occidi neceſſe ſit. *De quo alibi.*

Reſ. 3. Innocentes, qui ſunt pars Reipublicæ hoſtilis, poſſunt ſpoliari bonis, in quantum, *ut ſupra*, requiritur; quia Reſpublica poteſt puniri in iis omnibus, quæ ſubſunt ejus dominio generali, & hæc eſt conſuetudo jure gentium introducta; non ſic ſpoliari poſſunt Extranei, niſi hoſtibus faveant, ideoque ſpoliari poſſunt annonis, armis, & ſimilibus, quæ deferunt

(a) *Exod.* 23. *v.* 7.

runt ad hoſtes. Spoliari non poſſunt Eccleſiaſtici, Eccleſiæ, Monaſteria: quia non ſunt vere pars hoſtilis.

Reſ. 4. Privati milites peccant, & ad reſtitutionem tenentur, ſi ſine conſenſu ſaltem tacito Ducis damna inferant; tunc enim bellum gerunt ſine legitima authoritate.

(80) *Reſ.* 5. Ubi militibus licet ſpoliare hoſtes, poſſunt quoque Clerici, & Religioſi in ſpiritualibus ſervientes militibus gaudere ſpoliis hoſtium; quia tales exercitui ſunt utiles, imo & pars exercitus, ideo gaudere debent commodis belli, ſicut periculis expoſiti ſunt. Cavendum tamen ſcandalum.

Reſ. 6. In bello licet uti inſidiis, modo fiant absque mendacio & violatione promiſſi. Patet id ex Script. (a). Ideo licet uti vexillis hoſtium, ſimulare fugam &c. non ex intentione ſignificandi exterius, quod revera non eſt (hoc enim foret mendacium, licet officioſum tantum, ubi bellum eſt juſtum) ſed ex intentione occultandi, quod in mente habetur; quia non tenemur ſemper conſilia noſtra aliis præſertim hoſtibus aperire.

Reſ. 7. Pacta publica licet ex metu injuſto, vel quæ poſtea apparent Principi pernicioſa, cum hoſtibus etiam infidelibus inita ſervari debent, niſi hoſtis prior fidem fregerit; quia alias nunquam eſſet finis bellorum; cum enim regulariter bellantes, ſicut litigantes putent jus pro ſe ſtare, quilibet diceret ſibi vim injuſtam illatam, & reſumptis viribus bellum inſtauraret. Neque poteſt in his pactis diſpenſare Papa, niſi cedant in grave præjudicium Religionis; quia diſpenſatio eſt contra jus gentium, & præſertim infidelibus ſcandaloſa, qui ſi ſcirent Papam poſſe diſpenſare, nunquam inirent pacta cum Catholicis, quod cederet in grave præjudicium Reipublicæ Chriſtianæ; dummodo tamen pacta

(a) *Joſue* 8. *v.* 2.

pacta non ſint ex objecto mala, adeoque nec ad malum poſitive faciendum obligatoria.

Reſ. 8. Si aliqui ad Eccleſiam confugiant, & inde pugnent, poſſunt ex adverſo invadi, occidi, extrahi, quin violetur immunitas; quia illi inde pugnantes fecerunt ſe immunitatis exſortes.

Reſ. 9. Poteſt Princeps Catholicus in auxilium vocare infideles, & hæreticos, vel eos juvare; ſic enim cum Romanis fecerunt Machabæi: attamen niſi urgens neceſſitas ſit, eſt illicitum propter graviſſima mala, quæ inde ſequuntur; ſacris enim nec locis, nec perſonis, nec rebus reverentiam habent, erroribus ſuis ſimul cohabitantes imbuunt, eos verbo, & exemplo pervertunt.

Reſ. 10. Bellum non poteſt eſſe materialiter juſtum ab utraque parte; quia res vel competit uni vel alteri: poteſt tamen eſſe juſtum ex parte utriusque formaliter ex invincibili ignorantia, vel bona fide.

(81) *Reſ.* 11. Licitum eſt uti *repreſſaliis*, quæ ſunt quædam ſpecies belli, ideoque easdem requirunt conditiones: nec facile ſunt concedendæ, cum occaſionem præbeant rapinis, aliisque multis malis.

Reſ. 12. Princeps ſupremus tenetur Ducibus ſerio inculcare diſciplinam militarem, & ut militibus debita ſtipendia debito tempore ſolvi curent. Duces, aliique ſubordinati Officiales tenentur verbo & exemplo urgere hanc diſciplinam, ideoque peccant graviter, ſi negligant coercere milites a rapinis, furtis, incurſionibus: ſi non curent, ut præcepta Dei & Eccleſiæ obſerventur, quantum fieri poteſt, niſi diſſimulatio quandoque fiat ex vera neceſſitate, ne V.G. a militibus deſerantur: ſi ſua negligentia permittant prævalere hoſtem: Principem, & patriam non ſtrenue defendant: milites temere exponant internecioni. Si ſine neceſſitate in locis inſalubribus caſtra figant: infirmos deſerant: ſi

non

non provideant militibus de juſto ſtipendio, idem eſt de victualibus, aut ſi dent corrupta. Si minorem numerum militum habeant, & pro majori accipiant ſtipendium, niſi adſit tacitus conſenſus Principis: ſiquid accipiant ad impediendas vexationes militum; quia ex officio, adeoque ex juſtitia ad id tenentur: ſi munerum oblatorum intuitu unum locum vel civem præ alio gravent.

Reſ. 13. Milites peccant graviter, ſi Duci non obtemperent, fortiter non pugnent, arcem ſibi commiſſam deſerant, quamdiu ſpes ſupereſt; quia ſunt conducti, ut iſta præſtent etiam cum vitæ periculo: ſi tranſeundo terras, incolas vexent extorquendo pecunias, vel victualia ultra debitum. Nec excuſat diſſimulatio Ducis, parvum nimis ſtipendium, aut hujus injuſta dilatio; non enim ideo licet ſpoliare innocentes, niſi ſumerent præciſe neceſſaria urgente neceſſitate. Nec ordinarie excuſat, quod ultronee dentur; quia dantur ex metu plerumque majoris mali.

QUÆSTIO X.

(82) *Quid ſit Duellum, an licitum?*

D. 1. Duellum proprie eſt *pugna periculoſa duorum ex condicto inita cum determinatione temporis & loci:* quæ particulæ in ordine ad pœnas ſunt ſtricte interpretandæ; odioſa enim ſunt reſtringenda, quamvis quoad peccatum parum ſæpe referat. Duellum aliud eſt *ſolemne*, quod fit cum certis ceremoniis V. G. adhibentur teſtes, (quos *ſecundantes* vocant) mittuntur litteræ provocatoriæ: aliud *ſimplex*, quod ſine his fit cum determinatione tamen loci & temporis.

Reſ. 1. Pugnæ, quæ ſunt ſine periculo occiſionis aut gravis læſionis, ut pugnis, levi baculo, evulſione

cri-

erinium, ſunt peccata ſæpe gravia, non tamen Duellum.

Reſ. 2. Si ex improviſo occurrentes pugnent, aut ſi unus alterum quæſierit, ſi ex duobus rixantibus unus vel uterque currat domum, & cum armis redeat, & pugnet, vel ſi in impetu iræ dicat: hic pugnemus, non eſt rigoroſe loquendo duellum defectu condicti.

Reſ. 3. Si rixantes in loco non apto ad pugnam dicant: exeamus hinc, vel veni foras, & ſtatim pugnent, non eſt duellum; quia non eſt determinatio loci. Siquis dicat: pugnabo tecum, ubi bellum erit finitum, vel ubicumque te repererero ſine teſte &c. non eſt duellum, quia determinatio temporis & loci eſt vaga.

D. 2. Duellum authoritate privata offerre, vel acceptare eſt graviter illicitum & intrinſece malum; quia homo non habet dominium in ſuam & alterius vitam & membra; ergo privata authoritate non licet ſe, aut alium occidere, aut vulnerare, nec horum periculo exponere, quod eodem præcepto prohibetur. Unde Sanctiſſimus Papa Benedictus XIV. (a) ait: ***Duella omnia tam publica, quam privata, & naturali & divino ac Eccleſiaſtico jure prorſus illicita, vetita, atque damnata cenſeri debent.*** Duellans itaque duplex committit peccatum, unum reſpectu ſui, aliud reſpectu alterius.

Reſ. 1. Non eſt licitum, offerre, vel acceptare duellum ad vitandam ignominiam & notam timiditatis, quam cenſetur incurrere, qui duellum oblatum non acceptat; quia apud prudentes & probos nulla incurritur ignominia. Poteſt provocatus provocanti dicere, ſe eum non æſtimare dignum; cum quo congrediatur contra leges divinas & humanas, interim iturum ſe indies vias ſuas, paratumque fore, & nunc eſſe contra quemvis invaſorem ſe tueri, & dexteritatem oſtendere.

(a) *in Bulla: Deteſtabilem.* 1752. 10. *Nov.*

re. Simili facta proteſtatione magno cum honore duellum detrectabit apud prudentes, aliorum vero judicia curanda non ſunt, ubi de animæ ſalute agitur; ideo (a) damnata eſt hæc prop. ſecunda: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt id acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Reſ. 2. Provocatus poteſt vias ſuas incedere armatus; quia non teneor omittere actiones licitas cum notabili incommodo, & prudentis eſt ſibi conſulere, non tamen accedere ad locum condictum ſaltem tempore deſignato; quia ſic moraliter cenſeretur conſentire in duellum, cujus etiam periculo ſe exponeret.

Reſ. 3. Si recuſans duellum deberet cadere officio V. G. militari ad ſuam & familiæ ſuſtentationem unice neceſſario V. G. milites nolunt amplius ſub illo militare, ut habet caſus facti, de facto nequidem probabiliter poteſt acceptare duellum ob ſequentes propoſitiones (b) damnatas. *Prop.* 1. *Vir militaris, qui, niſi offerat, vel acceptet duellum tanquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe ſuosque ſuſtentat, privaretur, vel promotionis alias ſibi debitæ, ac promeritæ ſpe perpetuo carere deberet, culpa & pœna vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum.* *Prop.* 2. *Excuſari poſſunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipenſionis gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo ſciunt pugnam non eſſe ſecuturam, utpote ab aliis impediendam.* *Prop.* 3. *Non incurrit Eccleſiaſtiſticas pœnas, ab Eccleſia contra duellantes latas Dux, vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amiſſionis famæ vel officii.* *Prop.* 4. *Licitum eſt in ſtatu hominis naturali, acceptare & offerre duellum ad conſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum*

(a) *ab Alexand. VII.*

(b) *a Benedict. XIV. Bulla ſup. cit.*

earum jactura propulſari nequit. Prop. 5. Aſſerta licentia pro ſtatu naturali applicari etiam poteſt ſtatui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magiſtratus juſtitia aperte denegatur.

Reſ. 4. Non eſt licitum duellum fictum, quod ſine animo vulnerandi ſuſcipitur vel ex conditione, ut uno vel leviſſime vulnerato deſiſtant; nam adeſt prohibitio *Clementis VIII.* ignorantibus datur grave ſcandalum, nec eſt facile arma ad occidendum apta & cum intentione vulnerandi adhibita ita moderari, ut non infligatur vulnus lethale.

(83) *D.* 3 Authoritate publica licitum eſt duellum. 1. ſi neceſſarium judicetur ad finiendum bellum juſtum, ad avertendam ignominiam a toto exercitu, ad erigendos animos ſuorum. Sic *David* duellavit cum *Goliath:* Sic *S. Wenceslaus* ut ſuorum ſaluti proſpiceret, duellum elegit non ſine miraculo, ut habet Breviarium; adeſt enim juſta cauſa exponendi vitam duorum ad parcendum multis, modo tamen victoria ſic non reddatur magis dubia. 2. Licitum eſt duellum, ſi judex, quamvis male, deferat duobus reis mortis duellum, ut victori vita condonetur; quia tunc hoc faciunt ut ſententiæ quoad ſubſtantiam juſtæ executores. 3. Nequidem authoritate publica licitum eſt duellum ad finiendam controverſiam privatam, ad manifeſtandam veritatem, innocentiam, objecti criminis purgationem, prout olim fieri conſuevit; tum quia Princeps non habet poteſtatem in vitam innocentum: tum quia duellum eſt medium inutile ad hos fines, cum in illo æque cadere poſſet innocens, ac nocens, unde veritatis manifeſtatio expectatur vel a diabolo, & eſt ſuperſtitio, vel a Deo, & eſt Dei tentatio.

(84) *D.* 4. *Pœnæ* duelli illiciti proprie dicti *Eccleſiaſticæ* potiſſimum ſunt excommunicatio, & priva-

tio ſepulturæ in loco ſacro: *civiles* ſunt bonorum confiſcatio, exilium, ſupplicium mortis. Pro quo

Reſ. 1. Excommunicationem latæ ſententiæ Papæ reſervatam incurrunt duellantes, & omnes quovis modo cooperantes etiam duello non ſecuto *ob Bullam Clementis VIII.*; ex qua provocans illam incurrit, licet alter non acceptet: conſulens autem non incurrit ſi conſilium revocavit, quantum potuit, licet duellum ſequatur: alias incurrit, duello etiam non ſecuto, jure ſic ſtatuente.

Reſ. 2. Eam incurrunt ſpectatores, qui palam & ſtudioſe accedunt; quia cenſentur ſua præſentia animare: non tamen incurrunt, ſi pugna in effectu non ſequatur; tunc enim non fuerunt ſpectatores; nec incurrunt, qui ex occulto vel obiter aſpiciunt, minus ſi comitentur ad impediendum, ad audiendum confeſſionem, ad medendum vulneratis; quia non cenſentur movere.

Reſ. 3. Qui in duello alterum occidit, ſive hic mortuus fuerit in loco conflictus, ſive extra illum ex vulnere in duello accepto, privatur jure aſyli, ad quod confugit, ita ut, ſervatis de jure ſervandis, ex loco aſyli extrahi, & judicis competentis curiæ pro merito puniendus tradi poſſit ac debeat. Imo vivente adhuc altero in duello graviter vulnerato percuſſor ipſe, ſi in locum immunem ſe receperit, ex quo eveniente morte fugere poſſit, prævio decreto Epiſcopi & aſſiſtente Perſona Eccleſiaſtica ab eodem Epiſcopo deputata e loco immuni extrahi (modo periti ad inſpiciendum vulnus vocati grave vitæ periculum adeſſe atteſtati fuerint) & carceribus mancipari poteſt; ea tamen lege, ut Judices illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vixerit ultra tempus a legibus, quæ de homicidio ſunt, conſtitutum: alioquin in easdem pœnas incidant, quæ ſtatutæ ſunt adverſus illos, qui delin-

quen-

quentem ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi extraditum reſtituere recuſant, poſtquam is hujusmodi indicia diluerit. Ita Ssmus Papa Benedictus XIV. (a).

Reſ. 4. Si duellans eſſet Clericus, præter communes pœnas incurreret ſuſpenſionem ſententiæ ferendæ, privationem beneficiorum & inhabilitatem ad illa *vi Conſtitutionis Pii V.*

QUÆSTIO XI.

(85) *Quid, & quale peccatum ſit ſcandalum?*

D. 1. Scandalum, intellige: *activum* eſt *dictum*, vel *factum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*, hoc eſt: peccati. *dr. dictum vel factum*, & ſubintelligitur dicti vel facti omiſſio; quia per omiſſionem V. G. horarum canonicarum poſſum alteri dare ſcandalum. *Dr. minus rectum;* hoc eſt: quod vel malum eſt, vel ſaltem ſpeciem mali habet, ut ſi diſpenſatus in quadrageſima comedas carnes, aliis hoc ignorantibus, potes illis dare ſcandalum. *Dr. præbens occaſionem peccati;* hoc eſt: aptum eſt movere eos, coram quibus hoc facis, ad peccandum, ut ſi loquaris turpia coram adoleſcentibus. Hinc ſi opus malum facias coram iis, quos noſti per hoc inducendos non eſſe ad peccatum, aut peccati periculum, non eſt ſcandalum; quod fieri poteſt, ſi ſint tam probi, ut inde non moveantur, vel ita animo parati ad peccandum, ut tuum exemplum nil conferat ad eorum peccatum. Hinc peccatum ſcandali committitur, quando alter occaſione facti vel dicti noſtri minus recti vel actu inducitur ad peccatum, vel exponitur probabili periculo peccandi, licet actu non peccet.

Reſ. Corrigi debet error plurium de vulgo, qui, dum videntes, aut reſcientes aliorum peccata juſte commo-

(a) *in Bulla cit. Deteſtabilem.*

moventur, indignantur, vel malam de talibus opinionem concipiunt, dicunt ſe ſcandalizatos, quod non eſt; per hoc enim illi non peccant, niſi inde erumpant in maledictiones, judicia temeraria, aliorum contemptum &c. prout ſolent ſimplices, dum vident Religioſos male agere; jam enim de tota communitate temere judicant.

D. 2. Scandalum aliud eſt ***activum*** jam definitum: aliud ***paſſivum*** & eſt ***ipſa ruina ſpiritualis ab activo ſuo modo cauſata. Activum*** aliud ***eſt directum***, quando peccatum proximi directe intenditur, non quidem ſemper ipſa malitia, hoc enim dæmones faciunt, dum hominem tentant, ſed quando aliquid facis eo fine, ut proximus peccet, licet malitiam directe non intendas; ut facere ſolent homines, dum V. G. voluptatis cauſa mulierem inducunt ad peccatum: aliud ***indirectum***, quando non intendis, attamen prævides ex dicto vel facto tuo ſine juſta cauſa poſito peccatum alterius probabiliter futurum; debes autem hoc prævidere, alias deeſt voluntarium.

D. 3. *Paſſivum* aliud eſt ***datum***, quod proximus committit ex occaſione dicti vel facti noſtri inductivi in peccatum: aliud ***acceptum***, quod committit ex occaſione operis noſtri de ſe nullam mali ſpeciem præſeferentis, adeoque ex ſe non inductivi ad peccatum; hoc ſi oriatur ex ſola alterius malitia, dicitur ***phariſaicum*** a Phariſæis, qui ex optimis CHRISTI actionibus ſcandalizabantur: ſi ex alterius infirmitate, dicitur ſcandalum ***puſillorum***, ſi V. G. homo lubricus ex licito ornatu mulieris labatur in deſiderium pravum.

D. 4. Scandalum activum eſt peccatum ſpecie diſtinctum ex genere ſuo mortale, quia opponitur charitati, qua tenemur ſaluti proximi providere: fit veniale etiam ex parvitate materiæ; ſi inducens in peccatum veniale, ſaltem regulariter non peccat, niſi venialiter,

liter, quia veniale in genere ſuo eſt leve, cum ſit, facile reparabile. *Dixi: Regulariter;* quia ſiquis induceretur ſæpius ad venialia V. G. levia furta, potationes, Religioſus ad frequentes fractiones diſciplinæ, eſt mortale; paulatim enim erit mortale periculum vel gravioris peccati, vel notabilis damni in diſciplina regulari.

(86) *D.* 5. Non tantum ſcandalizans directe, ſed & indirecte tantum contrahit omnem malitiam peccati, cujus occaſionem dedit. *Prob.* Ad contrahendam malitiam ſufficit voluntarium indirectum & interpretativum: ſed qui ſine juſta cauſa ponit actionem præbentem alteri occaſionem peccandi, illius peccatum eſt ipſi indirecte & interpretative voluntarium; ergo. *M. p. a. pari:* qui fornicatur in loco ſacro, licet directe non intendat irreverentiam loci, reus eſt ſacrilegii, & ſic de aliis. *m. etiam patet;* ergo.

Reſ. 1. Qui inducit alium ad ebrietatem per hauſtus exceſſivos, peccat triplici peccato: ſcilicet ebrietatis propriæ, & alienæ & ſcandali contra charitatem. Idem eſt de fornicatione, licet perſona illa ſit habitualiter, imo & nunc actualiter parata ad peccandum, quia peccatum externum ſaltem addit malitiam per accidens, addendo majorem durationem, intenſionem &c. Si duo ſe invicem turpiter tangant, qui primo induxit, debet hoc explicare.

Reſ. 2. Qui per ebrietatem aliquem inducit ad blaſphemiam, peccat contra charitatem, contra temperantiam, & religionem. Qui religioſum inducit ad fornicationem, peccat contra charitatem, caſtitatem & religionem, teneturque in confeſſione explicare non tantum ipſam inductionem, ſed & qualitatem perſonæ, quod fuerit Religioſus.

Reſ. 3. Scandalizans indirecte debet in confeſſione dicere: poſui talem actum, ex quo prævidi tot & tales

perſonas talia peccata probabiliter admiſſuras. Sic pater verba valde turpia proferens coram 3. ſtudioſis, quorum unus eſt filius proprius, alter Subdiaconus, tenetur explicare, quod ſuo filio, quod Subdiacono & alteri in tali materia grave ſcandalum dederit, alias peccati ſui numerum & ſpeciem non explicaret.

Reſ. 4. Qui verba turpia coram pueris proferunt, peccant graviter, quia exponunt ſe periculo aliquos ex illis ſcandalizandi, hoc eſt: ad delectationes & motus turpes inducendi.

Reſ. 5. Peccant mortaliter 1. pingentes, exponentes ſtatuas vel imagines ſcandaloſe nudas; hæ enim æque, ac magis movent ad turpia, quam ſermo, & tamen certum eſt, per hunc dari grave ſcandalum, ſi ſit valde obſcænus: nec excuſat uſus communis, vel, quod ſic oſtendatur ars; nam uſus ille eſt peſſimus abuſus: ars autem, quæ ad bonum reipublicæ eſſe debet, quoad hoc perdit finem artis, cum ſit maxime pernicioſa: & quamdiu non deſtruunt vel ad honeſtatem reconcinari faciunt, omnium Sacramentorum ſunt incapaces. 2. Qui ſcribunt, imprimunt, retinent, aliis tradunt libros amatorios: cantilenas turpes & ſimilia. 3. Qui componunt vel agunt comœdias obſcœnas, qui ſua præſentia eas approbant, alios animant ſuo exemplo, quia ſic multi exponuntur periculo delectationis turpis. 4. Fæminæ geſtantes pectus notabiliter nudatum, veſtes ante ventrem nimis tenues, aut nimis curtas, &c. quia ſunt infirmis occaſio ruinæ, eſtque neganda abſolutio, niſi ſerio abſtinere promittant; nec excuſat conſuetudo, quia contraria eſt legi Dei & naturali. 5. Qui vexando alios inducunt ad blasphemias, imprecationes, contumelias graves, licet ſolo animo jocandi faciant. *Idem eſt de multis aliis.*

Reſ. 6. Aliquando eſt obligatio explicandi in confeſſione etiam conditionem ſcandalizantis, ut ſi Superior

rior, paterfamilias, Parochus ſcandalizaverit ſuos ſubditos: hi enim ſimul ex officio tenentur horum ruinam præcavere.

Q. 1. *An & quæ opera ad vitandum ſcandalum omitti debeant?*

(87) ℟. 1. Ad vitandum ſcandalum nunquam licet exercere actionem intrinſece malam etiam venialiter tantum; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. ℟. 2. Nec eſt omittendum medium neceſſarium ad ſalutem, quia hæc prævalet; nec opus bonum in detrimentum fidei, vel boni communis ſpiritualis; quia & his cedere debet bonum privati. ℟. 3. Ad vitandum ſcandalum phariſaicum non tenemur omittere opus bonum etiam conſilii tantum; quia proximus tunc non eſt in neceſſitate, & alias quilibet poſſet ſua malitia aliorum opera bona impedire. Patet id ex verbis CHRISTI (a) quando Diſcipulis referentibus, quod Phariſæi ſcandalizentur ex dictis ejus & factis, reſpondit: *ſinite eos, cæci ſunt.* ℟. 4. Ad vitandum ſcandalum puſillorum, quod fit ex ignorantia vel infirmitate, opera conſilii tantum vel ſaltem non neceſſario hic & nunc exequenda debent occultari vel differri ad aliquod tempus, charitate ſic exigente. ℟. 5. Dum occurrit præceptum affirmativum etiam naturale, non prohibens res intrinſece malas, attendendum eſt, quid omnibus ſpectatis ſtrictius obliget, an evitandum ſcandalum, an aliud ſit ſervandum? pro quo non poteſt dari regula generalis. *Practice*

Reſ. 1. Punitio peccatorum eſt juris naturalis, attamen omittenda, dum ex ea ſequerentur plura & majora peccata, ut diſſenſiones, ſchismata.

Reſ. 2. Integritas Confeſſionis eſt juris divini, attamen mulier poteſt & debet omittere peccatum, ex quo prudenter judicat Confeſſarium ex infirmitate ſigil-

(a) *Matth.* 15. *v.* 14.

gillum fractum propter ſcandalum, ſi non poſſit confiteri alteri.

Reſ. 3. Si ſcias ex ingreſſu in domum mulieris, in qua eſt infans baptizandus ſine baptismo moriturus, oriri grave ſcandalum, debes ingredi, præmiſſa, ſi potes, monitione, quia ſalus infantis prævalet.

Reſ. 4. Mulier poteſt & debet ſemel & iterum non jejunare in quadrageſima, non audire Miſſam die feſto, ſi prævideat inde maritum ex infirmitate ſumpturum occaſionem blasphemiarum, imprecationum &c.

Reſ. 5. Potes & debes non intereſſe ſacro, ſi, dum intereris, ſcias orituras inter cives cædes, vel rixas, quas impedire poſſes.

Reſ. 6. Filius etiam poſt votum tenetur ad breve tempus abſtinere ab ingredienda religione, ab amplectendo ſtatu Eccleſiaſtico, ſi parentes vel cognati prævideantur inde graviter turbandi, peccaturi malum imprecando &c. donec debite informentur, quo facto ſi pergant ſcandalizari, eſt ſcandalum phariſaicum, ideo ceſſat obligatio omittendi opus bonum.

Reſ. 7. Mulier advertens ſe turpiter amari a quodam, quoties in ejus oculos incurrit, peccat graviter, ſi ſine ulla neceſſitate aut utilitate ſe ei aſpiciendum objiciat: aut ejus conſortium, dum commode poteſt, non vitet; non tamen tenetur abſtinere ab ornatu ordinario & honeſto juxta ſuam conditionem ob ſcandalum vagi, ſive alicujus indeterminati; quia habet jus ad hunc, & contraria obligatio eſſet nimis gravis: ſimiliter ſcandalo inattento poteſt exire, ſi adſit neceſſitas, aut honeſta cauſa, ut viſitet vicinas, aut vadat ad Eccleſiam, interſit publicæ ſupplicationi; utitur enim jure ſuo, habetque juſtam cauſam, & turpis amator ſuæ malitiæ adſcribat, ſi ex aſpectu labatur in peccatum; unde nequidem ſemel aut aliquoties tenetur omittere auditionem Miſſæ etiam die feriali ad vitandum

dum ſcandalum vagum; ſi autem prudenter timeat aliquem determinatum ſcandalizandum, poteſt ex charitate omittere una alterave vice in die feſto, ad hoc tamen ſatis probabiliter non tenetur.

Reſ. 8. Actiones indifferentes tenemur omittere ob ſcandalum etiam phariſaicum, ſi non ſit rationabilis cauſa illas ponendi, ſecus, ſi adſit rationabilis cauſa. *Ratio eſt;* quia charitas dictat, ne absque cauſa offeramus etiam peccaturo ex malitia occaſionem peccandi, cum teneamur peccatum proximi impedire, dum facile poſſumus: hinc ſi in priori caſu mulier poſſit ſcandalum impedire, Miſſam alibi vel alio tempore ſine incommodo audiendo, ſe velando, &c. ad hoc tenetur. Dum autem adeſt aliqua neceſſitas, vel utilitas propria vel proximi, aut honeſta cauſa, utor jure meo, & ad peccatum, quod ex alterius prava diſpoſitione ſequitur, habeo me permiſſive, plus tamen requiritur ad permittendum ſcandalum puſillorum, quam phariſaicum, & quo majus eſt peccatum, eo gravior requiritur cauſa; *de quo mox infra.*

(88) *Q.* 2. *An aliquando liceat cooperari alterius peccato?* Cooperatio hæc fit dupliciter, *primo* præbendo materiam ad peccandum V. G. carnes die prohibita. *Secundo* concurrendo ad actionem peccaminoſam.

℞. 1. Nunquam licet proxime cooperari actioni, quæ ſine peccato fieri non poteſt; quia tunc cooperans cenſetur velle peccatum.

℞. 2. Non licet præſtare operam ſuam vel rem aliquam, quæ in talibus circumſtantiis proxime in alterius peccatum influat, talis enim re ipſa vult alterius peccatum, adeoque cooperatur formaliter. ℞. 3. Licitum eſt cooperari remote & materialiter per actionem de ſe indifferentem ex rationabili cauſa prudentis judicio penſanda, modo abſit intentio cooperandi pecca-

to, nec tenetur quis ex officio peccatum proximi impedire; quia tunc cenſetur ſe tantum permiſſive habere ad alterius peccatum, & uti jure ſuo. Sed quænam actio proxime vel remote hic & nunc ad alterius peccatum concurrat, & quænam ſit ſufficiens cauſa, difficillimum eſt judicare. Pro quo

Obſ. 1. Quo peccatum proximi eſt gravius, eo major cauſa requiritur: hoc enim exigit charitas.

Obſ. 2. Si peccatum ſit contra juſtitiam, requiritur gravior cauſa; ſic enim ſimul læditur jus tertii.

Obſ. 3. Eo gravior cauſa requiritur, quo cooperatio eſt propinquior.

Obſ. 4. Gravior, ſi ſecluſa noſtra actione non æque facile ſupponantur alii idem acturi.

Obſ. 5. *Denique* gravior, dum quis minus juris habet ad aliquam operationem V. G. ad petendum Sacramentum minus neceſſarium a miniſtro indigno. Res hæc valde implexa fiet clarior in exemplis. Hinc

Reſ. 1. Non peccant famuli vel ancillæ, dum obediunt ſuis heris in actibus ad eorum peccata remote ordinatis, ſi aliunde ad id cogantur ſub jactura ſervitii; unde licite coquunt cibos vetitos: miniſtrant menſæ eos edentium, licite heros aut heras comitantur pueri obſequii cauſa ad locum, in quo turpiter acturos præſciunt; excuſat enim ratio ſervitii & evitatio incommodorum: debent tamen ſibi de alio ſervitio proſpicere. Econtra peccant, ſi obediant in actionibus ad peccata illorum proxime ordinatis V. G. litteras amatorias & ad peccatum invitantes ſcribunt, portant &c.; quia ipſa portatio eſt externa ſollicitatio. Idem eſt de muneribus ad malum finem oblatis. Item peccant, dum mulierem vocant, dominum comitantur eo fine, ut liberius peccet &c. Patet totum ex hac *Prop.* 51. (a) damnata: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat*

(a) *ab Innoc. XI.*

juvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando; non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta; ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur. Et *Ratio eſt:* quia ſic proxime cooperatur ad peccatum, quod eſt intrinſece malum. Si tantum dubitet, an V.G. litteræ: quas deferre jubetur, aliquid mali contineant, poteſt portare; quia delictum in dubio non debet præſumi.

Ob. Delatio ſcalæ, apertio januæ &c. ſunt actiones indifferentes, ergo non ſunt illicitæ. ℞. *d. a.* ſi ſpectentur ſecundum ſe *c.* ſi prout hic & nunc proxime deſerviunt fini intrinſece malo, ejusque executionem promovent. *n.*

Reſ. 2. Attamen probabilius non eſt illicitum ex metu gravi mortis adjuvare V. G. furem in aſportanda ciſta furtiva, aut in deferendo damno temporali V.G. incendio domus; quia ad evitandum extremum vitæ periculum poſſet famulus ſe ipſo alteri auferre rem temporalem ſine peccato furti; cum dominus ſic nequeat eſſe rationabiliter invitus; ergo & poterit adjuvare alterum. Nec actio tunc ex parte adjuvantis eſt mala, licet ſit talis ex parte alterius, cum ex parte hujus dominus ſit rationabiliter invitus. Aliud eſt, ſi dominus petat adjuvari ad mutilationem, occiſionem innocentis, ad fornicationem &c. cum enim innocens non ſit dominus membrorum & vitæ, nequit conſentire in ſui mutilationem, & ideo cooperatio famuli manet intrinſece mala.

(89) *Reſ.* 3. Chriſtiani captivi ob gravem metum licite remigant in triremibus Turcarum contra Catholicos, licite contra eosdem arma, tormenta bellica comportant, propugnacula ædificant; quia hæ actiones ex ſe ſunt indifferentes, & adeſt juſta cauſa, dum

adeſt

adeſt metus gravis : ſed non poſſunt licite nequidem ob metum mortis ignem admovere tormentis bellicis ad occiſionem Catholicorum ; quia talis actio eſt intrinſece mala, præſertim ſi bellum Religionem concernat.

Reſ. 4. Pharmacopolæ, & ſimiles ſingulariter curare tenentur, ne vendant res, quæ ad malum uſum proxime deſerviunt V. G. medicamentum ad abortum, ſi ex circumſtantiis loci, perſonæ, temporis, modi petendi prudenter dubitent de abuſu. Si petatur venenum, quod uſibus neceſſariis deſervire poteſt V. G. ad confectionem colorum, medicinarum, vendi poteſt iis tantum, qui eo ad hujusmodi bonos fines uſuri prudenter exiſtimantur ; ſi autem non deſerviat niſi ad occiſionem hominis vel ad abortum, vendi non poteſt.

Reſ. 5. Non peccant caupones , dum miniſtrant vinum, cœnam, carnes volentibus ſe inebriare, jejunium frangere &c. ſi denegando incurrerent grave damnum, eoquod ſua non poſſent diſtrahere , ab hoſpitibus deſererentur &c, quia adeſt juſtus titulus, & actio eſt indifferens; manet enim hoſpitibus integrum exceſſive vel moderate bibere, & facile invenientur alii, qui dabunt. Quod tamen de appoſitione carnium communiter reſtringitur ad loca, in quibus Catholici permixtim vivunt cum hæreticis; in civitate enim pure Catholica non licet carnes miniſtrare hæretico in die jejunii: ſicut nec licet toti familiæ, in qua plures ſunt ad jejunium obſtricti, nec apponere cœnam , dum permittitur tantum collatio quia hic ceſſat titulus excuſans, cum non adſit notabile damnum. Idem dici poteſt, ſi duo tantum vel tres ad cauponam venire ſoleant, ibique ſe inebriare aut jejunium frangere; cum ex illorum emanſione numerus hoſpitum potius augeatur. Interim ſola carentia lucri ex venditione vini V. G. tunc habendi non excuſat: hoc enim eſt modicum, ſed debet aliorum hoſpitum inde numerus

rus notabiliter decreſcere, ſicque ceſſare lucrum notabile. Quod ſi viri honeſti petant V.G. carnes in die jejunii, nec conſtet eos hic & nunc obligari lege jejunii, præſumi poteſt excuſari, vel diſpenſationem habere.

Reſ. 6. Artifex, qui famulos habet Acatholicos, non poteſt illis tempore abſtinentiæ dare carnes comedendas præciſe propter murmur vel quid ſimile; poteſt tamen, ſi cum magno ejus damno abire vellent.

Reſ. 7. Excuſantur a peccato, qui ex gravi cauſa ad lucrandum V.G. panem juvant ædificare, vel reſtaurare ſynagogas Judæorum, templa hæreticorum; quamvis enim deſerviant ad finem malum, ædificatio tamen ad illum habet ſe remote.

Reſ. 8. Licitum eſt hero famulis, quos ad furandum pronos novit, non auferre occaſionem, ut deprehenſi emendentur vel ejiciantur; quia permiſſio unius furti, ut vitentur plura, eſt juſta cauſa non auferendi talem occaſionem. Probabilius tamen non licet ideo de induſtria illis aliquid objicere V. G. pecuniam in loco aperto; quia hoc eſt poſitive concurrere ad peccatum & ſollicitare. Minus videtur licere iſta facere eo præciſe fine ut deprehenſus mulctam ſolvere teneatur; quia cum mulcta exigi non poſſit, niſi ſuppoſito novo peccato, ſicut poteſt fieri emendatio, hinc qui cauſam vel anſam præbet ad obtinendam mulctam, eo ipſo vult ſaltem indirecte ipſum peccatum ut quid præſuppoſitum ad exigentiam mulctæ.

(90) *Reſ.* 9. Non licet aliqud petere a proximo, quod hic ſine pecato præſtare non poteſt, licet paratus ſit; eſt enim poſitive cooperari ad peccatum V.G. petere a malefico ſolutionem maleficii, quod non poteſt tollere abſque novo maleficio. Attamen licitum eſt petere, quod quis abſque peccato præſtare poteſt, licet prævideatur præſtiturus cum peccato, ſi adſit cau-

ſa

ſa rationabilis, neceſſitas, vel utilitas; ſic licite petit mutuum ab uſurario, quod prœvides non concedendum ſine uſura, modo non offeras te ipſum ad illam: licite petis ſolutionem maleficii a maga, ſi poſſit tollere ſine novo peccato, quamvis prævideas non facturam. Licite petis Sacramentum a Miniſtro, quem ſcis adminiſtraturum in peccato, ſi adſit cauſa rationabilis: quia V. G. alium commode non potes habere; in his enim & ſimilibus ad peccatum alterius te habes permiſſive, quod ex ratioabili cauſa licet. *Denique* Confeſſarius ſic maxime rigidus cum iis, qui alios verbo & exemplo inducunt in peccatum, quod proprium eſt dæmonum officium, compertum eſt frequenter accidere, ut tales vix aut nunquam condignam pœnitentiam agant; quia hi, quos induxerunt, jam forte damnati ſunt, vindictam a Deo & æternam eis maledictionem jugiter imprecantes.

De Virtutibus theologicis.

Caſus I. Parochus 1. poſt Confeſſionem puerorum inter alia quærit, an credant Deum eſſe, punitorem eſſe, & reſpondentes: ita, prævio dolore abſolvit. 2. In Catechismo per errorem proponit duplicem in Chriſto eſſe perſonam, & circa hoc cum ruſticis fidem elicit. 3. Docet hoſtiam in elevatione debere adorari, quia fide divina credi debet Chriſtum in illa eſſe præſentem. Q. 1. *Quid ſit credere fide Theologica ſupernaturali? 2. an in 1. bene procedat Parochochus? 3. an & qualis in 2. & 3. eliciatur fides?*

℟. 1. Non eſt tantum cogitare de credendis, ſed cogitare cum adhæſione firma intellectus, idque propter authoritatem Dei dicentis per lumen fidei applicatam (a). ℟. Ad 2. *negative.* Pueros & rudes non ſufficit interrogare: an hoc vel illud credant? ſed debet

(a) *Vid. Num.* 3.

bet expicari: quid ſit credere? debet ad captum proponi, & firmiter inculcari motivum fidei, idque priusquam ad ſingula credenda procedatur; ſi enim fiat in fine, jam priora evanuerunt: nec ſufficit dare formulam fidei; hanc enim pſittacorum more multi recitant. Idem eſt de ſpe, de dolore, &c. Ubi non ſufficit quærere, an de peccatis doleant? ſed inculcandum eſt motivum. Ad 3. ℟. *in* 2. Eſt fides naturalis tantum, non ſupernaturalis divina, cujus motivum eſt authoritas Dei per revelationem reipſa exiſtentem interpoſita, hoc enim requirit actus fidei certitudo & infallibilitas. Hoſtia in elevatione adorari debet, ſed Chriſtum in hac præciſe numero hoſtia eſſe realiter præſentem non poteſt fide divina abſolute credi, cum poſſit eſſe abſolute falſum, ſi Sacerdos V. G. rite non eſſet ordinatus: ad adorandum autem ſufficit prudenter exiſtimare rite conſecratam (a).

Caſus II. Titius Lutheranus nobilis peregrans civitates catholicas. 1. Incipit dubitare de fide ſua. 2. Catholica eidem videtur probabilior; ſua tamen adhuc probabilis, hinc manet in ſua, etiam ideo, quia judicat in articulis fundamentalibus convenire, & potiſſimum, quia ad parentes redire non auderet, boniſque ſuis privabitur. Q, *Quid facere debeat? an ſectam ſuam deſerere? &c.* ℟. 1. Peccat graviter manendo in fide ſua; licet enim non teneretur ſtatim eam abjurare, nec potuerit elicere actum fidei divinæ, quamdiu ipſi ſua videbatur probabilis, cum requiratur certitudo moralis, tenebatur tamen Deum ſincere orare, Catholicos, quos putat doctos, conſulere, ac diligenter inquirere, quo facto inveniſſet veritatem fidei Catholicæ, quæ ob evidentiam credibilitatis motivorum eſt evidenter credibilis. 2. Non poterat

(a) *Vid. Num.* 5.

terat ſequi probabilem, ut damnatum eſt; cum enim agatur de neceſſario neceſſitate medii, tutius eligi debet. 3. Male diſtinguunt hæretici articulos neceſſarios a non neceſſariis; cum fides ſe extendere debeat ad omnia, quæ ut revelata proponuntur, & ut talia ab Eccleſia, quæ eſt columna veritatis, propoſita ſunt. 4. Cum temporalia ſint poſtponenda æternis, hinc non ideo excuſatur, quod privetur bonis.

Caſus III. Cajus Lutheranus, credit Incarnationem, eoquod Deus ſumme verax revelaverit, purgatorium non credit; cum judicet non revelatum. 2. Dum cum ſocio catholico itineratur, ſubito in morbum lethalem incidit, & ideo accerſit prædicantem, ſed ſocius vocat Parochum catholicum, cui dicit: ut diſſimulet ſe eſſe catholicum, & infirmum diſponat, ſed de purgatorio & ſimilibus mentionem non faciat: non enim credet. *Q.* 1. *Qualem fidem circa incarnationem habeat Cajus?* 2. *Quid facere debuerit Parochus?* 3. *Quid quilibet ſacerdos Catholicus audiens Acatholicum ad extrema deductum?*

℞. 1. Non habet veram fidem de Incarnatione; quia non credit ob divinum teſtimonium, ut infallibiliter propoſitum (a). 2. Optime fecit diſſimulando ſe eſſe catholicum, cum hoc expediret, & permittendo errorem infirmi, oportebat cum eo elicere actus fidei circa omnia a Deo revelata, & explicite circa ea neceſſaria neceſſitate medii, dein ſpei, charitatis, contritionis perfectæ, manendo in illis, quæ nobis communia ſunt cum hæreticis; ſi patiantur circumſtantiæ, poteſt poſtea rogare, an non, ſi ſciret ſe non eſſe in vera fide, vellet etiam amplecti, & facere omnia ad ſalutem neceſſaria? Si reſpondeat ita: dicat ipſi, ergo da ſignum, quod velis omnem Dei voluntatem implere;

(a) *Vid. Num.* 31.

plere; dein clam ſub conditione abſolvat. *Ad* 3. Bene facit, niſi aliud obſtet, ſi accedat, amice & familariter colloquatur, manendo in communibus, & jam dicta præſtet. Si autem ſit ſpes, proponat illi religionem Catholicam: ſi renuat, adhuc ſub conditione præviis actibus abſolvat; quia forte eſt materialis, & ideo pertinax, quia nil niſi ſcabioſum, de Eccleſia audivit, cujus authoritatem ſi agnoſceret, amplecteretur.

Caſus IV. Confeſſarius vocatus ad moribundam vetulam vagam invenit ipſam myſteriorum fidei omnino ignaram, & propter vim morbi periculum eſſe in mora. Q. 1. *Quænam ſint neceſſario credenda?* 2. *An omnia eodem modo?* 3. *Quænam explicite?* 4. *Quoties eliciendus ſit actus fidei?* 5. *Quid in caſu faciet Confeſſarius?*

℟. *Ad* 1. Omnia, quæ Eccleſia ut credenda proponit. *Ad* 2. Aliqua tenemur ſcire & credere explicite, alia ſufficit credere implicite. *Ad* 3. Tenemur credere neceſſario *neceſſitate medii* explicite 1. quod ſit Deus, & quod ſit bonorum remunerator, ut certum eſt ex Apoſtolo (a). 2. Probabiliſſime Trinitatem & Incarnationem. *Neceſſitate præcepti* explicite omnia contenta in ſymbolo Apoſtolorum; unde eſt obligatio gravis ſciendi iſta cum aliqua intelligentia quoad ſubſtantiam, ut interrogatus apte poſſit reſpondere ſaltem ruditer. Item orationem Dominicam, præcepta decalogi & Eccleſiæ, ac tria maxime neceſſaria Sacramenta (b). *Ad* 4. Tenemur elicere actum fidei per ſe ſub initium uſus rationis, dum myſteria fidei ſunt ſatis propoſita. Sæpius in vita, in articulo & morali periculo mortis. *Per accidens*, dum ſuſcipien-

(a) *Vid. Num.* 16. (b) *Vid. Num.* 19.

piendum eſt Sacramentum pœnitentiæ, vel urget gravis tentatio aliter non ſuperanda (a). *Ad* 5. 1. Illi proponat Deum eſſe, & eſſe remuneratorem. 2. Paucis motivum fidei, ſpei, doloris explicet. 3. Hos actus cum illa eliciat, addendo: ut ſe de peccatis accuſet. 4. Abſolvat ſub conditione ſequendo probabiliorem aliorum ſententiam, agendo id quod poteſt in neceſſitate. 5. Si ſupervivat, ulterius inſtruat de Trinitate & Incarnatione, & repetitis prioribus actibus abſolute abſolvat.

Caſus V. Ad Confeſſarium recenter approbatum in Paſchate accedunt pueri, ſenes, aliique, de quibus neſcit, an in myſteriis fidei ſint inſtructi. 2. Neo-Theologus, qui de confeſſionibus præteritis angitur, eoquod audiverit prærequiri actus fidei & ſpei, de quibus præmittendis non cogitavit. Q. 1. *an pœnitentes ſint examinandi de myſteriis fidei?* 2. *Quid ſi deprehendantur ea ignorare?* 3. *Quid reſpondendum Theologo?*

℞. 1. Qui ruditer omnino confitentur, debent examinari, an ſciant neceſſaria; de illis enim eſt prudens ſuſpicio, non de aliis bene educatis, & frequenter confitentibus. *Ad* 2. ℞. 1. Neſciens aliquod requiſitum ad valorem Sacramenti, vel neceſſitate medii credendum explicite non poteſt ſine prævia inſtructione abſolvi; quia dolere ſupernaturaliter non poteſt, hinc confeſſiones in tali ignorantia factæ debent repeti tanquam nullæ. ℞. 2. Si tantum ſit neceſſarium neceſſitate præcepti, moneri debet ignorans etiam inculpabiliter, & adigi ad propoſitum addiſcendi pro ingenii capacitate: ſi culpabiliter, debet inſuper dolens ſe accuſare de negligentia, poteritque abſolvi ſine inſtructione prævia, ſi prudenter judicetur, quod velit proxi-

(a) *Vid. Num.* 21. & 22.

proxime addiſcere (a). ℟. 3, Pueros ignorantes in concurſu populi remittat ad Parochum, grandiores, ſi fieri poſſit, breviter inſtruat, fidem circa præcipuos articulos cum illis eliciat, & charitative moneat, ut melius addiſcant, ſi vero multum temporis requiratur, & timeantur ex verecundia non adituri Parochum, dicat, ut poſtea data occaſione accedant. *Ad* 3. ℟. Cum ſupponatur fuiſſe inſtructus in rebus fidei, ſupponere poteſt ſe elicuiſſe actus fidei & ſpei exercite virtualiter, licet reflexe non cogitaverit. Timoratus, dum devote orat, tentationibus reſiſtit, Miſſam audit, &c. Simul imperceptibiliter fidem elicit (b).

Caſus VI. Petrus ex Anglia hic converſus ad fidem, volensque ducere uxorem redit in patriam accepturus hæreditatem, & a ſuo Miſſionario petit, an, & qualiter teneatur confiteri ſe eſſe Catholicum? Quidque reſpondendum, ſi deſuper interrogetur, prout fiet infallibiliter? Ipſe Miſſionarius de religione interrogatus, ut illudat, reſpondet: ego ſum ex religione Apoſtoli Pauli, qui cum Judæis erat Judæus, cum gentilibus gentilis, & dum urgent, an non ſit religionis Evangelicæ? reſpondet: ſum, ſubintelligendo: veræ Evangelicæ. Q. 1. *an liceat unquam negare fidem, & quot peccata committat negans?* 2. *An diſſimulare?* 3. *Quomodo informandus Petrus?* 4. *Quid de reſponſo Miſſionarii?*

℟. 1. Eſt peccatum ex toto genere mortale nullo caſu licitum negare fidem etiam externe & indirecte tantum, quod fit, ſi ſigna, verba vel facta, vel ex ſe, vel ex circumſtantiis vel conſuetudine, vel inſtitutione ſunt ſignificativa internæ abnegationis. ℟. 2. Qui a poteſtate publica interrogatus negat fidem, peccat 1. mentiendo in re gravi. 2. Contra præceptum negativum

(a) *Vid. Num.* 20. (b) *Vid. Num.* 18.

tivum de non negando. 3. Contra affirmativum de profitenda fide (a). 4. Peccato ſcandali, ſi alii inde vel confirmentur in falſa, vel inducantur ad vacillandum in vera fide. ℟. 3. Licitum eſt diſſimulare fidem, ſi confeſſionem fidei ſpecialiter non exigat honor Dei, propria aut proximi ſalus, tunc enim non licet, quia eam profiteri tenemur. ℟. 4. Dicat Petro, quod interrogatus a poteſtate publica præſertim in odium fidei teneatur ſub mortali candide confiteri. Si a privatis V. G. parentibus, non quidem tenetur profiteri fidem: ſed neque ei licitum eſt, illam directe, vel indirecte negare. ℟. 5. Videtur in illis circumſtantiis non licuiſſe; cum enim rogaretur de religione, reſpondens ſe eſſe Judæum, cum Judæis, videtur dicere, ſe cum Lutheranis eſſe Lutheranum, cum Calviniſtis Calviniſtam, & negare ſe cum illis eſſe Catholicum, & hoc eſt abuti Paulo. *In ultimo* negavit certe fidem; quia ex circumſtantiis ſignificabat ſe eſſe Calviniſtam.

Caſus VII. Catholicus per Turciam vadens, ut fidem occultet. 1. Sibi imponit nomen Turcicum. 2. Comedit carnes diebus Veneris. 3. Cum Turcis bibit in ſanitatem eorum Imperatoris. 4. Non utitur certo ſigno, quo Chriſtiani ibidem utuntur, imo 5. utitur lineo albo pro tegumento capitis paganos a Chriſtianis diſtinguente, & 6. veſte, in qua figura lunæ picta eſt. *Denique* ſemel adit eorum templa. *Q. An liceat?*

℟. *In* 1. Non videtur peccare; quia nomina iſta non ſunt proteſtativa ſectæ, cum ante hanc fuerint, ſed diſtinctiva perſonæ ex uſu nationis. Minus peccat in 2., ſi non exigatur in contemptum fidei, vel ob particulares circumſtantias non habeatur pro abnegatione fidei, & adſit gravis cauſa; quia Eccleſia tunc

(a) *Vid. Num.* 27.

non

non obligat. *In* 3. Nihil eſt mali, niſi adderet; vivat Imperator hoſtis Chriſtianorum, vel quid ſimile; tunc enim eſt virtualiter abnegatio fidei. *In* 4. Non peccat; occultat enim tantum fidem ſuam, nec ſpecialiter ipſe de fide interrogatur. *In* 5. Non peccat, per ſe loquendo, cum non ſit ſignum ſectæ, ſed Perſonæ. Sicut laicus licite induit habitum monachalem, ut effugiat prætoris manus, licet hic habitus monachum diſtinguat a laico: nec induit eo fine, ut credatur eſſe monachus, ſed, ut ſe occultet, habens ſe permiſſive ad aliorum deceptionem. *Sextum* Probabilius non licet; quia ſimul eſt ſignum proteſtativum ſectæ; niſi quaſi per accidens eſſet depicta cum aliis ſimilibus. *In ultimo*, ſi ex pura curioſitate, per ſe non peccat, ſecus, ſi communicet eorum Ceremoniis (a).

Caſus VIII. Titius 1. legens Breviarium de S. Urſula dicit: non credo, omnes has fuiſſe Virgines, quidquid dicat Breviarium aut Papa. 2. Legens librum hæreticum contra Euchariſtiam incipit hærere, *dein* dubitare, imo & poſitive diſcredere, hinc dicit 1. intelligibili voce, nemine tamen præſente: ſic non eſt, etiam non credo, quod ſit, 2. diſplicet mihi fides Catholica. 3. CHRISTUS non eſt realiter in Euchariſtia. *Denique* tranſit Sanctiſſimum expoſitum & ne caput quidem nudat: *Q.* 1. *Quænam peccata opponantur fidei?* 2. *An & qualiter in his peccet Titius?* 3. *An ſit hæreticus?* 4. *A quo poſſit abſolvi?*

℞. *Ad* 1. Hæreſis & infidelitas. *Ad* 2. Titius 1. non credendo omnes fuiſſe Virgines nil egit mali: non enim tenemur hoc credere, licet habeatur in Breviario; ſi tamen erronee judicavit, eſſe de fide, vel nolit credere, licet Papa definiret ut articulum fidei, eſt

(a) *Vid. Num.* 25. & 26.

eſt hæreticus; quia non credit Papæ infallibilitatem e Cathedra loquentis, quæ eſt de fide: quia tunc loquitur, ut Organum Spiritus S. & ex hujus infallibili aſſiſtentia Eccleſiæ promiſſa. ℞. 2. Legendo ſine licentia librum hæreticum de religione ex profeſſo tractantem peccavit graviter, & incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ: imo habita licentia legendi, cum periculo vacillandi in fide peccavit contra præceptum fidei negativum. ℞. 3. Si propter motiva contraria retrahentia plene voluntarie hæſit, vel negative dubitavit, eſt hæreſis formalis; quia virtualiter judicavit fidem non eſſe certiſſimam, adeoque negat vel Dei revelantis vel Eccleſiæ proponentis infallibilitatem: plus eſt, ſi poſitive dubitavit (a). ℞. 4. Cum ſola hæreſis formalis in- & externa ſit reſervata, hinc reſervationem non incurrit per prima verba; non enim hæreſin ſatis manifeſtavit, nec poteſt colligi, de quo loquatur. *Idem eſt de* 2. ſi ſolitarie ſumatur; nam & Catholico poteſt diſplicere fides, quia habet onera annexa V. G. jejunium, confeſſionem. At in praxi tenendum eſt contrarium. *In* 3. Eſt hæreſis reſervata, quod enim nemo audierit, eſt per accidens. *In ultimo*, ſi poſſit adſcribi alteri cauſæ V. G. diſtractioni, non eſt externa hæreſis. ℞. 5. Si non ſcivit annexam excommunicationem, poteſt abſolvi a quovis Confeſſario; quia caſus papales non reſervantur, niſi ob excommunicationem, quam non incurrit ignorans: (b) ſi ſcivit, requiritur ſpecialis facultas; & ſi ſit hæreticus relapſus, hoc eſt: ſi poſt hæreſin publice ejuratam in illam relabatur, abſolvi non poteſt ſine nova facultate, licet alias facultatem ab hæreſi abſolvendi habuerit.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 35.
(b) *Vid. Num.* 36.

Caſus IX. Cajus Juriſta Catholicus cum juri civili ſtuderet in univerſitate Lutherana, incipit tepeſcere in ſua fide, dein dubitare de ipſius veritate, cum apud Lutheranos etiam videat viros honeſtos, doctos & prudentes. Q. 1. *An parentes peccent mittendo filios ad tales Univerſitates.* 2. *An Cajus per tale dubium factus ſit hæreticus?*

℟. *Ad* 1. Peccant per ſe graviter: quia *primo* perverſam & venenatam imbibunt doctrinam: Magiſtri enim jurisprudentiæ veneno hæreſis intoxicata inſpergunt principia. *Secundo* Evidenti periculo variorum peccatorum exponitur incauta juventus: diuturna enim converſatio cum hæreticis, quos Apoſtolus tam ſollicite devitari præcipit, non poteſt illi non affricare ſcabiem variorum vitiorum & errorum, quæ permanent per totam vitam teſte experientia.

Ad 2. ℟. Si dubium fuerit plene deliberatum, factus eſt hæreticns. *Vid.* Q. 4. *n.* 13. & *Caſ. præcedentem.*

Caſus X. Titius ab hæretico, cui famulatur, impeditur ab obſervatione præceptorum Eccleſiæ V. G. de audienda Miſſa, cogitur comedere carnes in quadrageſima, quia alii cibi non apponuntur, *dein* ſæpe acriter cum hæreticis diſputat de fide.

Q. 1. *An liceat famulari hæreticis?* 2. *An & qualiter Titius peccet?*

℟. 1. Si abſit periculum perverſionis, & permittatur ſervare præcepta Eccleſiaſtica, per ſe eſt licitum Catholico famulari hæreticis, ſemper tamen diſſuadendum, niſi adſit gravis cauſa, debetque is ante paciſci, ut liceat ſatisfacere præceptis. ℟. 2. Si ſæpe impediatur, eſt illicitum, niſi excuſet grave damnum prudentis judicio ex circumſtantiis determinandum. ℟. 3. Si cum ſolo pane laborare poſſit, non po-

 teſt;

teſt; quia & famuli apud Catholicos paucis contenti eſſe debent. Si non poteſt: quærat aliud ſervitium, illudque acceptet, licet ſit tenuius. ℟. 4. Diſputare cum hæreticis jure naturæ prohibitum eſt laico, illi etiam Clerico, qui non habet ſatis peritiæ, & dexteritatis, & in fide firmitatis; cum enim hæretici ſint callidi, adeſt periculum ſuccumbendi cum contemptu fidei, & ſcandalo audientium. ℟. 5. Non eſt conſultum diſputare cum hæretico; ſi enim ſit materialis, diſputando facile fiet formalis, ideoque ſi non ſit ſpes converſionis, augebuntur peccata. Præſtat, ut doceatur elicere contritionem perfectam; moneatur, ut hanc ſæpe eliciat, & a Deo lumen petat, in pertinaci non eſt ſpes fructus; ſi tamen ob circumſtantias neceſſe ſit diſputare, poteſt quæri: an habeat verbum Dei, & veram Scripturam? Unde hoc ſciat? Unde ſciat hanc eſſe incorruptam? Unde ſciat illum eſſe ſenſum a Spiritu S. intentum? quæ ex ſuis principiis nunquam probare poteſt. Si recurrat ad ſpiritum privatum, dicat: cur potius proprio, quam aliorum ſpiritui contradictorio credendum? Ubi habetur illum ſpiritum eſſe a Deo? &c.

Caſus XI. Caja Lutherana accedit parochum Catholicum dicens ſe velle fidem amplecti, ideoque petit inſtrui. Q. *Quid faciet Parochus?*

℟. 1. Amice interroget, cur religionem ſuam velit deſerere? Diverſas diverſo modo & tempore quæſtiones proponat, ut videat, an ſibi contradicat reſpondendo; quidquid dicat, non eſt ipſi ſtatim fidendum; temporalia enim, non religionem quærunt, ut quotidiana docet experientia; ſe non præbeat facilem in ſuſcipiendo patrocinio, & procurando auxilio, non ſit ei familiaris, non concedat libros, aut alias res majoris momenti, ne cum illis aufugiat. ℟. 2. Si inſiſtat

ſtat propoſito, doceat ipſam 1. veram fidem vel religionem non poſſe eſſe niſi unicam; cum enim debeat eſſe a Deo, hic non poteſt loqui oppoſita. 2. Debere dari certas notas, ex quibus vera religio poſſit diſcerni; has autem non convenire niſi Eccleſiæ Catholicæ, paucis ad captum demonſtret. 3. Doceat ſcitu & creditu neceſſaria, oſtendatque, in quibus Catholici cum hæreticis conveniant. Ad facilitandam confeſſionem explicet ipſi obligationem ſigilli Sacramentalis; moneat, ut percurrat præcepta decalogi, occaſiones & negotia ſua, & quæ occurrerint, confiteri non erubeſcat. ℟. 3. Dicat neceſſe non eſſe, ut ſe rigide examinet, ſe ſuppleturum examen; hoc non ſit rigidum, nec exacte ſingulorum petat numerum, ne confeſſionem apprehendat nimis gravem. Si ſit tantum materialis, non interroget circa præcepta Eccleſiæ, quia in his non cenſetur peccaſſe; ſi formalis, roget, quot annis in hæreſi vixerit, quoties circiter per annum Cœnam adierit, &c. roget, an non habuerit ſpecialem contemptum Eccleſiæ, Papæ? An non dixerit contra hunc, vel Eccleſiaſticos blasphemias, calumnias? An alios perverterit? An confirmaverit in hæreſi? Addendo: nunquid de his & omnibus aliis te accuſas? Dicatque: quod deſtituta Sacramentis in peccata lapſa ſit, non eſſe mirum; & licet gravia adferat, non imponat gravem pœnitentiam, ſed invitet ad indulgentias. *Denique* profeſſionem fidei det proprio idiomate, & explicet, eamque emittat coram duobus teſtibus.

Caſus XII. Titius bonis omnibus affluens vellet perpetuo in hac vita manere. 2. Dicit uxori, utinam liceret nobis perpetuo convivere! dumque 3. in lethalem morbum incidit, ſentiens ſe moriturum ait: o Deus! nunquam a te cœlum petii, cur terram mihi invides? Q. 1. *Quid ſit ſperare ſpe*

Theologica? 2. Quoties eliciendus actus ſpei? Et 3. quid ad Caſum?

℞. *Ad* 1. Eſt efficaciter deſiderare, & firma cum fiducia exſpectare beatitudinem ex Dei omnipotentis & fideliſſimi gratia & noſtris meritis obtinendam. *Ad* 2. Obligat *per ſe* ſub initium uſus rationis, dum beatitudo per fidem eſt ſatis propoſita, ſæpius in vita, & in articulo, vel morali periculo mortis. *Per accidens*, quoties urget præceptum, quod nequit impleri ſine actu ſpei, *prout ſupra de fide* (a). *Ad* 3. Si ideo velit manere, quia delicias hujus mundi ſaltem interpretative præfert beatitudini, peccat graviter: ſi tantum ob incertitudinem ſalutis, aut metum gehennæ, non videtur graviter peccare. *Denique* niſi tantum indicare velit vehementiam amoris conjugalis, peccat graviter contra ſpem; quia tenemur non tantum ſuo tempore ſperare cœleſtia, ſed & hæc præ omnibus aliis. Igitur *in* 3. non tantum peccavit graviter omittendo actum ſpei, ſed & cœleſtem gloriam poſtponendo amori temporalium.

Caſus XIII. Cajus a Titio apud Principem delatus deponitur ab officio; hinc 1. in omnimodam incidit deſperationem. 2. Titium furtive occidit & fugit, peccata peccatis addit, cogitans, ſe poſſe & velle confiteri, Deum eſſe miſericordem. 3. differt pœnitentiam in finem vitæ, putans tunc eſſe ſatis maturum, Deum etiam in finem vitæ innumeris peperciſſe. 4. Recogitans paucitatem prædeſtinatorum intra ſe ait: nullum in me invenio prædeſtinationis ſignum, ſed potius omnia ſigna reprobationis; ad quid ergo cohibeo me a voluptatibus, quousque vixero? Q. 1. *Quænam peccata opponantur ſpei? 2. Qua-*

(a) *Num.* 21. *& Caſ. IV.*

Qualiter in his peccaverit Cajus ? 3. Quomodo Conſeſſarius juvabit tum præſumentes, tum deſperantes ?

℞. *Ad* 1. Per defectum opponitur deſperatio, per exceſſum præſumptio; utrumque peccatum in Spiritum S. abutendo Dei miſericordia ex toto genere mortale eſt; per primum tollitur habitus ſpei: non per ſecundum, niſi adſit hæreſis. *Ad* 2. Prima deſperatio non fuit oppoſita ſpei: non enim erat de amittenda beatitudine. Quod peccata peccatis addiderit, diſtinguendum eſt: vel enim facilitas confeſſionis aut remiſſionis fuit ei ratio peccandi, & fuit præſumptio: ſi vero talis ſpes ſe habuerit tantum concomitanter, vel conſequenter ad peccata, ad quæ paſſio vel tentatio allicuit, non fuit gravis præſumptio. *In* 3. eſt gravis præſumptio; quia inductus facilitate veniæ: non fuiſſet, ſi ex alio motivo. *In* 4. eſt deſperatio; quia voluntaria poſitiva abjectio voluntatis tendendi in beatitudinem: & hinc inquirendum eſt, an ſimul adfuerit hæreſis? An hæc manifeſtata exterius? Sic enim eſt caſus reſervatus. *Ad* 3. Præſumenti proponat divinæ juſtitiæ rigorem, maxime in eos, qui miſericordia abutuntur: vitæ longioris incertitudinem, ut caſus docent quotidiani. Quoad deſperantes videat 1. An revera conſenſerint? Sæpe enim non ſunt niſi tentationes. 2. An ob multitudinem peccatorum ? Et charitative erigat ad ſpem in Dei miſericordia, quæ infinite major eſt omnibus peccatis excogitabilibus, & hoc ipſo, quod infinita ſit, poteſt & vult parcere; quod Deus nullum vere dolentem reſpuat juxta illud (a): *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Dicat ei, quod gravius Deum offendat deſperando, quam aliis peccatis unquam commiſſis, nulla eſſe peccata, quæ per Dei gratiam evitari non poſſint, modo confidat in Deum & ſerio cooperetur: vel

(a) *Ezech.* 33. *v.* 12.

vel ſi ob miſerias vel perſecutiones, dicat: CHRISTUM debuiſſe pati, & ita intrare in gloriam, ergo & nos. *Denique* actum ſpei cum ipſo eliciat,

Caſus XIV. Parochus cum infirmo elicit actum fidei, ſpei, & doloris, ſicque abſolvit, & alia Sacramenta miniſtrat. Titius amat Deum, eoquod ſingularia ab eo obtinuerit beneficia. Caja amat Deum, ſed magis unicum, quem habet, filium, imo magis formoſum, quem ſemper ſecum portat, catellum. *Q.* 1. *An Parochus ſatisfecerit ſuo officio?* 2. *An amor Titii ſit actus charitatis?* 3. *Quid de Caja?*

℟. *Ad* 1. *negative;* debebat enim ipſi etiam ſuggerere actum dilectionis Dei ſuper omnia; quia hunc tenetur infirmus appropinquante periculo mortis elicere (a); ergo Confeſſarii eſt de hoc monere. *Ad* 2. *negative:* ſed potius eſt ſpei & amor concupiſcentiæ; requiritur ergo, ut diligatur Deus propter infinitam ipſius bonitatem abſolutam, quia in ſe eſt infinitum bonum. *Ad* 3. Si filium amet magis appretiative, amor eſt graviter malus; ſi tantum intenſive, iterum malus eſt; dum autem teneriori affectu fertur in catellum, quam filium, imo Deum ipſum, videtur peccare graviter ob amorem nimis inordinatum: præſertim, ſi ideo Dei & ſalutis ſuæ, ut fieri ſolet, notabiliter oblivifcatur. Interim animalia naturali amore amari poſſunt, in quantum deſerviunt ad DEI gloriam propagandam, vel ad noſtri vel proximi utilitatem (b).

Caſus XV. Caja honeſta famula de nocte in platea a milite ſtupri cauſa invaditur, quæ in evidenti animæ, pudicitiæ, & corporis perdendi periculo civem caſu prætereuntem implorat; ſed miles ſtricto pugione minatur civi mortem, ſi non mox recedat;

(a) *Vid. Num.* 51. (b) *Vid. Num.* 52.

cedat; qui ideo abit, illa interim clanculo arripiens cultellum militem occidit. Q. 1. *An Caja fuerit obligata ad implorandam opem? 2. An civis ad ferendam?*

℟. 1. Caja fuit obligata ad implorandam opem tranſeuntis; hic enim, licet ſe ſolo non fuerit ſufficiens, poterat tamen advocare alios. ℟. 2. Civis fuit obligatus ſuccurrere, quantum poterat, implorando aliorum auxilium, ſi tamen rationabiliter timuerit grave periculum vitæ ſuæ, poterat abire; quia Caja non fuit in neceſſitate extrema ſalutis; poterat enim adhuc & debebat non conſentire delectationi carnali. Cum autem eſſet in evidenti periculo conſentiendi, poterat cultro occidere injuſtum invaſorem vim vi repellendo, cum aliter ſe liberare non poſſet; idque propter ipſam etiam pudicitiam corporalem, *de quo alibi.* Potuiſſet pariter civis etiam cum vitæ periculo illam defendere per ſe loquendo (a).

Caſus XVI. Duo Religioſi ejusdem Monaſterii, duo Canonici ejusdem Collegii inter ſe ſunt publice rixati, & ideo ſe non ſalutant, nec colloquuntur, prout antea ſacere ſolebant. Q. 1. *An teneat inimicum ſalutare,* 2. *an reſalutare.* 3. *Quid ad caſum.*

℟. *Ad* 1. *&* 2. Vide ſupra pag. 64. *Ad* 3. ℟. Brevitas temporis, levitas diſſidii, aliæque circumſtantiæ poſſunt tales excuſare a mortali; alias peccant graviter, præſertim ſi rixa fuerit gravis; eſt enim ſignum gravis odii, cauſa ſcandali &c. Væ ergo illis, qui ad longum tempus in tali ſtatu Sacramenta ſuſcipere vel miniſtrare ſacrilege pergunt!

Caſus

(a) *Vid. Num.* 53. *ſeq.*

Caſus XVII. Titius a Cajo amico graviter offenſus, 1. mutat teſtamentum, quod in ejus favorem fecerat. 2. non ſe ſalutant, nec colloquuntur, prout alias paſſim faciebant. 3. dum ei Cajus obviat, a longe conſulto de via declinat. 4. a Cajo ſibi obviam facto ſalutatus torvo vultu pertranſiens eum non reſalutat. *Denique* Cajus etiam Titium non ſalutat, nec ei propinat, ſciens, Titium non reſponſurum. *Q. Qualiter hi peccent?*

℞. *Ad* 1: Poteſt ſecluſo odio teſtamentum voluntarie factum mutare, aliumque magis gratum ſubſtituere; qnia non tenetur ad ſigna ſpecialia, nec hæc mutatio poteſt adſcribi odio. ℞. *Ad* 2. Si inde ſequatur ſcandalum tum inter ipſos, tum in communitate, prout ordinarie accidit, peccant graviter vel leviter pro quantitate ſcandali. Interim ad longum tempus non amplius colloqui eſt valde periculoſum; quia merito præſumitur ab interno gravi odio oriri præſertim ſi in communitate vivant, ut V. G. religioſi; hinc non debent abſolvi, niſi ſerio promittant omnem averſionem deponere. Non tenentur tamen *per ſe loquendo* redintegrare ſpecialem amicitiam, & amica colloquia; quia ante offenſam poterant ab his ceſſare; ergo & modo. Nec inde colligitur odium, modo ſe habeant ad invicem, ſicut ad cæteros ejusdem conditionis. ℞. *Ad* 3. Si inimicus advertat id fieri propter ſe, & ægre ferat, eſt mortale; ſi non advertat, vel non multum curet, eſt veniale tantum. ℞. *Ad* 4. Non poteſt abſolvi, quamdiu hoc facit, quia ipſi & aliis grave ſcandalum præbet, ideo reſalutando oſtendere debet, quod animum exacerbatum depoſuerit. ℞. *Ad* 5. Si id ſciat, quia V. G. ſæpe expertus eſt, non tenetur; quia id alter ſibi imputet: nec inde ſcandalum pati poteſt: alias debet ſaltem ſemel experiri.

Caſus

Caſus XVIII. Berta 1. Negat marito debitum propter averſionem, quam habet ab eo, quia eum deprehendit in adulterio cum ancilla. 2. filiam, quia indigno ſe matrimonio copulavit, nec ad colloquium admittit, imo veniam demiſſe petenti ignoſcere recuſat, volentem ingredi domum per famulum repellit. 3. Mortuo marito, unicus ejus filius occiditur a Cajo, qui a Judice pœnam mitigandam ſperat, modo Berta ab actione criminali deſiſtat, quæ renuit, licet occiſor veniam ab ea petat, omnemque ſatisfactionem offerat. Q. 1. *Ad quid teneamur illi, qui nos graviter offendit? 2. quid ad caſum.*

℞. Ad 1. Tenemur eum a ſignis charitatis communibus non excludere, imo, ubi graviter indiget, illi benefacere, etſi in odio contra nos perſiſtat, offenſam ex animo remittere, etſi non petat, magis, ſi debito modo ſuplex veniam poſtulet, non tamen ſatisfactionem pro injuria. *Ad* 2. Berta poteſt ſine injuria negare; quia perdidit jus: videtur tamen graviter peccare contra charitatem, ſi perpetuo faciat, quia hæc negatio maritum cohabitantem exponet periculo incontinentiæ, odii &c. hinc omnino eſt adducenda, ut vel divortium petat, vel debitum reddat. *In* 2. Confeſſarius exquirat, an hæc procedant ex odio perſonæ? an tantum juſtam vindictam quærat ad delinquentis emendationem, familiæ honorem, aliorum cautelam? & an pœna non excedat culpam? poteſt autem filiam ad tempus non admittere, ideoque & famulus ut juſtæ vindictæ executor eam domo excludere, ſed non in perpetuum; eſſet enim ſignum gravis odii, pœna excedens delictum filiæ, ac aliis ſcandalum. *In* 3. Si pœnam velit ut malum homicidæ, eſt grave odium: ſi ad exemplum aliorum, ad ſatisfactionem injuriæ, eſt actus juſtitiæ vindicativæ, per ſe licitus, ſed vix aberit grave odium; cum ipſi ſatisfiat per ſub-

miſſam

miſſam veniæ petitionem, damni illati reparationem; hinc Confeſſarius caute cum ſimilibus procedat, antequam abſolvat, & prius ad dandam veniam perſuadeat.

Caſus XIX. Cajus vir dives, ſed avarus vix ulli pauperi dat eleemoſynam, & cum ſæpe inſtent, aſpera verba reddit. Econtra Titius ſumme liberalis omnia quaſi pauperibus diſtribuit; nuper notabilem dedit eleemoſynam Cajæ ad inſtantiam Confeſſarii, quem hæc ſub ſpecie confeſſionis acceſſerat, pauperrimam ſe fingens & devotiſſimam, cum tamen mala ſit, nec indigeat, ſed eleemoſynas occulte dilapidet. *Q. Quid de his tribus judicabit Confeſſarius?*

℞. 1. Si Cajus ad longum tempus vix ulli dederit, aut propoſitum habeat ſaltem implicitum non dandi eleemoſynam, peccavit graviter; tenetur enim ſub mortali ad eleemoſynam etiam in neceſſitate communi, alias non diligit proximum, ſicut ſe ipſum; & dici ei poteſt: *eſurivi, & non dediſti mihi manducare.* Quoad alterum inquirat Confeſſarius, an verba fuerint blaſphema? an imprecatoria? contumelioſa? qualia, & in quos? ut de gravitate peccati judicare poſſit. ℞. 2. Si ob nimiam Titii liberalitatem patiuntur ii, quos alere tenetur, aut creditores, graviter peccat dando eleemoſynas. ℞. 3. Caja peccavit graviter ob dolum gravem, & ſi in ipſa Confeſſione decepit Confeſſarium, mendacium, & confeſſio fuerunt ſacrilega. Quoad parvas eleemoſynas diſſimulet Confeſſarius, tantum prohibendo in futurum; ſi autem quantitas fuit valde notabilis, omnimode reſtituenda erit Titio, non aliis pauperibus; quia his donanda non fuiſſet.

Caſus

Caſus XX. Caja famula advertit famulum de nocte frequenter per ſuum cubiculum (aliunde enim non datur acceſſus) tranſire ad filiam domus, timet autem, ſi aut peſſulum obducat, aut deſuper aliquid dicat, male tractari a filia, tandem anxia dicit heræ; famulus nimis eſt familiaris cum filia; cui illa reſpondet; adverti & ego, ſed cum vidua ſim, illeque domus quaſi ſolus curam habeat, timeo, ne correptus abeat. Q. 1. *An detur præceptum fraternæ correctionis? 2. qualiter obliget? 3. quid ad Caſum?*

℞. 1. Datur præceptum fraternæ correctionis graviter obligans, tum ad corrigendum proximum de mortali, ſi adſint debitæ conditiones, tum per ſe ad ſervandum Ordinem a CHRISTO præſcriptum, charitate imo juſtitia ſic exigente. ℞. 2. Si Caja ſperaſſet fructum, tenebatur prius monere, & intimidare peccantes, antequam heræ diceret; ſi vero juſte timeret durius tractari, graves rixas, debuit occulte monere heram, ut tali tempore invigilet, ſicque ſe liberaſſet; hera autem tenebatur, quantum poterat moraliter impedire, cum ſit ſuperior. Nec excuſat famuli neceſſitas; quia poſſunt haberi alii utiles ſimul & honeſti: licet etiam damnum timeat, ſperare debet in Dei benedictionem, & econtra timere maledictionem, ſi permittat.

Caſus XXI. Ad confeſſionem accedit 1. Cajus dicens: quoties video Titium, qui injuſtam mihi litem movit, ſanguis ebullit, expalleſco & trepido, hinc durante lite vix confiteri poſſum. 2. Caja ejus ancilla dicens: habeo grave odium contra noſtrum famulum, tum quia me injuſte accuſavit, tum quia eſt valde lubricus, hinc illius conſortium, quantum poſſum, fugio, illi ſæpe & heræ male precata ſum. *Quid faciet Confeſſarius?*

℟. 1. Dicat Cajo & ſimili, quod poſſit cauſam proſequi coram judice, modo deponat odium ſeu averſionem, & indignationem animi, qua illi male velit ad injuſtam vindictam, quod eſt remittere offenſam, & ſigna communia exhibeat, ſicque ſit inimicus cauſæ, non perſonæ. ℟. 2. Examinet, an hi motus ſint voluntarii, ita ut vere cupiat ſe vindicare, an ad deſideria mala procedat? ſi ita: non poteſt abſolvi, niſi ſerio promittat, quod cum Dei gratia fortiter reſiſtere velit: alias abſolvat in Domino, quia motus ſunt naturales, & ſaltem non peccatum mortale (a). ℟. 3. Averſio & fuga Cajæ meritoria eſt, ſi non fiat ex odio perſonæ, ſed qualitatis malæ. ℟. 4. Quantum ad imprecationem, interroget, an grave malum? an ex animo? (b) & ſic debet addere numerum; & reſpectu heræ eſt ſimul contra obſervantiam; an huic in faciem? & facile eſt gravis contumelia. *Denique* ſi famulo irata eſt eo tantum fine, ut a Deo correptus reſipiſcat, non peccavit: ſed quia periculum eſt malæ paſſionis, ſerio eſt dehortanda.

Caſus XXII. Titius inſtante bello illud ingreditur, non ponderans an ſit juſtum: 2. de juſtitia ejus dubitans pergit bellare: 3. facti pœnitens, dum bellum injuſtum eſſe agnoſcit, petit, quid ſibi liceat. Q. *Quid requiratur, ut bellum ſit juſtum? 2. qualiter peccaverit? 3. quid ipſi reſpondendum?*

℟. 1. Ut bellum ſit juſtum requiritur legitima authoritas, juſta cauſa, recta intentio, & debitus bellandi modus (c). ℟. 2. Peccat graviter 1. qui militat in bello patenter injuſto, cum non liceat cooperari ſcienter malo. 2. qui indifferenter ſe offert ad bellum, ſive juſtum ſit, ſive non. 3. ſi de juſtitia belli practi-

ce

(a) *Vid. Num.* 60. (b) *Vid. Num.* 75.
(c) *Vid. Num.* 78.

ce dubitans pergat bellare. Interim ſubditus vel antecedenter inſcriptus debet obedire deponendo dubium practicum, quod in dubio poſſit obedire Superiori. Extraneus aut ſubditus voluntate militans habere debet fundatam præſumptionem pro juſtitia belli, alias voluntarie ſe exponit periculo graviſſimæ injuriæ, ideoque in dubio etiam poſitivo debet abſtinere, ſi non habeat juſtam cauſam amplectendi militiam. ℟. 3. Qui nomen militiæ jam dedit, nec poteſt ſine gravi periculo deſerere, dum advertit bellum eſſe injuſtum, poteſt adhuc agere Vigilias, & alia, quæ juſte ab eo præſtari poſſunt; abſtinere tamen debet, quantum ſine æquali periculo poteſt, a damno injuſto; ſi alius ipſum invadat, tenetur eo modo, quo poteſt, ipſum monere, quod ipſe animum nocendi depoſuerit, rogare, ut & ille deſiſtat; ſi hoc non juvet, poteſt ſe defendere, etiam præveniendo occidere, jam enim alter injuſte invadit.

Caſus XXIII. Titius miles 1. cum paucis ſociis, officialibus inſciis, prædas facit. 2. ſemel militem hoſtem ſibi caſu obvium occidit. 3. Ruſtici ob deprædationes exacerbati hinc inde militem aberrantem occidunt & ſpoliant. 4. Officialis ad exercitum tendens diſſimulat, qua via velit milites ducere, ſicque ab oppidis tranſitum redimentibus pecuniam accipit. *Denique* ſtipendium accipit pro militibus, quos tantum in charta habet, & dum aliquis ſuorum moritur, ſtipendium ipſi debitum aliaque relicta ſibi vendicat. Q. *An & qualiter peccent?*

Ad 1. Peccat graviter, teneturque ad reſtitutionem; quia privata authoritate non licet etiam hoſtibus damnum inferre. Ideo *in* 2. reus eſt homicidii; ſi enim nec vigilias agat, nec ad prædas ſit emiſſus, occidit privata authoritate. Accedit, quod unius mili-

tis occiſio ad publicam tranquillitatem nil conducat. *Ad* 3. Ruſtici peccant graviter; quia licet poſſent vindicare bona ſua contra injuſte rapientes, non tamen privata autheritate compenſationem ſumere ab aliis, minus occidere: quod magis excitat ad ultionem. *Ad* 4. Peccat graviter, quia uni tantum loco debetur tranſitus, nec poteſt ipſe hunc venalem facere, aut pro libitu hos præ illis gravare, aut unum magis, quam alium. *Ad* 5. uſu in militia recepto Capitaneis conceditur locus mortuus pro duobus aut tribus famulis, & unus pro ſignifero, quamvis illos non habeant: cæterum eſt fraus, & poteſt cedere in grave damnum reipublicæ. *Ultimum* pariter dicitur eſſe uſu receptum, ſed male & nullo jure, debetur enim hæredibus.

Caſus XXIV. Cajus ſe excuſat, quod ſemel ab alio provocatus duellum acceptaverit, illud tamen amicorum interventu fuerit impeditum, ſemel amico duellare volenti arma ſua commodaverit. *Q. Quid ſit duellum? quomodo Confeſſarius agere debeat cum illis, qui ſe de hoc accuſant? & quid ad caſum?*

℞. 1. Duellum eſt periculoſa pugna duorum ex condicto inita, cum determinatione temporis & loci (a). ℞. 2. Confeſſarius inquirat: an adfuerint conditiones omnes, ut videat, an abſolvere poſſit? dein an non forte deductum ad forum contentioſum? tunc enim mortis articulum nec privilegiatus abſolvere poteſt. 3. Dicat Cajo: graviter peccaſſe acceptando, ſeque periculo vitæ & æternæ damnationis expoſuiſſe, potuiſſe & debuiſſe honeſto modo declinare, imo ad ſe accedentem, ſi opus erat, ſeveriori modo repellere V. G. domo extrudere, tumque ſi alter eum invaſiſſet, defendere ſe, quantum opus eſſet. 4. Licet ab initio ſerio

(a) *Vid. Num.* 82.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

rio convenerint, ut per amicos impediretur, adhuc peccarunt graviter. Vide Prop. 2. damnatam a *Benedict. XIV.* (a) 5. Si in 2. per hoc alterum magis animaverit, eſt excommunicatus, ſi vero æque cito & audacter erat pugnaturus, non peccavit, ſi deterrere non potuit; non enim fuit cauſa, quod pugnet, ſed quod cum minori periculo, in quo nihil eſt mali.

Caſus XXV. Titius Comœdus nuper exhibuit comœdiam obſcœnam coram frequenti auditorio non tantum laicorum, ſed & Eccleſiaſticorum. Q. *Quid ſit ſcandalum? & quid ad Caſum?*

℟. 1. Scandalum activum eſt *dictum* vel *factum minus rectum præbens alteri occaſionem peccandi.* Aliud directum, aliud indirectum, dum alterius peccatum non intenditur, ſed probabiliter futurum prævidetur (b). ℟. 2. Peccant mortaliter, 1. qui componunt vel agunt comœdias notabiliter obſcœnas, ratione verborum, geſtuum, vel nutuum; quia ſi non ſe ipſos, faltem aliquos ex ſpectatoribus exponunt probabili periculo peccandi. 2. ipſi ſpectatores, tum ob proprium periculum, tum quia cooperantur peccato comœdorum, & licet ſine ſpectatoribus ſupervenientibus adhuc haberentur comœdiæ, tamen & hi exercite approbant, imo ſolvendo fovent. ℟. 3. Clerici accedentes his addunt grave ſcandalum; quia dant laicis anſam liberius adeundi. ℟. 4. Superiores permittentes, licet id faciant ad vitandam in populo majorem licentiam; quia quidquid alio loco agant, non eſt comparandum peccatis hic concurrentibus.

Caſus XXVI. Cajus Patricii Colonienſis unicus filius vult ingredi Ordinem religioſum, quo audito ſtatim ipſius parentes & conſanguinei ſumunt inde occaſionem convitiorum contra Mo-

 nachos,

(a) *in Bulla: Deteſtabilem.* (b) *Vid. Num.* 85.

nachos, aliorumque gravium peccatorum, jam enim illum deſtinaverant ad matrimonium cum Berta ſibi pari. *Quid faciet?*

℞. Debet ad tempus differre parentes modeſto ac debito modo informare. Sique parentes ipſius ope (ut ſupponitur) ſingulariter non egeant, poteſt, & ſi voverit, tenetur ingredi per ſe loquendo, non attento ſcandalo, quod eſt phariſaicum.

Caſus XXVII. Caja hoſpitiſſa 1. potum præbet, quantum hoſpitibus placet, imo 2. ad bibendum animat; quo fit, quod alii inebrientur, alii 3. turpia loquantur. 4. filiæ ejus, ut procos divites habeant, varie ſe ornant, dumque 5. una videt ſe a divite adoleſcente amari, familiarius cum eo agit, matre 6. ſub ſpe matrimonii diſſimulante. *Q. An & qualiter in his peccent?*

℞. 1. Si negando timeat hoſpitium omnino deſeri, graves rixas, contumelias &c. licite dat, alias non, dum prudenter timet inebriandos, quos tenetur dehortari ab ulteriori potu; licite autem dat capere adhuc valentibus, licet illi propinent ſe inebriaturis, quia habet juſtam cauſam dandi illis, & quod hi propinent aliis, eorum malitiæ adſcribitur; hinc *In* 2. peccat graviter, ſi adſit periculum ebrietatis. *In* 3. tenetur ex charitate impedire, ſi ſine gravi incommodo poſſit, ſed ideo non tenetur negare potum; quia per accidens ſequuntur. Qui autem ſimilia coram juvenibus proferunt, peccant graviter peccato ſcandali; quia dant ſaltem occaſionem labendi uni vel alteri. *Ad* 4. Si convenienter Statui, non peccant: ſi ſuperflue, venialiter; ſi ſcandaloſe, V. G. pectus notabiliter nudando, aut velo nimis ſubtili, ut videri poſſit, tegendo, peccant mortaliter. *Ad* 5. Si ex moribus adoleſcentis, clandeſtinitate alloquii prudenter timeat in ſe vel in illo aliquid turpe, graviter peccat. *Ad* 6. Graviter peccat;

ſi permittat conventicula frequentia, præſertim ſub crepuſculum, ſolentque hæc matrimonia malum ſortiri exitum Deo permittente, ut, quo ardentius laſcivo amori indulſerunt prius, poſtea copulati majori odio ſe perſequantur cum gravi afflictione parentum, & aliorum ſcandalo.

Caſus XXVIII. Ad confeſſionem accedit 1. uxor dicens, ſe ſæpe cum anxietate magna reddidiſſe debitum marito illud illicite petenti: 2. famulus dicens ſe juſſu heri ſæpe aquam vino miſcuiſſe, & duplo plus notaſſe hoſpitibus, quam conſumptum fuerat: 3. famula dicens ſe ornaſſe ſuam dominam, quam novit alios provocare ad libidinem, imo ſemel litteras portaſſe, de quibus dubitavit, an eſſent invitatoriæ ad peccatum. *Q. An & qualiter liceat cooperari ad alterius peccatum? & quid ad Caſum?*

℟. 1. Nunquam eſt licitum proxime & directe cooperari peccato alterius, qui enim ſic concurrit, re ipſa vult peccatum, adeoque cooperatur formaliter. Licitum eſt per ſe cooperari remote per aliquid de ſe indifferens, ſi adſit cauſa proportionata, ſed & hoc raro admodum. ℟. 2. *In* 1. Si vitium petendi ſe habeat ex parte actus; peccat reddendo, ut, ſi petatur cum periculo abortus; jam enim actus ſecundum ſe eſt malus, ergo reddendo non poteſt concurrere proxime ad illum ſine peccato: ſi tantum ſe teneat ex parte petentis, quia V. G. eſt in voto caſtitatis, non peccat reddendo, ſi disſuadere, ad quod ex charitate tenetur, non poſſit. In praxi ipſamet præveniat; ſic enim altera pars obligata reddere, amplius non peccaret. Item moneat, ut diſpenſationem vel commutationem voti petat. *Ad* 2. quidquid dicant aliqui, dicendum eſt peccare; quia cooperatio videtur eſſe omnino proxima. *Ad* 3. ſi ornatus ſit laſcivus vel alium

uſum non habeat niſi malum, indubie peccat, ſi de ſe honeſtus, poteſt excuſari, quia videtur tantum remote concurrere. Litteras in dubio portare, quia exponit ſe periculo peccandi, poteſt, quia delictum non præſumitur, ſi autem conſtet de invitatione ad peccatum, multo minus poteſt; quia ipſa portatio eſt externa ſollicitatio, ideoque directa cooperatio; quæ eſt intrinſece mala.

Caſus XXIX. Eſt typographus hæreticus, cujus filius fit Catholicus reſiſtente patre: *Q. An poſſit manere apud patrem, & pro librorum hæreticorum impreſſione typum ordinare, prout alias facere ſolebat?*

℟. Si in graviſſimo ſuo damno patrem tam cito relinquere nequeat, poteſt per ſe loquendo, & lex Eccleſiæ prohibens hæreticorum ſcripta transſcribere vel imprimere non obligat in caſu tantæ neceſſitatis. Dictum eſt per ſe loquendo: in praxi enim ſuadendus eſt diſceſſus ob periculum perverſionis.

TRA-

TRACTATUS II.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

DISSERTATIO I.

DE VIRTUTE RELIGIONIS IN GENERE.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit Religio? quid Adoratio?*

D. 1. Religio eſt *virtus moralis inclinans voluntatem ad exhibendum debitum cultum Deo tanquam primo omnium principio & ſupremo Domino cum quadam ſubmiſſione noſtri erga ejus excellentiam.* Objectum ejus *materiale* ſunt ipſi actus ſive in - ſive externi, quibus Dei excellentiam & noſtram ſubjectionem taſtamur, ut: oratio, adoratio &c. *Formale* eſt ſpecialis honeſtas ſeu convenientia ipſius actionis cum natura rationali qua tali. Duplex eſt Religionis actus: unus *elicitus*, eſtque promta voluntas Deo exhibendi cultum, diciturque devotio. Alter *imperatus*, eſtque omnis actio, qua ex motivo religionis Deus colitur. Sic actus cujuscunque virtutis poſſunt aſſumi ut medium ad Deum colendum. Eſt autem alius *primarius*, quo Deus ſecundum ſe & directe colitur;

litur; ut adoratio, votum, ſacrificium. Alius *ſecundarius*, quo alia res ſacra ob Dei honorem colitur V. G. Sancti, loca ſacra &c. ad quarum rerum cultum religio ſecundario inclinat.

(2) *D.* 2. Adoratio *latius ſumpta* eſt *actus*, *quo teſtamur alterius excellentiam, noſtramque ideo ad ipſum ſubjectionem.* Si ob excellentiam naturalem, dicitur *politica*: ſi ob ſupernaturalem, *ſacra.* Hæc dividitur in *latriam*, qua Dei increatam, & in *hyperduliam*, qua B. V. Mariæ ſuper reliquas creaturas ſupereminentem excellentiam ſupernaturalem ac in *duliam*, qua Sanctorum ſupernaturalem excellentiam cum noſtri erga ipſos ſubmiſſione veneramur & teſtificamur. Alia iterum eſt *abſoluta*, qua aliquid colitur propter excellentiam ſibi inexiſtentem: alia *reſpectiva*, qua colitur propter excellentiam alteri inexiſtentem, ad quod reſpectum dicit, vel conjunctionem. *Dixi ſupra: adoratio latius ſumpta;* quia *ſtricte ſumpta* ſumitur pro ſolo cultu debito & proprio Dei, ut patet ex omnibus locis ſcripturæ, quibus præcipitur Deus ſolus adorari.

Reſ. 1. CHRISTUS adorandus eſt cultu latriæ abſoluto, uti & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, cum in eo contineatur CHRISTUS ut Deus & homo. Sanctiſſimum Nomen JESU adoratur cultu latriæ reſpectivo, quatenus illud nobis CHRISTUM innuit: pariter imago CHRISTI cultu latriæ reſpectivo.

Reſ. 2. B. Virgo cultu abſoluto hyperduliæ propter maternitatem Dei, alii Sancti cultu duliæ abſoluto coluntur propter excellentiam ſupernaturalem gratiæ & gloriæ: horum imagines ſimili cultu reſpectivo per ordinem ad perſonam repræſentatam.

Reſ. 3. Reliquiæ CHRISTI & Sanctorum in veneratione habendæ ſunt & colendæ cultu reſpectivo, modo de iis authentice conſtet: CHRISTI quidem latriæ,

iſtæ vero hyperduliæ aut duliæ: quia Deus ipſe honorat Sanctorum reliquias, patrando ad illarum præſentiam miracula, ut etiam conſtat ex veteri teſtamento de Elia & Eliſæo.

Reſ. 4. Nomine reliquiarum CHRISTI veniunt *Crux*, in qua pependit, *clavi*, *lancea*, *ſpinæ*, *ſudarium* & ſimilia, quæ corpus CHRISTI vel afflixerunt, vel ſaltem tetigerunt. Reliquiæ Sanctorum ſunt eorum *corpora*, *oſſa*, *dentes* &c. Item *veſtes*, *utenſilia*, &c. quæ etiam poſt mortem tetigerunt. Excipiuntur tamen hic aliqua V. G. labia Judæ, etſi CHRISTUM ſint oſculata, aſinus, cui CHRISTUS inſedit, item vermes cadaverum Sanctorum &c.; hæc enim & ſimilia coli non debent propter indecentiam, quæ in eorum cultu interveniret.

Reſ. 5. Non licet cultu publico colere, niſi illos Sanctos, qui canonizatione, beatificatione, vel communi Eccleſiæ approbatione ſunt tales. Dicitur autem *cultus publicus*, qui fit nomine Eccleſiæ, & ab ea eſt inſtitutus, ut: ſacrificium Miſſæ: erectio Altaris in honorem illius, nomen ponere in Lytaniis etiam privatis, ſumere de eo collectam in Miſſa &c.

Reſ. 6. Defunctum, quem conſideratis Miraculis, vitæ Sanctitate, fama martyrii vel aliis indiciis agnoſco ut Sanctum, quamvis ab Eccleſia nondum ſit declaratus, poſſum honorare cultu privato etiam videntibus aliis, V. G. deoſculari ejus reliquias, imaginem ejus domi habere, preces ad eum fundere, jejunium & votum ei nuncupare; quia hæc non fiunt nomine Eccleſiæ, nec reputantur pro cultu publico.

Reſ. 7. Peccat graviter contra prohibitionem Urbani VIII., qui imaginem talis defuncti pingit cum radiis vel aureolis, aut pictam habet etiam privatim in occulto, non autem ſi ſine radiis pictam veneretur etiam aliis videntibus; non tamen licet eam in orato-

rio etiam privato, ubi ſacra fieri ſolent, exponere; hoc enim prohibuit S. Congregatio approbante Alexandro VII.

QUÆSTIO II.

(3) *Quid ſit oratio?*

D. 1. Oratio proprie eſt *humilis & devota decentium petitio ad Deum velut fontem omnis boni directa vel immediate vel mediante Sanctorum interceſſione. dr. humilis;* quia debet fieri cum ſubmiſſione & noſtræ indignitatis confeſſione. *dr. devota:* alias non eſt actus religionis. *dr. decentium;* qualia 1. ſunt bona ſpiritualia ad ſalutem animæ conducentia, quæ peti poſſunt abſolute: 2. temporalia, quæ nonniſi ſub tacita conditione, ſi ad Dei gloriam & animæ ſalutem conducant, aut ſaltem huic non obſtent, peti poſſunt; rem vero malam etiam venialiter tantum a Deo petere, aut auxilium ad eam, eſt gravis blaſphemia; quia eſt velle Deum mali fautorem. *dr. vel mediante &c.;* quia Sanctos velut Patronos apud Deum & interceſſores utiliter invocari de fide eſt. Imo & probabiliter pro nobis intercedere poſſunt animæ in purgatorio; ſi enim liceat invocare hominem adhuc viventem, ut pro nobis apud Deum vel alium hominem intercedat, cur non Sanctos in cælo, qui potentiores ſunt apud Deum? *Deinde* animæ purgantes ſunt in gratia, & licet forte non ſciant noſtras miſerias in individuo, poſſunt tamen ſaltem in genere orare pro ſuis benefactoribus. De Jeremia Propheta in limbo detento dicitur 2. Machab. *Hic eſt, qui multum orat pro populo;* Cur non anima in purgatorio hoc poterit?

D. 2. Oratio alia eſt *pure mentalis*, quæ in corde abſolvitur: alia *mentalis & vocalis ſimul*, quæ corde & voce exprimitur. *Vocalis tantum*, quæ ſine omni

inter-

interno mentis affectu ſit ſolis vocibus, non meretur nomen orationis nec fructum. Moniales, cum legunt horas canonicas, quas non intelligunt, habent devotionem internam, quatenus Deum per iſtam pronuntiationem colere volunt. Oratio iterum alia eſt *publica*, quæ nomine totius Eccleſiæ per illius miniſtros Deo offertur: alia eſt *privata*, quæ fit nomine privati.

D. 3. Adultis ratione utentibus oratio eſt neceſſaria ad ſalutem; voluit enim Deus, ut ipſum fontem omnis boni agnoſcamus, noſtramque indigentiam profiteamur, ſine quo adultus gratias finaliter efficaces & donum perſeverantiæ non obtinebit. Hinc (a) dicitur: *Petite & accipietis*, (b) *orate, ne intretis in tentationem*, & alibi ſæpe.

Q. Quando urgeat præceptum orandi?

℟. Generaliter obligat juxta Monitum Chriſti omni tempore, cum ſemper nos velit orare: ſpecialiter vero obligat 1. dum peccator tenetur ſe reponere in ſtatum gratiæ: 2. tempore gravis tentationis non aliter vincendæ: 3. imminente periculo mortis: 4. dum reipublicæ imminet grave malum aliter, quam per orationem, non avertendum: 5. dum auxilium aliquod ſpeciale divinum nobis videtur neceſſarium, ſive jam in his præceptum orandi obliget per ſe, ſive per accidens. Saltem qui confitetur ſe tentationi V. G. conſenſiſſe, ſatis innuit ſe non ſatis adhibuiſſe remedia ad reſiſtendum neceſſaria.

D. 4. Orandum eſt pro omnibus viatoribus in communi; quia omnes indigent auxiliis ſupernaturalibus ad ſalutem neceſſariis; proinde conveniens ſaltem eſt pro illis orare. De præcepto per ſe obligante non conſtat: ſi vero proximus ſpecialiter noſtra oratione indigeat, ſaltem ex charitate tenemur pro eo orare. Hoc

(a) *Joann.* 16. *v.* 24. (b) *Luc.* 22. *v.* 40.

Hoc certum eſt nullum poſſe ab oratione communi excludi. Non oramus pro Sanctis, neque pro damnatis in inferno, ubi nulla eſt redemptio; unde hiſtoria, quæ ſolet afferri de Trajano, eſt fabula: bene tamen & valde utiliter oramus pro animabus in purgatorio, & ſæpe ex pietate tenemur, ut clare habetur in Scriptura (a).

D. 5. Ad omnem orationem etiam non præceptam requiritur 1. *intentio* ſaltem virtualis & implicita orandi, ſeu Deum colendi; ſine hac enim non eſt verus actus religionis. 2. Requiritur *attentio*, non tantum externa, ſed & interna; quia ratio dictat cum Deo agendum eſſe reverenter, quod non fit, ſi nulla adſit interna attentio, *de qua infra.*

D. 6. Oratio pro ſe ipſo facta humiliter, devote, inſtanter, cum firma fide & cum fiducia impetrandi, & de re nobis ſalutari habet infallibilem efficaciam; dicit enim CHRISTUS: *Petite, & dabitur vobis, credite, quia accipietis &c.* (b). Et hoc verum eſt, quamvis orans ſit extra ſtatum gratiæ; quia promiſſio Chriſti eſt illimitata, & vis orationis fundatur in miſericordia Dei, meritis Chriſti ejusque promiſſione, non in orantis dignitate. Hæ conditiones cum ſæpe non adſint, mirum non eſt, quod oremus, & non impetremus. *Dixi pro ſe ipſo:* quia Deus non voluit nos ſemper exaudiri in eo, quod pro alio petimus; dicit enim *Jerem.* 15. *v.* 1. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.*

QUÆ-

(a) *Lib.* 2. *Machab. c.* 12. *v.* 46.
(b) *Luc.* 11. *v.* 9. *Marc.* 11. *v.* 24.

QUÆSTIO III.

(4) *Quinam teneantur ad horas canonicas?*

Horæ canonicæ ſunt *publicæ ac ſtatutæ preces ex Sacrorum Canonum decreto ab Eccleſiaſticis perſonis perſolvendæ.* Sunt ſeptem: *Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ,* & *Completorium,* juxta illud Davidis (a): *ſepties in die laudem dixi tibi.*

D. Obligatio recitandi quotidie horas canonicas oritur ex triplici capite, ſcilicet beneficii, Ordinis ſacri, & profeſſionis religioſæ. Pro. 1.

Reſ. 1. Omnis beneficiatus, etſi nondum conſtitutus in ſacris, tenetur quotidie ſub mortali recitare horas canonicas. Patet id ex Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. & Conſtit. Pii V. 135ta. edita anno 1571.

Reſ. 2. Nomine beneficii Eccleſiaſti venit tam ſimplex, quam curatum, Epiſcopatus, Paſtoratus, Decanatus, Rectoria, Canonicatus; non Coadjutoria, Præſtimonium, Sacellanatus, & ſimilia non erecta ab Epiſcopo in beneficium.

Reſ. 3. Habens penſionem clericalem, quæ ſcilicet in penſionario requirit primam tonſuram, ex Bulla Pii V. tenetur recitare Officium B. M. V. niſi aliunde V. G. vi ordinis recitet horas canonicas; tunc enim non eſt mens Pontificis, ut ſimul recitet officium B. V. alias plus obligaretur, quam habens duo beneficia, de quo

Reſ. 4. Qui plura pinguia beneficia habet, non tenetur ad plura officia; quia Eccleſia pia mater, a quo imponitur obligatio recitandi horas, vult multiplicare titulos, non ſatisfactiones, ut probat praxis. Nec novum eſt, quod pluribus obligationibus ſatisfiat unica actione.

Reſ. 5.

(a) *Pſ.* 118. *v.* 164.

Reſ. 5. Hæc obligatio incipit a die & hora quietæ poſſeſſionis; quia ante illam non cenſetur perfecte habere beneficium, niſi voluntarie ſit in mora accipiendi poſſeſſionem; quia negligentia non debet ei patrocinari, nec Eccleſiam obſequio privare.

Reſ. 6. Si ſumpta poſſeſſione lis ei moveatur nulloſque fructus percipiat, dubitetque, an unquam litem ſit evicturus, non tenetur: ſecus ſi aliquibus præſentiis fruatur, ſicque probabilis ſpes cauſam evincendi. Si neuter litigantium ſit in poſſeſſione, & neuter fructus percipiat, neuter tenetur ad horas; attamen evincens litem licite retinet fructus ſequeſtratos; quia horas non omiſit culpabiliter.

Reſ. 7. Si ſua culpa non percipiat fructus, eoquod V. G. ſit excommunicatus, ſuſpenſus, non reſidens, vel non habet ætatem requiſitam, utique tenetur ad horas: ſi autem injuſte impediatur, ſecluſa omni ſpe aliquando percipiendi fructus, non tenetur.

Reſ. 8. Si beneficium ſit ita tenue, ut ex eo non percipias tertiam partem ad mediocrem, & honeſtam Clerici ejusdem conditionis ſuſtentationem ſufficientem, ſecundum aliquos, non teneris ad horas, ſaltem quotidie; quia tale beneficium non meretur ſimpliciter nomen beneficii, nec præſumitur, quod Eccleſia velit pro tam exiguo proventu imponere onus adeo grave. Sed oppoſitum eſt tenendum: imputes tibi, quod beneficium acceptaveris, illudque acceptando ad onus, quod indifferenter omnibus beneficiis eſt annexum, te obligaveris: ſi nolis, dimitte, non deerunt alii, qui ſub iſto onere libenter acceptent. Quodſi tua culpa beneficium evaſerit tenue, utique teneris; quia es in culpa. Similiter qui plura beneficia tenuia habet, tenetur ad horas; quia notabilem ſuſtentationem ab Eccleſia recipit.

(5) *Reſ.* 9.

(5) *Reſ.* 9. Probabiliter non obligatur novus Canonicus, qui ex conſuetudine ſui capituli primis annis nullos percipit fructus, neque diſtributiones quotidianas, eoquod hæ impendantur ad fabricam Eccleſiæ: quia iſto tempore quoad fructus eſt quaſi non habens beneficium, idque ſine ſua culpa. Sed dicendum eſt, quod teneatur; quia omnes Canonici ad conſervationem fabricæ concurrere debent, quod ut inſenſibilius fieret, fecerunt hoc ſtatutum.

Reſ. 10. Si fructus cedant ſenioribus Canonicis, vel reſerventur ad defuncti ſepulturam, vel ad ſolvenda debita, minus deobligatur; quia æquivalenter percipit fructus, ipſe enim ſenior percipiet uberiores, & ſi neceſſarii non ſint ejus ſepulturæ vel extinguendis debitis, poterit de illis in vita diſponere, vel tranſibunt ad hæredes.

Reſ. 11. Ad horas obligatur, qui uno anno caſu fortuito V. G. grandinis, incurſionis hoſtium vel ob ſterilitatem non percipit fructus; cenſentur enim per aliorum annorum fertilitatem compenſari.

(6) *Reſ.* 12. Si horas culpabiliter omittat primis ſex menſibus, peccat graviter, ſed non tenetur ad reſticutionem; quia Pius V. hos excipit. Iis elapſis tenetur ad reſtitutionem fructuum ante omnem ſententiam pro rata omiſſionis, ita ut pro toto officio diei teneatur reſtituere omnes fructus iſtius diei; pro matutino, aut reliquis horis mediam partem: pro una ex minoribus ſextam partem medietatis reſiduæ. Ita poſt Concilium Lateranenſe Pius V. Hinc ſi Canonicus V. G. annuatim habeat trecentos ſexaginta quinque aureos, pro omiſſo officio diei tenetur reſtituere aureum. Dixi: *culpabiliter;* ſi enim abſit culpa, aberit & pœna reſtitutionis. Quod dicitur de beneficiato, etiam tenet de penſionario gaudente penſione Clericali omittendo officium B. M. V.

Reſ. 13. Si beneficio annexa ſint alia onera V. G. Sacramenta adminiſtrandi, Miſſas legendi, non tenetur ad partem his correſpondentem, ſed ſolum oneri horarum; hinc Parochus tenuem habens Parochiam vix ad aliquid obligabitur; quia ob alia onera debetur ipſi ſuſtentatio.

Reſ. 14. Reſtitutio facienda eſt fabricæ beneficii, vel Eccleſiæ pauperi etiam extraneæ, vel pauperibus etiam conſanguineis, imo ſi ipſe beneficiatus ſit vere pauper, poteſt ſibi ipſi applicare, modo horas non omittat in fraudem legis, eoquod ſciat ſe titulo paupertatis poſſe fructus retinere. Item applicari poteſt ad meliorandam domum, & prædia beneficii, quia & iſta veniunt nomine fabricæ beneficii. Non autem ſatisfit per alia pia opera fundatoribus applicata; ſunt enim a textu bullæ nimis exorbitantia: nec ſuppletur per eleemoſynas ante factas per modum anticipatæ ſolutionis; quia nec ſolutio antecedit debitum ex culpa, nec pœna delictum (a). Poteſt autem ſuppleri per eleemoſynas poſt omiſſionem horarum, quamvis non iſto intuitu datas, ob virtualem intentionem, qua dans eleemoſynam ſatisfacere intendit obligationibus, quas ſuis peccatis contraxit, & revera poſuit opus, quod pro omiſſione fuit impoſitum. Pro aliis duobus titulis.

(7) *Reſ.* 1. Ex conſuetudine ſaltem & communi praxi Eccleſiæ tenentur ſub mortali ad horas omnes Clerici in majoribus Ordinibus conſtituti, etiam excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, depoſiti, degradati; manet enim ſacer Ordo, & ex delicto non debent reportare commodum. Quodſi quis ex gravi metu injuſto ordinem ſuſcepit, non tenetur, niſi libere utatur ordine ſuſcepto; ſic enim ratificat ſuſceptionem.

Reſp.

(a) *Vid. prop.* 33. ab *Alexandro VII. damnatam.*

Reſ. 2. Qui hodie eſt ordinatus, hodie tenetur legere horas, non omnes, ſed correſpondentes moraliter tempori ordinationis ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ vel Diœceſis, in qua ordinatur; hinc ſi in Colonienſi ordinetur hora nona, tenetur ad ſextam & reliquas: ſi circa undecimam, ad veſperas tantum. Idem eſt de profeſſionem faciente & poſſeſſionem beneficii capiente cum ſpe fructuum ex jure jam completo.

Reſ. 3. Ratione profeſſionis religioſæ tenentur ſub mortali omnes Religioſi profeſſi utriusque ſexus ad chorum deputati, ubi conſuetudo ſub mortali eſt recepta, etiam fugitivi, ad triremes damnati per ſe loquendo; manent enim veri Religioſi ad chorum deputati. Hæc obligatio oritur vel ex propria regula, ut apud Fratres Minores, vel ex conſuetudine vim legis habente. Excipiuntur Novitii, qui in odioſis non veniunt nomine Religioſi: item laici, qui non ad chorum, ſed ad labores & ſervitia ſunt deſtinati. Quoad moniales ſpectanda ſunt ſtatuta ordinis & conſuetudo, an ſit obligatio ad horas extra chorum. De Clariſſis expreſſe declaravit Eugenius IV. non obligari, non obſtante conſuetudine. Hoc certum eſt peccare mortaliter, ſi ſua culpa vel negligentia impediant, quominus chorus in communi ſervetur. Pro quo

Reſ. 4. Peccat graviter Superior, ſi ex ejus culpa chorus vel omittatur, vel notabiliter negligatur, aut indebite perſolvatur. Deficiente ſuo muneri Superiore tenentur ſub mortali chori curam habere ſubditi; non tamen peccant graviter, ſi unus, vel alter ſubinde chorum non frequentent, ſecluſo ſcandalo & contemptu, modo horas privatim recitent, & chorus rite ſervetur; cui ut ſatisfiat, requiruntur ad minus quatuor, quia ſine his decora chori alternatio fieri non poteſt; ſufficiunt tamen novitii, qui in favorabilibus

æquiparantur profeſſis. Interim Superiori incumbit omnes non legitime occupatos ad chorum compellere.

Reſ. 5. A publica recitatione ſatis probabiliter excuſatur communitas, ſi non adſint, niſi quatuor vel quinque Religioſi, qui aliis officiis, ut prædicationibus, confeſſionibus audiendis actu occupantur. Aliud eſt, ſi forent otioſi. Beneficiati autem, ſi non eſſent niſi duo aut tres, videntur obligati ad chorum eo modo, quo poſſunt.

Q. Quid de Canoniſſis ſæcularibus?

℟. 1. Certum videtur, quod capitulum vel communitas ſit adſtricta choro publico, ut ex ipſo uſu probatur; hinc ſingulæ & principaliter Abbatiſſa tenentur curare, ut chorus juxta conſuetudinem & ſtatuta capituli debite ſervetur, ut ſupra de Religioſis.

℟. 2. Probabiliter non obligantur ad horas privatim recitandas; non enim habent proprie beneficium, nec præſumuntur fundatores illas voluiſſe tam ſtricte obligare, ſed potius intendiſſe, ut puellæ nobiles honeſtius educentur, usquedum nubant. Attamen tenentur orare pro fundatoribus; vivunt enim æque ac beneficiati & Religioſi ex piis fundationibus.

QUÆSTIO IV.

(8) *Quomodo integre recitandæ ſint horæ?*

D. Horæ ſub mortali recitandæ ſunt integre, id eſt: nihil notabile omittendo, omnia diſtincte pronuntiando, ad ſocium, vel alterum chorum attendendo, quoad vocem vel cantum obligationi ſatisfaciendo. Pro quibus

Reſ. 1. Peccat mortaliter, qui omittit unam parvam horam, vel quod ei æquivalet, quamvis interrupte & in diverſis horis ejusdem diei; quia communiter cenſetur pars notabilis, & omnes horæ pertinent ad

ad unum officium iſtius diei. Hinc videtur etiam mortale omittere veſperas in Sabbato ſancto; quia quævis hora eſt pars notabilis divini officii.

Reſ. 2. Omittens die S. Marci & diebus rogationum Lytanias de omnibus Sanctis, & in die animarum officium defunctorum ex communi ſententia peccat mortaliter; quia ſunt pars officii pro iſta die.

Reſ. 3. Qui dubitat vel non meminit ſe dixiſſe horam aliquam, ſi habeat gravem rationem vel conjecturam pro ſe, V. G. quod non ſoleat tranſilire vel omittere aliquid, vel invenit ſe in fine horæ, neſciens, an præcedentia dixerit poteſt ſe reſolvere, nec tenetur repetere; quia ex communiter contingentibus eſt præſumptio prudens: quod maxime valet pro iis, qui timidæ ſunt conſcientiæ, qui male faciunt repetendo: quia aperitur via ſcrupulis.

Reſ. 4. Qui occupatus miniſterio ad chorum pertinente V. G. deferendo libros, luminaria, pulſando campanas, lectiones quærendo, revidendo, ne erret &c. Aliqua hinc inde omittit vel non percipit, non tenetur repetere; quia chorus, cujus eſt membrum, ſupplet pro ipſo, ſaltem ſi aliis recitantibus, quantum moraliter poteſt, attendat. Debent tamen ea, quæ commode poſſunt, ante officium divinum diſponi, aut revideri. Idem eſt de eo, qui tuſſit, vel aliquod neceſſarium alteri dicit; ſi tamen longior aut frequentior foret occupatio, ita ut quid notabile in eadem hora omitteret, erit poſtea ſupplendum. Quæ autem ſolo organo vel inſtrumento muſico ſine voce humana peraguntur, ſupplenda ſunt vel ab uno aliis audientibus, vel a ſingulis; quia ſonus organi non eſt oratio.

Reſ. 5. Pronuntiatio debet eſſe vocalis exterior, per quam verba proferantur & quidem diſtincte; eſt enim

oratio vocalis, & Concilium Baſileenſe mandat, ut officium divinum perſolvatur verbis diſtinctis; hinc peccat pro quantitate materiæ, qui voluntarie verba mutilat, ſyllabas truncat, abſorbet &c. aut ſocio nondum finiente incipit; quæ enim ſimul dicuntur, non conſtituunt orationem ſucceſſivam, quam Eccleſia requirit. Si autem mutilatio aut ſyncopatio fiat ex inveterata conſuetudine, vel defectu naturali, excuſatur a peccato; quia plus ab eo non exigitur, tenetur tamen per lentam pronunciationem, quantum moraliter poteſt, vincere conſuetudinem.

Reſ. 6. Licitum eſt orare cum ſocio, modo pars recitata ab uno audiatur ab alio, fiatque alternatio, ſicut conſuevit fieri in choro. Idem eſt de aliis orationibus ex voto, vel pœnitentia debitis. Dixi: *modo pars &c. audiatur ab alio;* quia cum quilibet vi præcepti teneatur ad totum, ſi partem non faciat ſuam recitando, debet illam facere ſuam audiendo; hinc ſurdus ſi poſſit orare ſolus, non ſatisfacit orando cum ſocio, ſecus ſi in choro recitet; quia cum, ut ſuppono, teneatur adeſſe choro, non cenſetur velle Eccleſia, ut bis recitet. Hinc etiam juxta communem ſatisfacit in choro, qui quantum morali diligentia poteſt, attendens quædam ab aliis recitata non ſatis percipit ſive ob ſtrepitum, ſive etiam ob nimiam celeritatem apud quosdam Canonicos, pro dolor! ſatis uſitatam, ſi non poſſit alios corrigere, debeatque cum iis officium perſolvere; ſaltem poteſt percipere diſtributiones, quamvis nihil percipiat contra ſuam voluntatem; quia ex parte ſua juvat chorum; debebit tamen tunc horas repetere, aut ſubmiſſa voce legere.

Reſ. 7. Socius, cum quo recitas, poteſt eſſe laicus, quamvis ille non exacte attendat, nec intelligat, modo oret, & non tantum materialiter recitet.

Reſ.

Reſ. 8. Qui in choro ſuam partem ſubmiſſe orat & attendit ad aliam partem chori, ſatisfacit quidem præcepto, ſed non lucratur diſtributiones: quia non adeſt ut pars chori, cum illum non adjuvet, quod ad participandas diſtributiones requirit Tridentinum & Pius V. *Excipe:* niſi ob raucedinem V. G. ſit impeditus. Econtra qui cantat, ſed non attendit ad alteram partem chori, quia V. G. fabulatur cum ſocio, ut cum ſcandalo videmus fieri, facit diſtributiones ſuas, ſed horas tenetur repetere.

Reſ. 9. Canonici, aliique Beneficiati ad chorum deputati tenentur adeſſe officio divino in choro; datur enim beneficium propter officium etiam publicum. Abſentes privantur ipſo facto diſtributionibus quotidianis, quas non poſſunt recipere, etſi ab aliis præſentibus remittantur. Patet id ex Tridentino, aliisque juris diſpoſitionibus. Si abſint ultra trimeſtre, quod ipſis a jure permittitur, peccant graviter vel leviter pro qualitate abſentiæ aut officii detrimento. Hinc

(9) *Reſ.* 10. Non ſatisfaciunt, ſi per ſuos Vicarios horas perſolvant; Tridentinum enim expreſſe dicit: ***Omnes vero divina per ſe, non per ſubſtitutos compellantur obire officia.*** Opponitur conſuetudo contraria; ſed Benedictus XIV. (a) dicit ejusmodi-conſuetudines ſæpe eſſe improbatas.

QUÆSTIO V.

(10) *Quomodo officium divinum debeat dici ordinate.*

D. 1. Horæ debent recitari ex Breviario proprio, ita ut Religioſus utatur Breviario ſui Ordinis, Beneficiatus Breviario in loco ſui beneficii recepto ſive

(a) *In Bulla: Cum ſemper data* 19. *Aug.* 1744.

Diœceſano, ſive Romano ab Urbano VIII. recognito. Interim probabile eſt, quod, qui in choro non utitur Romano, poſſit illo uti privatim; quia ſic ſe conformat Eccleſiæ primæ omnium Matri, & Breviaria ſpecialia potius ſunt ex privilegio, quam ex præcepto, privilegio autem per ſe uti non teneor. Sed quidſi in itinere caream Breviario proprio, teneorne orare ex alieno V. G. Benedictino? ℟. 1. Cum non multum diſcrepet a tuo, teneris ex illo orare; jam enim præcepto quoad ſubſtantiam potes ſatisfacere; ergo teneris. ℟. 2. Si in illo ſit ſaltem magna pars concordans cum tuo, teneris hanc legere; ſi enim ſcires eam memoriter, teneris, cum oppoſitum ſit damnatum; cur non, ſi poſſis legere in charta vel alieno Breviario?

(11) *D.* 2. Recitari debet officium illo die præſcriptum; quia alias non impletur lex ſaltem quoad modum præſcriptum.

Reſ. 1. Multi dicunt mortaliter peccare eum, qui data opera ſemel tantum mutat officium in notabiliter brevius, quam ſit ordinatum pro tali die. Colligunt id ex Prop. (a) damnata: *In die Palmarum recitans officium Paſchale ſatisfacit.*

Reſ. 2. Peccat mortaliter, qui paſſim ex deſidia mutat in aliud etiam æquale; quia tunc adeſt implicitus quaſi contemptus: venialiter, ſi raro: quia eſt materia levis, nec conſtat formulam officii a Pio V. præſcriptam eſſe de ſubſtantia.

Reſ. 3. Si vel ex toto, vel ex parte per errorem aut inconſiderantiam recitaſti aliud officium, nil teneris repetere, ſed potes pergere, corrigendo ex tunc errorem, ac recitando officium præſcriptum illius diei quoad reliquas horas.

Reſ.

(a) 34. *ab Alexand. VII.*

Reſ. 4. Si ex inadvertentia legiſti hodie officium craſtinum, aut lectiones craſtinæ ſcripturæ, debes cras idem recitare, ne bis erres.

Reſ. 5. Qui hodie omiſit recitare de feſto, poteſt illud eo anno vel penitus omittere, vel prima die non impedita ſupplere. Idem eſt, ſi a Diœceſi, in qua feſtum aliquod univerſale fuit translatum, venerit in locum, ubi jam eſt celebratum.

Reſ. 6. Ex juſta cauſa licite mutatur officium; talis eſt 1. *Vere notabilis difficultas*; ut ſi ob iter, conciones, aliaque negotia neceſſaria moraliter non poſſis recitare majus, potes recitare minus. 2. *Conformitas loci*, ut ſi venias ad locum, ubi oratur de feſto, quod tu ſervaſti, potes illud adhuc ſemel ſervare. 3. *Transmigratio ad alium locum;* hinc ſi ex alia Diœceſi cras ſis venturus Coloniam, ubi ſervatur feſtum S. Urſulæ, potes hodie in alia Diœceſi recitare Veſperas de S. Urſula. 4. *Societas in orando*; ſic licite te ſubinde accomodas perſonæ gravi aliud officium recitando. Idem eſt, ſi debeas ex charitate juvare infirmum; non eſt autem cauſa ſufficiens ſola devotio; quia optima devotio eſt ſe conformare Eccleſiæ.

(12) *D.* 3. Horæ debent recitari & abſolvi tempore debito. In choro ſervanda eſt probata conſuetudo loci: privatim recitans non peccat graviter, modo abſolvat intra 24. horas a media nocte ad mediam noctem; quia ſalvatur ſubſtantia præcepti. Eſt autem veniale non orare debito tempore, quia eſt aliqua inordinatio contra morem Eccleſiæ.

Reſ. 1. Veniale eſt absque cauſa Matutinum, Laudes, primam, tertiam differre poſt meridiem, aut ante meridiem recitare Veſperas & Completorium. Sexta & nona poſſunt differri ad primam promeridianam.

Reſ. 2. Matutinum & Laudes ex privilegio dici poſſunt pridie juxta tabellam Romæ impreſſam, quæ paſſim eſt in directoriis.

Reſ. 3. Accedente cauſa rationabili poſſunt horæ differri vel præveniri, quod ſemper eſt melius: tales ſunt major commoditas ſtudii, itineris, occupatio, major devotio, periculum impedimenti obventuri.

Reſ. 4. Probabilius veniale eſt peccatum per ſe loquendo non orare Matutinum & Laudes ante Miſſam; quia verba Rubricæ non conſilium, ſed præceptum important: ac proin leviter ſaltem obligant.

D. 4. Horæ debent recitari ordinate, ut non dicatur poſterior ante priorem; & hoc ſine cauſa facere extra chorum, eſt veniale, cum cauſa nullum.

Reſ. 1. Si habeas penes te diurnale tantum, & non poſſis commode differre, potes incipere a Laudibus.

Reſ. 2. Si rogeris ab infirmo vel alio amico, potes ex gravi cauſa invertere ordinem, & inchoare cum illo etiam matutinum ſequentis diei, licet non oraveris Veſperas hujus diei.

Reſ. 3. Si velis orare cum choro, potes recitare poſteriores horas, antequam oraveris priores.

(13) *D.* 5. Horæ debent dici continue ſine interruptione: nunquam autem eſt mortale horas interrumpere; quia continuatio non eſt de ſubſtantia præcepti, cum ſinguli Pſalmi, imo & Verſus habeant completam ſignificationem, integrentque totum per hoc, quod intra tempus, quo durat obligatio, dicantur: eſt tantum veniale ſine cauſa notabiliter interrumpere; eſt enim infractio ordinis ab Eccleſia inſtituti, & aliqua irreverentia ſermonem cum Rege ſine cauſa interrumpere.

Reſ. 1. Matutinum licite ſeparatur a Laudibus, ſic habet praxis etiam apud timoratos; licite ergo oras Matutinum pridie, & Laudes altero die. In initio lau-

laudum non eſt opus præmittere: *Pater noſter*, ſicut nec præmittitur Completorio. Pariter unus Noctur-nus licite ſeparatur ab alio ſaltem ex rationabili cauſa; ſic enim antiquitus fiebat in Choro.

Reſ. 2. Levis interruptio pro nulla reputatur.

Reſ. 3. Subſiſtente honeſta cauſa nullum eſt pecca-tum interrumpere, ut ſi voceris a Superiore, ſi ali-quid occurrat ex officio vel charitate faciendum V.G. Confeſſio audienda, alloquium alicui dandum &c. dum tamen interruptio eſt parumper longa, conſultum eſt, ut ab initio repetatur ſaltem Pſalmus.

(14) *D.* 6. Quamvis per ſe loquendo in omni lo-co oratio fieri poſſit, cum reſpectu Dei nullæ ſint ſor-des phyſicæ, videtur tamen venialis irreverentia offi-cium divinum in locis immundis recitare. Si autem recitetur in loco, ubi impeditur attentio V. G. in fre-quenti hominum conventu, clamore, & ſtrepitu pro-fano, poteſt eſſe mortale, ſi totaliter impediatur at-tentio, *de qua infra.* Pariter nullus in horis certus corporis ſitus eſt de præcepto; unde ſedere, dum ru-brica dicit eſſe genuflectendum, peccatum non eſt, ſaltem extra chorum; quia hujusmodi rubricæ teſte conſuetudine non ſunt præceptivæ, ſed directivæ dan-tes conſilium, non præceptum; attamen ſine neceſſita-te recitare horas in lecto decumbendo videtur venialis irreverentia.

QUÆSTIO VI.

(15) *Qualis requiratur ad horas recitandas in-tentio & attentio.*

N. 1. Intentio eſt volitio aliquid faciendi; attentio eſt advertentia mentis ad aliquid.

N. 2. Attentio quoad præſens alia eſt *externa*, qua tempore orationis quis abſtinet ab omni opere exter-

no

no cum interna attentione incompoſſibili: alia *interna* & eſt advertentia vel quædam applicatio animi ad id, quod orat, eſtque vel ad ſola verba, ut hæc diſtincta ac reverenter exprimantur, & vocatur *ſuperficialis*; vel eſt ad ſenſum verborum, & vocatur *litteralis;* vel eſt ad Deum vel ſacrum aliquod myſterium pie meditandum V. G. Paſſionem Domini, diciturque *ſpiritualis.*

D. 1. Horæ debent recitari cum aliqua intentione orandi & colendi Deum. *Prob.* Recitatio horarum, ut ab Eccleſia præcipitur, eſt actus religionis, & cultus Dei; ſed recitatio Horarum ſecundum ſe eſt indifferens; poſſum enim hoc facere temporis fallendi, ſcientiæ vel curioſitatis gratia; ergo per intentionem recitantis debet determinari ad actum Religionis.

Reſ. 1. Non eſt neceſſe, quod recitans dicat; *intendo orare, volo colere Deum;* ſed ſufficit, quod obligationi ſuæ ſatisfacturus, aut illius memor accedat deliberate ad chorum, vel aſſumat Breviarium, legat per modum orantis &c. in his enim & ſimilibus actionibus includitur intentio virtualis colendi Deum, quæ manet relicta ex intentione actuali, quod notent ſcrupuloſi, qui dum horas recitarunt, non poſſunt prudenter dubitare de habita intentione orandi, & ſatisfaciendi.

Reſ. 2. Bonum eſt, ſed non neceſſe, ad quamlibet horam revocare intentionem, nam quod pergam ad Horas reliquas, fit in virtute prioris intentionis.

Reſ. 3. Non requiritur intentio actualis orandi devote, integre, ordinate &c. quia hæc implicite includitur in intentione virtuali orandi, aut ſatisfaciendi ſuo officio.

Dices: Multa ſunt in Breviario, quæ neque ſunt orationes, neque laudes Dei V. G. variæ hiſtoriæ. ℞.

Si

Si in ſe non ſint laudes Dei, poſſunt tamen proferri ad laudem Dei.

(16) *D.* 2. Ad eſſentiam orationis non requiritur attentio interna excludens voluntarias diſtractiones. *Ratio eſt*: 1. quia alias involuntarie diſtractus non ſatisfaceret ſuæ obligationi; non enim oraret, ergo teneretur repetere, quod nemo dicit. 2. Sacerdos conferens extremam unctionem cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia; valide conficit hoc Sacramentum licet voluntarie diſtractus nullam habeat attentionem, internam, ſicut ita diſtractus valide conficit alia Sacramenta; ergo ſine attentione interna ſtat eſſentia orationis *c. p.* quia forma hujus Sacramenti eſſentialiter eſt deprecatoria & oratio. Sufficit ergo ad eſſentiam orationis intentio orandi vel laudandi Deum virtualiter perſeverans.

Ob. Oratio eſt mentis in Deum elevatio; ſed ubi nulla eſt interna attentio, non eſt mentis in Deum elevatio, nec cultus religionis; non enim vere colit Deum, qui voluntarie diſtrahitur, & nequidem vult de Deo cogitare; ergo. ℟. *n. m.* Ad ſubſtantiam orationis & ad actum religionis ſufficit ſola intentio orandi perſeverans in vocali oratione, etſi mens ad alia vagetur; ſicut vere dicitur colere & invocare dæmonem, qui ex intentione invocandi pronuntiat verba externa, quamvis interim totus ſit diſtractus. Intentio oprandi Deum & colendi includit confuſam aliquam mentis elevationem in Deum.

D. 3. Ad ſatisfaciendum lectioni Horarum neceſſaria eſt attentio externa. *Eſt communis & certa*; & hoc ſaltem probant, quæ pro ſequenti concluſione referimus.

Reſ. 1. Peccat mortaliter, qui inter orandum ponit actionem aliquam vel ex natura ſua, vel ex debilitate intellectus ipſius orantis incompoſſibilem cum omni attentione interna, ſaltem ſi totaliter illam impediat;

diat; tales actiones ſunt: alia legere, ſcribere, pingere, confabulari in Choro altera parte recitante, fabulantibus ſtudioſe attendere, magna cura aliquid exterius agere &c.

Reſ. 2. Sub recitatione Horarum licitum eſt modeſte ambulare, equitare, absque feſtinatione ſe induere, exuere, faciem lavare &c. quia hæc non impediunt attentionem internam & reverentiam. Generaliter quas actiones licite exerceo, dum recito preces non debitas, easdem licite exerceo recitando debitas. Quod autem inter induendum V. G. liceat orare: patet; quia Sacerdos hoc facere debet, dum in ordine ad Miſſam ſe induit.

(17) *D.* 4. Ex præcepto Eccleſiæ graviter obligante requiritur attentio interna, adeo ut peccet mortaliter, qui per notabilem partem Horarum plene voluntarie eſt diſtractus. Ita communior & verior ſententia. *Prob.* 1. ex Cap. *Dolentes* (a) ubi ſic habetur: *diſtricte præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum officium, quantum iis Deus dederit, ſtudioſe celebrent & devote;* ſed non celebratur ſtudioſe & devote, ſi nulla adſit attentio interna, & recitans mente voluntarie vagetur; quamvis enim actum Religionis ponat, & eſſentiam orationis, non tamen dicitur ſimpliciter orare devote; unde videtur non tantum præcipi orationis ſubſtantia, ſed & modus, qui, cum multum conferat ad finem legis, qui eſt cultus & adoratio Dei, videtur cadere ſub obligationem gravem. *Prob.* 2. ex Tridentino, quod (a) mandat, ut divinum officium dicatur *reverenter*, *diſtincte*, *devoteque* per ly *reverenter* præcipitur modeſta corporis compoſitio: per ly *diſtincte* recta verborum pronuntiatio, & ecce tota, quam dicunt, devo-

(a) *de celebratione Miſſarum.*
(*b*) *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 12.

devotio externa ; ergo per ly *devote* præcipitur interna ; alias hanc particulam fruſtra addidiſſet Concilium.

Reſ. 1. Noſtra ſententia ſuadenda eſt in praxi utpote magis pia & verior. Nihilominus ſcrupuloſus inter orandum non hæreat ſollicitus de attentione ; nam hæc ſollicitudo eſt diſtractio & diſtractiones cauſat.

Reſ. 2. Involuntarie diſtractus nil tenetur repetere, minus reſtituere fructus ; imo non expedit repetere ideo aliquid, quia aperitur via perturbationi & ſcrupulis.

Reſ. 3. Qui certus eſt, quod plene voluntarie diſtractus fuerit, tenetur Horas aut partem ſic diſtracte recitatam ſub mortali repetere ; quia non ſatisfecit præcepto Eccleſiæ requirentis recitationem devotam.

Reſ. 4. Poteſt quis eſſe voluntarie diſtractus duplici modo ; nempe diſtractione voluntaria vel in ſe, vel in ſua cauſa. Prior diſtractio locum habet, cum quis ſciens, ac volens mentem extraneis cogitationibus paſcit ; poſterior datur, quando quis libera ſenſuum evagatione, aut frequenti confabulatione occaſionem variis cogitationibus ſponte præbet. Sive quis autem priori, ſive poſteriori modo diſtractus oret, & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur, niſi, quod male recitavit, repetat, ac devote perſolvat. Quod peccet mortaliter ex eo eſt ; quia, ut mox dictum eſt, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacit : non enim Eccleſia recitationem qualemcunque, ſed devotam præcipit. Quod autem ad reſtitutionem teneatur, ratio eſt ; quia Eccleſia beneficiales fructus Clericis non abſolute, ſed ſub conditione adimplendi ſui officii concedit : beneficium enim eſt propter officium. Sicut ergo, qui non ſunt præſentes in choro, non faciunt fructus ſuos, ſic neque, qui horas canonicas non recitant juxta præſcriptum Eccleſiæ : inter principales namque obligationes

Bene-

Beneficiorum eſt præſcripta divini officii recitatio. Atque hæc quidem reſolutio intelligenda de quolibet Beneficiato, ſive beneficium curatum, ſive etiam ſimplex duntaxat poſſideat: ita enim declaravit S. Pius V. R. P. in ſua conſtitutione *Ex proximo*, ubi decretum *Concilii Lateranenſis* ſub *Leone X.* hac de re editum hisce verbis confirmavit. *Ex proximo Lateranenſi Concilio emanavit, ut quicunque habens Beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura animarum, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, divinum officium. . . non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rato omiſſionis Officii, & temporis ſuos non faciat. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos autem huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut qui horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejusdem diei amittat.* Nec ſufficit laxa illa interpretatio tum hujus Pontificiæ Conſtitutionis, tum aliarum; quod tantum intelligendæ ſint de illis, qui officium divinum omittunt, non vero de iis, qui illud recitant, licet diſtracte, ac minus devote; nam ad hoc, ut Beneficiati fructus faciant ſuos, exigitur, ut præcepto Eccleſiæ ſatisfaciant. Porro præceptum Eccleſiæ fundatur in oratione, quæ Deo cultum offerat, non quæ ei injuriam irroget: jam autem recitatio divini Officii ſine debita animi attentione injurioſa eſt Deo, non religioſa. Præterea hanc ipſam interpretationem ceu laxam, decretis Conciliorum, & Romanorum Pontificum contrariam, ac omnino falſam *Benedictus XIV.* duplici conſtitutione, quarum una incipit, *cum ſuper*

die 19. Auguſti anno 1744. Altera, *Cum ſuper oblatas* die 14. Januarii 1748. abſolute rejecit, utpote quæ abuſum, ac corruptelam induceret.

Reſ. 5. Neque Beneficiarii ſolum, ſed & Penſionarii, ſi præſcriptum officium omittant, aut quod idem eſt, ſine attentione interna perſolvant, perceptam penſionem pro rata omiſſionis tenentur reſtituere; ita ſiquidem *S. Pius V.* in mox laudata conſtitutione decernit, dicens: *Quicunque penſiones ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum amiſſioni obnoxium.* Et merito quidem R. P. hoc ſtatuit: nam penſiones quoque ex bonis Eccleſiæ ſolvuntur, nec Clericus Penſionarius alio, niſi tam levi, onere gravatur. Aliunde Eccleſia etiam a Penſionariis exigit actum religionis, qualis certe non eſt recitatio Officii Mariani ſine attentione interna; cum inde B. Virgo potius inhonoretur, quam honoretur.

Reſ. 6. Qui merito dubitant, num horas, vel horam aliquam recitaverint, manente dubio tenentur illas recitare; quia in tali dubio ſeſe exponunt periculo non implendi munus ſuum, in dubiis autem tutior pars eſt eligenda. Dictum eſt; *qui merito* dubitant; nam pro ſcrupuloſis, qui frequenti timore corripiuntur, num vel Pſalmum, vel integram horam dixerint, vera eſt doctrina *Navarri*, quam de Orat. cap. 13. n. 30. tradit hisce verbis: Non ſolum non tenetur repetere id, quod probabiliter credit ſe dixiſſe; verum etiam male ageret id faciendo: eoquod habitum, & conſuetudinem concipiendi ſcrupulos ſuperfluos ſibi quæreret. Cæterum hoc loco probe adhuc notandum, quod illis, qui ex omiſſione Officii divini ad reſtitutionem tenentur, non proſint eleemoſynæ ante illam omiſſionem erogatæ ob damnatam ab *Alexandro VII.* hanc propoſitionem: *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem hora-*

rum ſuppleri poteſt per quascunque Eleemoſynas, quas ante Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerat.

Reſ. Denique. Pro habenda attentione excludenda ſunt 1. impedimenta, ut evagatio oculorum & aliorum ſenſuum externorum. 2. Adhibenda ſunt quædam adjumenta, ut 1. ante orationem formare bonam intentionem Deum laudandi: 2. proteſtari contra diſtractiones obventuras: 3. hanc proteſtationem breviſſime renovare, ubi diſtractio advertitur 4. ad *Gloria Patri* renovare intentionem laudandi Deum: 5. cogitare Deum præſentem, vel modo hunc Pſalmum dirigere ad Deum Patrem, illum ad Filium Salvatorem, illum ad Spiritum Sanctum. *Optimus modus eſt* attendere ad ſenſum verborum & excitare affectum convenientem.

QUÆSTIO VII.

(18) *Quænam excuſent a recitatione horarum?*

D. Cauſæ excuſantes a recitatione horarum ſicut ab aliis Eccleſiæ præceptis generaliter tres aſſignari poſſunt: *impotentia phyſica, impotentia moralis & legitima diſpenſatio.*

Reſ. 1. Ob impotentiam phyſicam excuſat unius vel plurium horarum naturalis oblivio, cæcitas, inculpata Breviarii carentia; ſi tamen hi partem notabilem memoriter recitare poſſint, ad hoc tenentur, ob Prop. (a) damnatam.

Reſ. 2. Impotentia moralis eſt, ſi recitari non poſſint absque gravi damno proprio vel alieno, ſcandalo, aut gravi periculo. Sic exuſat ſuperveniens repentina occupatio gravis & neceſſaria vel multum utilis, quæ absque ſcandalo aut ſuo vel aliorum notabili detrimento omitti non poteſt, cum qua recitatio horarum vel in toto, vel in parte conſiſtere, non poteſt. Sic pariter

(a) *ab Innoc. XI.*

ter excuſatur oculis graviter laborans, ita ut merito timeat, ne viſum omnino perdat. Sic excuſari quandoque poſſet inter hæreticos degens &c. *Ratio horum & ſimilium eſt:* quia Eccleſſa vel non poteſt, vel non vult tunc ad horas obligare. Hinc

Reſ. 3. Excuſat infirmitas, quæ judicio periti & conſcientioſi Medici vel etiam alterius Viri experti, quorum judicio in dubio ſtandum eſt, cenſetur gravis; ſi & hi dubitent, adeundus eſt Superior, ſi fieri poteſt, qui hoc ipſo, quod dicat excuſari, diſpenſat, & ſupplet certo, ſi forte reipſa non excuſaret infirmitas. Interim

Reſ. 4. Quæ ſanis eſſent levia, ut capitis gravedo, virium laſſitudo & ſimilia, ſunt gravia reſpectu infirmi; cumque recitatio horarum ſit res ſeria ex natura ſua caput gravans, non ſequitur teneri ad horas, qui poteſt confabulari, vel libros recreationis cauſa legere; quia hæc potius levamini ſunt.

Reſ. 5. Regulariter non excuſat febris quartana aut tertiana? quia regulariter relinquunt ſufficiens tempus & vires non ſolum diebus intercalaribus, ſed & diebus paroxiſmi ante vel poſt recitandi horas.

Reſ. 6. Non ſtatim eſt obligandus ad recitationem officii, qui ex infirmitate jam aliquo modo convaluit, licet forte Miſſam celebret; quia imbecillitas ex morbo relicta adhuc eſt realis infirmitas, unde non videtur Eccleſia illum ſtatim velle obligare; quamdiu autem deobligetur, prudentis judicio metiendum eſt attenta tum gravitate morbi præteriti, tum ſtatu præſenti media ſemper via incedendo non nimis laxe, nec ſcrupuloſe.

Reſ. 7. Qui non poteſt orare ſolus, tenetur adhibere ſocium, ſi commode haberi poteſt, ut ſi ſocius ſe ſponte offerat, vel rogatus annuat; quia lex obli-

gat, ubi commode ſervari poteſt, nec adhibere ſocium eſt merum privilegium, ſed eſt facere chorum. Imo beneficiatus pingue habens beneficium tenetur ſocium mercede conducere: qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media non nimis difficilia. Non tamen tenetur cæcus adhibere ſocium, qui horas verbatim ſuggerat; hoc enim eſt nimis extraordinarium. Nec ſocium tenetur adhibere ſurdaſter, qui ſocium intelligere non poteſt, niſi valde vociferantem.

Reſ. 8. Qui non poteſt recitare horas debito tempore, tenetur vel anticipare vel expoſt legere, prout circumſtantiæ ferunt intra eandem diem; ſi enim intra diem naturalem poſſit, tenetur. Dixi: ***intra eandem diem;*** quia Matutinum & Laudes non teneor pridie recitare, licet poſſim; quia nullo modo hodie urget præceptum de craſtino, & eſt merum privilegium, quo non teneor uti; niſi de impedimento cras eventuro certus ſim: teneor implere legem eo modo, quo poſſum.

Reſ. 9. Qui non poteſt recitare horas, non tenetur aliud orare; quia præceptum eſt de horis, non de aliis precibus; lege tamen naturali gratitudinis incumbit Beneficiatis & Religioſis orare pro Benefactoribus & Fundatoribus, ſed quantum, quando & quomodo, non eſt præſcriptum.

Reſ. 10. Excuſat legitima diſpenſatio, quam ex conſuetudine & tacito conſenſu poteſt dare Epiſcopus, ne cogantur fideles continuo ad Sanctam Sedem recurrere, ſicut & fit in præceptis jejunii, feſtorum & ſimilibus; omne autem impedimentum dubium eſt juſta cauſa diſpenſandi, ***de quo ubi de legibus.*** Idem apud Regulares poſſunt Superiores etiam Conventuales.

Reſ. 11. Valde ſcrupuloſo poteſt inhiberi recitatio horarum, donec illas videatur poſſe recitare ſine gravi moleſtia; quia a præcepto Eccleſiæ excuſat periculum

culum gravis damni, quod hic eſt. Vel poteſt perſuaſus ſe non obligari, recitare ex devotione id, quod poteſt commode; apprehenſio enim obligationis anxietatem generat, qua ſublata diſcet imperturbate recitare.

QUÆSTIO VIII.

(19) *Quid, & quotuplex ſit Sacrificium, oblationes, & primitiæ?*

Sacrificium improprie & metaphorice eſt *quilibet actus bonus factus ad Deum colendum.* Sic dicitur (a) *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.*

D. 1. Sacrificium proprie, ut eſt actus diſtinctus a cæteris, eſt *oblatio externa legitime inſtituta & per miniſtrum legitimum facta Deo, qua res aliqua ſenſibilis deſtruitur vel immutatur in proteſtationem ſupremi dominii Dei, noſtramque ſubjectionem. dr. oblatio externa;* in quo convenit, cum aliis oblationibus, quæ non ſunt ſacrificium. *dr. legitime inſtituta;* quia Deus tam in Lege Veteri, quam nova præſcripſit determinata ſacrificia. *dr. per Miniſtrum legitimum;* quia in lege præſertim nova oblatio ſpectat ad miniſtrum ſpecialiter pro actu illo conſecratum vel deputatum. *dr. facta Deo*: quia ſacrificium eſt actus latriæ ſoli Deo exhibendus. *Nec obſtat*, quod templa & altaria erigantur Beatæ V. & Sanctis; quia revera non ipſis, ſed ſoli Deo eriguntur ſub patrocinio hujus vel illius Sancti. *dr. qua res ſenſibilis;* cum enim ſacrificium ſit cultus externus, quo coram Deo & hominibus proteſtamur ſupremum Dei in nos dominium, hinc fieri debet per ſigna ſenſibilia. *dr.* denique*: deſtruitur vel immutatur;* quia res a ſacrificante oblata debet deſtrui vel immutari ex toto, vel ex parte; ſic in ſacrificiis

 anti-

(a) *Pſ.* 50. *v.* 19.

antiquis animalia mactabantur, liquores effundebantur; per deſtructionem autem oſtenditur, quod Deus ſit Dominus vitæ & mortis.

D. 2. Sacrificium ratione *Materiæ* aliud eſt *cruentum*, in quo effunditur ſanguis, aliud *incruentum*, in quo ſanguis non effunditur: aliud dicitur *hoſtia* ſive *victima*, in quo Deo offerebatur animal V. G. bos: aliud *immolatio*, in quo res inanimata ſolida V. G. panis: aliud *libamen*, in quo inanimata liquida V. G. vinum offerebatur. Ratione formæ aliud dicitur *holocauſtum*, quo tota res oblata deſtruebatur, ut inde nihil cederet ad uſus hominum: aliud *hoſtia pro peccato*, in quo res oblata partim conſumebatur, partim cedebat in uſus Sacerdotum: aliud *hoſtia pacifica*, in quo res oblata partim conſumebatur, partim cedebat in uſum donantis. Ratione finis aliud eſt *latreuticum*, quod pure ad cultum Dei, aliud *propitiatorium*, quod ad remiſſionem culpæ vel pœnæ: aliud *impetratorium*, quod ad aliquid a Deo obtinendum offertur.

D. 3. In lege nova unicum eſt ſacrificium Miſſæ continens in ſe omnium ſacrificiorum virtutem. *Nec refert*, quod in Eccleſia offeratur thus; quia non offertur in ſacrificium, ſed ad certas ſignificationes myſticas, ut excitentur homines ad devotionem ac venerationem: unde offertur etiam hominibus. *Plura de ſacrificio ubi de Miſſa.*

(20) *D.* 4. Oblationes proprie ſunt *dona*, *quæ fideles intuitu religionis offerunt ad Altare, vel ad aliquam imaginem.* Ubi

Reſ. 1. Nulla per ſe eſt obligatio faciendi oblatiotiones, cum ſint dona gratuita: per accidens poteſt eſſe vel ex voto, vel ex indigentia Eccleſiarum aut Parochorum aliunde congruam ſuſtentationem non habentium: ex conſuetudine a populo animo ſe obligandi introducta: ex præſcriptione, ſi Parochus per decennium

nium eas tanquam ſibi debitas exegerit parochianis non reclamantibus, prout exigunt in feſtis principalioribus.

Reſ. 2. Omnes oblationes intra limites Parochiæ in capella vel ad imaginem depoſitæ de jure communi pertinent ad Parochum, quamvis alius ibidem divina celebret; quia cenſentur fieri ratione curæ animarum. Dixi: *de jure communi:* quia attendenda eſt legitima conſuetudo, & intentio offerentium; hinc ſi neo-myſta celebret primitias, oblationes ipſi cedunt; ſi deponantur ad imagines miraculoſas, cedunt Eccleſiis vel ſacellis pro conſervanda fabrica, vel ornatu illarum Eccleſiarum, ſacellorum vel imaginum.

D. 5. Nomine primitiarum intelliguntur primi fructus terræ vel pecorum, qui olim Deo in ſignum debitæ gratitudinis offerri debebant; licet autem ex præcepto Eccleſiaſtico olim debuerint ſolvi primitiæ, hæc tamen obligatio hodie paſſim exolevit. Hinc non ſunt ſolvendæ niſi ſecundum conſuetudinem patriæ & indigentiam Miniſtrorum Eccleſiæ, ait *S. Thomas.*

QUÆSTIO IX.

(21) *Quid pro praxi notandum circa decimas.*

D. 1. Decimæ ſunt *decima pars fructuum juſte acquiſitorum miniſtris Eccleſiæ propter miniſterium ſpirituale ſolvenda.* Aliæ ſunt *reales* vel *prædiales*, quæ ſolvuntur ex terræ fructibus, ut ex frumento, vino, item elocatione ædium: aliæ *perſonales*, quæ ex lucro perſonalis induſtriæ V. G. negotiatione: aliæ *mixtæ*, quæ partim ex prædiis, partim ex induſtria hominum, ut ſunt animalium fœtus, eorumque fructus, lac, caſeus, butyrum, ſolvuntur. *Perſonales* ſaltem in his partibus abierunt in deſuetudinem, iisque ſubrogati creduntur reditus ſtolæ, ut vocant,

qui Parochis ob ſingula fere miniſteria dari ſolent in ſuſtentationem. Reales aliæ ſunt *majores*, quæ ſolvuntur ex frumento, vino, aliæ *minores*, quæ ex fructibus hortorum, ex pomis arborum, ex fœno, lino &c. ſolvuntur; & hæc diſtinctio eſt uſitata in Germania, ubi Parocho ſæpe tantum minores decimæ ſolvuntur, aliis vero *majores*.

(22) *D.* 2. Decimæ ſecundum ſubſtantiam debentur jure naturæ & divino; jus enim naturæ dictat ſuſtentationem deberi miniſtris Eccleſiæ; *dignus eſt enim operarius mercede ſua.* (a) Divinum colligitur ex Scriptura (b): *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia metamus?* & alibi ſæpe.

Quoad quotam vero præciſe decimam in lege nova ſunt juris tantum Eccleſiaſtici; Eccleſia enim hanc taxavit, prout in lege Moyſis taxavit Deus, nullumque extat præceptum in lege Evangelica de decima parte ſolvenda, ſed tantum de miniſtrandis neceſſariis congruæ ſuſtentationi miniſtrorum Eccleſiæ. *Deinde:* ſi decimæ quoad quotam eſſent juris naturalis vel divini, non poſſet harum obligatio tolli per privilegium ut conſuetudinem, quod eſt contra praxin receptam.

Reſ. 1. Qui decimas defraudant, peccant duplici peccato, ſcilicet contra religionem & juſtitiam, ideoque tenentur ad reſtitutionem; ſi enim ſpectatur ſolutio decimarum, ut eſt in cultum divinum, ſic eſt actus religionis, ſi ut debetur miniſtris Eccleſiæ propter eorum munia, eſt actus juſtitiæ: hinc Trident. (c) jubet eos excommunicari, nec abſolvi, donec reſtituant.

Reſ. 2. Satisfaciunt, qui ſolvunt decimas juxta conſuetudines receptas in ſuis locis.

Reſ. 3.

(a) *Luc.* 10. *v.* 7. (b) 1. *Cor.* 9. *v.* 11.
(c) *Seſſ.* 25. *de ref. cap.* 12.

Reſ. 3. Non ſatisfaciunt, qui priusquam ſolvant decimas, deducunt tributum, pretium operariorum, ſemen &c. *Ita in jure de decimis.*

Reſ. 4. Non ſatisfaciunt, qui aſſignant portiones deteriores; debent enim ſolvi decimæ, prout bona fide ſe offerunt. Item qui non ſolvunt, ubi & quando debent ſolvere, in quo ſtandum eſt receptæ conſuetudini.

Reſ. 5. Decimæ prædiales debent ſolvi ſtatim, ubi fructus ſunt ſeparati, & collecti in loco, ubi creverunt: ſi debens decimas ſit in mora, periculum earum ad ipſum pertinet. Fœtus ſervandus eſt usque ad ſtatum, quo uſibus ordinariis ſervire poteſt.

Reſ. 6. Non debent villici aut prædiorum domini fructus in horrea vehere, niſi prius decimatores moneant, ut hi per ſe vel ſuos aſſiſtant, ne fraus committatur, ut fieri ſolet; hoc ſi non faciant, & Parochus probare poſſit ſe aliquoties defraudatum, poteſt ab Epiſcopo petere, ut ſubditos ad hoc compellat; quia talis praxis eſt damnoſa Eccleſiæ, & occaſionem peccandi præbet. Facta ſeparatione decimarum debitor non tenetur fructus illos cuſtodire; quia jam ſunt ſub dominio decimatoris.

Reſ. 7. Decimæ debent ſolvi, etſi Parochus V. G. ſit dives, quia debentur non ob Parochi inopiam, ſed ob miniſterium & laborem in populi utilitatem, & operatio etiam diviti debetur merces operis præſtiti.

Reſ. 8. Decimæ debentur Parocho, etſi is ex ignorantia non moneat; hinc peſſime faciunt multi, qui ſi Parochum circumvenire poſſint, putant rem eſſe ſalvam, quia in ſimilibus debitis de jure liquidis dies interpellat pro homine: manent ergo hi defraudatores ſemper in conſcientia obligati ad reſarciendas decimas defraudatas in natura æquivalenti.

Reſ. 9. Ex uno eodemque prædio toties præſtandæ ſunt decimæ, quoties ob fertilitatem fundi etiam eodem anno novi fructus colliguntur, quia fundus in quantum eſt fructificans, eſt proxime obnoxius decimis; ergo ſi ſæpius fructificet, ſæpius debentur decimæ eodem anno.

(23) *D.* 3. Jus percipiendi decimas ſolis Clericis competere poteſt; eſt enim ſpirituale fundatum in debito, quo miniſtris Altaris debentur fructus ex ſuo miniſterio, & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur corporalia. Res vero, quæ nomine decimarum dantur, poſſunt in uſum quorumlibet cedere & ad laicos pervenire.

Reſ. Clericus habens jus ſpirituale decimarum poteſt ſuppoſitis ſupponendis illas decimas vendere, donare laico, ſicque laicus habet jus ad illas, non primarium fundatum in miniſterio ſpirituali, ſed ſecundarium fundatum in venditione, donatione &c. Et ita Summi Pontifices quandoque concedunt etiam in perpetuum decimas Viris nobilibus ob merita, vel ut Eccleſiam defendant; hoc autem non amplius poſſunt facere Epiſcopi ob prohibitionem.

D. 4. Decimæ de jure communi debentur Parocho aut Beneficiato Curato, qui populo Sacramenta vel alia ſpiritualia miniſtrat; quia hæc adminiſtratio eſt præcipua radix percipiendi decimas.

Reſ. 1. Emergente dubio vel lite de decimis, onus probandi non Parocho, ſed aliis jus decimandi ſibi arrogantibus incumbuit; Parochus enim communi jure contra quemlibet poſſeſſorem juris decimandi præſumptionem fundatam habet, ut aliter probare non teneatur ad ſe pertinere.

Reſ. 2. Licet non ſit conſultum propter diſcordias & animarum pericula inde oriri ſolita, ut Parochus petat decimas minores, præſertim ſi anteceſſores hoc non

non fecerint, ſi tamen Parochus prætenderet, tenebuntur Parochiani vel dare, vel docere, quod ex privilegio aut legitima coſuetudine ſint exempti.

Reſ. 3. Decimæ novalium, ut, dum terra, quæ ab immemoriali tempore inculta jacuit, nunc colitur, vel ex palude ſiccata fit ager, pertinent ad Parochum, intra cujus parochiam novalia conſiſtunt.

Reſ. 4. Decimæ prædiales magis rationabiliter debentur illi Parocho, intra cujus limites parochiales ſita ſunt prædia, cum ſint onus prædiis in diviſione parochiarum impoſitum; ſed jura dicunt, quod in his ſervetur conſuetudo, quæ in hac materia magis eſt attendenda, cumque confeſſarius non poſſit, nec teneatur ſcire cujusvis loci conſuetudines, in ſimili materia non reſolvat, ſed pœnitentem ad expertum in jure municipali mittat.

(24) *D.* 5. Ad decimas ſolvendas per ſe & directe obligantur omnes & ſoli baptizati, qui in ſpiritualibus ſubjecti Sacramenta e manibus Sacerdotis ſuſcipere debent; dantur enim Parocho ut ſtipendium laboris & curæ: indirecte obligantur omnes etiam non baptizati, qui titulo non ſpirituali poſſident intra limites alicujus parochiæ prædia, fundos vel alias res frugiferas, niſi ſpecialiter ſint exempti; quia facta diviſione parochiarum tranſeunt cum hoc onere ad quemcunque poſſeſſorem. Dixi: *niſi ſint exempti;* quia prædia beneficiatis in ſuſtentationem aſſignata ſunt libera, unde illud: *Clericus non decimat clericum;* attamen ſi iſta prædia jam fuerint obligata ad decimas & poſtea aſſignentur, per hoc non liberantur, ſicque unus Parochus vel beneficiatus tenebitur alteri dare decimas, quod magis tenet de bonis patrimonialibus.

Reſ. 1. Pauperes, qui tam gravi paupertate premuntur, ut ſolutis decimis non habeant neceſſaria ad ſe ſuosque alendos, ſatis probabiliter non obligantur, ſal-

ſaltem usquedum ad meliorem fortunam venerint; quia Eccleſia pia Mater non cenſetur voluiſſe obligare cum tanto rigore. Aliud eſt de iis, quibus adhuc reſtant media, vel qui ſua dilapidant, alias parum reciperet Parochus: qui tamen non debet eſſe nimis rigoroſus in hac exactione, ne pauperes & puſilli ſcandalizentur & debitam erga ſuum Paſtorem amittant confidentiam non ſine animarum periculo; hinc oportet nunc & tunc condeſcendere, niſi ex malitia velint ſe eximere.

Reſ. 2. Parochus poteſt ad tempus vitæ ſuæ aliquem eximere, ſi fiat ſine præjudicio Eccleſiæ, non vero in perpetuum; quia non poteſt præjudicare ſucceſſoribus.

Reſ. 3. Si plura prædia ſint, de quorum jure decimandi litigatur, poteſt fieri transactio; ſed ſi ſine authoritate Epiſcopi fiat, rata quidem erit inter paciſcentes, ſed ſucceſſores non obligat.

Reſ. 4. Per conſuetudinem & præſcriptionem introduci poteſt immunitas a ſolvendis decimis. *Ratio deſumitur* tum ex Cap. *Commiſſum de decim.* & aliis pluribus: tum ex eo, quia paſſim videmus decimas perſonales, nec non minores eſſe abrogatas, cujus alia non datur cauſa, niſi conſuetudo, modo interim Parocho per hoc non tollatur congrua ſuſtentatio; quoad hanc enim ſunt juris naturæ & divini, adeoque non valet conſuetudo aut præſcriptio; ſic etiam diſpenſare poteſt Papa, modo Parocho aliunde ſit proviſum.

Reſ. 5. Quamvis in aliquo pago proximo parochiani ab immemoriali tempore nunquam ſolverint decimas minores, per hoc tamen parochiani alterius parochiæ ſe eximere non poſſunt, ſi ibidem hæc conſuetudo non viguerit, aut probari non poſſit; quia conſuetudo contra jus, utpote odioſa, & a jure communi exorbitans, reſtringenda potius eſt, quam extendenda.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

(25) *Quid & quotuplex ſit ſuperſtitio?*

D. 1. Superſtitio eſt *Cultus vitioſus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito.* Unde duplex eſt ſuperſtitio, una *ratione rei cultæ*, altera *ratione modi*, quo Deus colitur? *Prima* continet ſub ſe plures ſpecies, ſi enim colatur creatura cultu divino, dicitur *Idololatria:* ſi colatur creatura, ut aliquod occultum revelet, dicitur *Divinatio:* ſi ut dirigat noſtras operationes, dicitur *Vana Obſervantia:* ſi ut operetur mira, dicitur *Magia*, ad quam reducitur *Maleficium;* & hæc ſunt peccata ex toto genere mortalia propter gravem irreverentiam Deo illatam. *Superſtitio* ratione modi indebiti, alia fit *per cultum falſum*, qui etiam ex toto genere mortalis eſt; quia gravem Deo injuriam infert, cujus cultus ſola veritate niti debet: alia *per ſuperfluum*: alia *per indecentem*, qui eſt grave vel leve peccatum pro diverſitate materiæ.

Reſ. 1. *Superſtitio falſi cultus* committitur 1. ſiquis hoc tempore Deum colat ceremoniis antiquæ legis V. G. immolatione agni, quaſi Chriſtus nondum eſſet natus. 2. Si non Sacerdos legat Miſſam, vel abſolvat. 3. Qui colendas exponit falſas reliquias, prædicat falſa miracula aut beneficiis falſis vult promovere cultum Dei. 4. Qui referendo falſas ſententias aut hiſtorias quaſi contentas in S. Scriptura vult populum movere ad pœnitentiam &c. *Denique* qui propria authoritate inſtituit aliqua obſervanda, ac ſi ab Eccleſia ad Dei cultum eſſent ordinata.

Reſ. 2. *Superſtitionem ſuperflui cultus* committit 1. qui ante ſolis ortum orat adhibendo certum numerum cereorum cum certo colore ac ſitu, V. G. Verſus ſolem; qui offert gallinam albam potius, quam nigram; qui libentius audit Miſſam a Sacerdote, cui

cui nomen V. G. Joannes, vel ſtatura Chriſti, quam ab alio; ſunt enim ceremoniæ ac circumſtantiæ omnino inanes nil conferentes ad devotionem. 2. Qui diebus ſabbatinis in honorem B. V. non volunt nere, cum tamen ab aliis operibus ſervilibus non abſtineant: qui in Miſſa vel officio canonico aliquid addunt non præſcriptum in rubricis &c.; quia hæc & ſimilia ſunt præter aut contra conſuetudinem & ritum Eccleſiæ, adeoque ſuperflua & inania. *Nec refert*, quod fiant ex devotione, nam hæc ipſa corrigi debet & a vanis his ritibus purgari, hæc tamen ſuperſtitio cultus ſuperflui ſecluſo contemptu & ſcandalo plerumque eſt peccatum veniale tantum; non enim importat gravem irreverentiam, & bona intentio ac ſimplicitas multum minuit de malitia.

Reſ. 3. Ad cultum indecentem pertinet, ſi muſica, organa & alia inſtrumenta in officio divino ſapiant laſciva, ſi toni aut cantus ſint profani. *Primum* ſi notabiliter fiat, a mortali excuſari non poteſt.

(26) *D.* 2. Idololatria proprie eſt *ſuperſtitio, quo honor ſoli Deo debitus exhibetur creaturæ tanquam Deo.* Eſt triplex: *perfecta*, *imperfecta* & *ſimulata. Perfecta* eſt, quando quis falſo exiſtimans creaturam eſſe Deum vel dignam honore Dei, ei cultum divinum exhibet: opponitur religioni ſimul & fidei: *Imperfecta* eſt, quando quis ſciens creaturæ nullam ineſſe divinitatem, ei tamen ex perverſo affectu V. G. ex odio in verum Deum, vel cupiditate aliquid obtinendi a dæmone cultum divinum exhibet, prout magi & ſagæ exhibere ſolent diabolo, eſt peccatum graviſſimum. *Simulata* ſive *mere externa* eſt, quando quis ſine exiſtimatione divinitatis & ſine affectu interno colendi ob metum V. G. exterius tantum creaturæ exhibet cultum divinum; & ipſa etiam eſt peccatum grave, *prout dictum de hæreſi*, eſtque mendacium in cultu religio-

nis

nis Deo valde injurioſum & hominibus ſcandaloſum; attamen licet idololatria ſimulata ſit ſubjecta excommunicationi in foro externo, in quo præſumitur adeſſe errorem contra fidem, in foro tamen interno illi ſubjecta non eſt.

QUÆSTIO XI.

(27) *Quid & quotuplex ſit divinatio?*

D. 1. Divinatio eſt *Superſtitio, qua quis opem dæmonis tacite vel expreſſe invocat, ut noſcat res contingentes & libere futuras vel aliter occultas.* Igitur malitia divinationis conſiſtit in hoc, quod homo in aſſequenda rerum cognitione, cujus indigens vel appetens eſt, non ad Deum ſed dæmonem confugiat, ex quo dæmon in omnibus affectans divinitatem reportat honorem, Deus vero contumeliam & contemptum.

D. 2. Divinatio alia eſt, quæ fit per invocationem & *pactum expreſſum* cum dæmone, ut doceat occulta, dum V. G. quis verbis dæmonem invocat, vel ſaltem ſigno aliquo utitur, per quod putat dæmonem cooperari. Alia fit per invocationem & *pactum tacitum*, dum quis notitiam rei occultæ procurat aut procurare nititur per medium ex ſe inutile, hoc eſt: nullam habens naturalem vim indicandi rem deſideratam; tunc enim talis cognitio non poteſt exſpectari niſi a dæmone, cum nec Deus, nec Angelus bonus ſe his immiſceat; dæmon autem ad homines ſeducendos ſe his immiſcere ſoleat; ergo implicite dæmonem invocat. *Nec juvat;* quod quis proteſtetur ſe nullum cum dæmone commercium intendere aut velle; nam ſimilis proteſtatio, cum ſit contraria facto, eſt inefficax, & ſe habet, ac ſi non adeſſet.

D. 3. Novem ſolent aſſignari ſpecies utriusque divinationis pro diverſitate ſignorum, quibus dæmon

hos

hos ſuperſtitioſos ſolet docere; ſed cum non diſtinguantur ſpecie morali, & in ordine ad confeſſionem, non eſt, cur iis immoremur.

Reſ. 1. Divinatio, quæ fit cum expreſſa invocatione dæmonis, ſemper eſt peccatum mortale, nec datur parvitas materiæ; quia includit formalem Dei contemptum & commercium cum hoſte Dei infenſiſſimo: neque ſaltem apud fideles poteſt eſſe veniale ob ignorantiam; quia nimis evidens eſt talis actus malitia.

Reſ. 2. Divinatio per invocationem tacitam pariter eſt mortale in illo, qui ſcit aut ſcire debet media illa eſſe vana & inutilia, nec hic admittitur parvitas materiæ; cum omne pactum cum dæmone etiam implicitum redundet in gravem Dei injuriam: poteſt tamen fieri veniale tum ob ignorantiam inculpabilem, qualis datur in ſimplicibus, tum quia non adhibetur certa fides.

Reſ. 3. Qui ſe in confeſſione de divinatione accuſat, debet addere, an cum expreſſa vel tacita invocatione dæmonis; non quod diſtinguantur ſpecie (quia tacitum & expreſſum in moralibus non faciunt diſtinctionem ſpecificam, ut patet in profeſſione tacita & expreſſa) ſed quia prima eſt notabiliter enormior, & graviſſima ſcelera ei ſolent eſſe conjuncta, ut abjuratio Baptismi, apoſtaſia a Chriſto, & Sanctis, actualis adoratio dæmonis &c. Et alicubi reſervatur expreſſa, non tacita.

(28) Q. 1. *Quid de aſtrologia, quæ dicitur judiciaria?*

℞. Hanc ſpecialiter tanquam malam prohibuit Sixtus V. (a) Eſtque nihil aliud, ut Pontifex ibidem declarat, quam judicium, quo homines de futuris contingentibus, de caſibus fortuitis, aut actionibus a voluntate humana pendentibus aliquid eventurum affirmare

(a) *In ſua Bulla: Cœli & terræ Creator.*

mare audent ex aſtris, etiamſi dicant, ſe id non certo affirmare. *Ratio prohibitionis eſt:* quia hic modus eſt valde pernicioſus, expoſitus proximo periculo ſuperſtitionis ob naturalem curioſitatem, tam ex parte divinatorum, quam ex parte aliorum credentium. Attamen

Obſ. Nullo modo mala aut prohibita eſt aſtrologia naturalis, quæ vel prædicit effectus neceſſario eventuros ex tali conjunctione planetarum V. G. eclypſes, vel tantum dicit aſtra in his vel illis circumſtantiis inclinare ad calorem, pluviam &c. Vanum eſt prædicere, ſi puer ſit conceptus vel natus in illis circumſtantiis, quod tunc videatur futurus inclinatus ad hoc vel illud vitium, ad hanc virtutem. Nec licet ſic abſolute judicare etiam probabiliter tantum; quia nemo ſcire poteſt punctum conceptionis, conjunctionem omnium aſtrorum, utrum non adſit aliud impedimentum &c. ergo talia abſolute prædicere eſt ſuperſtitio.

Reſ. Qui totam vitam ſuam ordinaret conformiter notitiæ ex aſtris habitæ, peccaret mortaliter; quia apparet, quod majorem fidem aſtris adhibeat, quam debeat.

(29) *Quid de notitia ex ſomniis?*

Somnia ſunt triplicia: 1. pleraque proveniunt naturaliter ex corporis conſtitutione, temperamento, commotione humorum, vel ex cogitationibus, aut occupationibus tempore vigiliæ habitis. 2. aliqua immittuntur a Deo, ut patet ex ſcriptura. 3. aliqua a dæmone phantaſiam hominis perturbante.

℞. 1. Superſtitioſum eſt ex ſomniis etiam naturalibus conjecturare futura contingentia libera, vel effectus mere fortuitos, non autem bonam vel malam affectionem animi, modo maneatur intra limites conjecturæ. *Ratio eſt:* quia ſomnia naturalia ſolent oriri a bona vel prava affectione naturæ & temperamenti: ergo cum hac habent connexionem, non ſic cum futu-

ris mere contingentibus; ergo unum prudenter colligitur, non aliud.

℟. 2. Qui omnibus perpenſis prudenter judicat ſomnium fuiſſe immiſſum a Deo, poteſt, imo tenetur illius ductum ſequi; ſi autem prudenter judicet fuiſſe a dæmone patre mendaciorum, nulla ei eſt habenda fides. Cæterum ſomnium eſſe a Deo colligi poteſt, ſi homo per illud impellatur ad bonum, ad timorem vel amorem Dei, ſi maneat quietus, conſolatus &c. Econtra a diabolo immiſſum cenſeri debet, ſi homo per illud impellatur ad malum, ad aliquid indiſcretum, ſi ſentiat ſe inde eſſe turbatum, perplexum, tardiorem ad ſervitium Dei &c. Interim quia dæmon ſæpe ſolet ſe fingere Angelum lucis, optimum eſt rem exponere Confeſſario, vel alii Viro prudenti.

(30) Q. 3. *de ſortilegio, vel uſu ſortium?*

℟. Aliqua ſpecies divinationis ſunt ſortes divinatoriæ, quibus exquiritur notitia effectus futuri contingentis, aut rei occultæ; ſuntque per ſe illicitæ, & ſuperſtitioſæ: quia neque ex ſe, neque Dei, neque Eccleſiæ inſtituto ſerviunt rei cognoſcendæ; ergo ſunt medium improportionatum; ergo intercurrit tacita dæmonis invocatio. Dixi: *per ſe*; hoc eſt: ſecluſo ſpeciali inſtinctu Dei; ſic enim per ſortes electus eſt Mathias Apoſtolus.

Reſ. 1. In ſorte divinatoria dum judicio ſortium quæritur, quis debeat adire militiam, nihil per ſe eſt ſuperſtitionis; hinc licitum eſt illo uti, ſi aliqua ſit neceſſitas vel utilitas V. G. in defenſione Patriæ. Item tempore peſtis ſecundum S. Auguſtinum, ubi diſceptatur, qui miniſtri vel medici manere, aut fugere debeant. Item quando ſunt plures æque nocentes, & Princeps vult aliquibus parcere. Item in electionibus ad dignitates temporales, dummodo ſinguli ſortientes ſint ſaltem digni. *V.* Q. 2. *n.* 8. de Reſtitut. in Com.

non

non vero ad Eccleſiaſticas, in quibus prohibentur ſortes. Cap. *Eccleſia de ſortilegiis*.

Reſ. 2. Illicitum eſt judicium ferri candentis & aquæ ferventis, tum quia pertinet ad ſortem divinatoriam, in quantum ad aliquod occultum cognoſcendum ordinatur, ad quod non valet, tum quia eſt quædam tentatio Dei, a quo non debent peti miracula ſine neceſſitate; hinc etiam damnandum eſt, quod olim fieri ſolebat ad probandum, utrum aliqua mulier eſſet ſaga; ligata enim projiciebatur in aquam, ſi in profundum mergebatur, habebatur innocens, ſi ſupernatabat, habebatur ſuſpecta, & ſubjiciebatur quæſtioni.

(31) Q. 4. *Quid de divinatione ex phyſiognomia?*

℞. Ex corporis diſpoſitione, vultu, ex diſpoſitione lineamentorum in manibus &c. probabiliter conjecturare de robore corporis, valetudine, naturali inclinatione ad verecundiam, melancholiam &c. licitum eſt; adeſt enim aliqua naturalis connexio; econtra ex illis proſpera vel adverſa, divitias, paupertatem, promotionem & effectus fortuitos, aut a libera hominis electione pendentes prædicere, vel de præſenti, quod homo ſit adulter, fur &c., ſicut facere ſolent homines, quos *Cingaros* vocamus, eſt ſuperſtitio, & peccatum ex genere ſuo mortale; nulla enim prorſus eſt connexio. Univerſim hic attendendum eſt, an ea, ex quibus aliquid ſive præſens, ſive futurum dijudicatur, habeat cum hoc probabilem connexionem: ſi nullam, eſt divinatio illicita: ſi habeat, vel habere probabilius judicetur, non eſt peccatum.

Reſ. Non eſt ſuperſtitioſum ex garritu V. G. avium probabiliter prædicere pluvias, ſerenitatem, tempeſtates, & ſimilia; quia mutatio aeris afficit earum corpuſcula, cerebrum, aut ſpiritus animales, eamque ſtatim percipit phantaſia, quam volatu aut garritu ſignificant; homines vero non tam facile iſta præſen-

 tiunt,

tiunt, vel quia phantaſia eſt aliis intenta, vel quia non habent occultam hanc ſympathiam, quam habere animalia experientia docet.

QUÆSTIO XII.

(32) *Quid, & quale peccatum ſit vana obſervantia?*

D. 1. Vana obſervantia eſt *Superſtitio, qua per media inutilia procuratur aliquis effectus*: differt a divinatione, quod hæc ordinetur primario ad ſpeculativam alicujus occulti cognitionem, illa vero ad practicam aliquid agendo, vel omittendo.

D. 2. Tres ſunt præcipuæ ſpecies vanæ obſervantiæ ſcilicet: *Ars notoria, obſervatio ſanitatum, & obſervatio eventuum. Ars notoria*, eſt, per quam certis verbis, aliisve ſignis variæ ſcientiæ absque labore acquiruntur adhibitis interdum jejuniis, & orationibus. *Obſervatio ſanitatum* eſt, quando adhibentur quædam verba vel alia ſigna, ceremoniæ, aut media inania ad morbos curandos, ad ſe reddendum immunem contra ictus vel ſimiles effectus; quo ſpectat jejunare in die paſchatis ad repellendam febrim. *Obſervatio eventuum* eſt, dum quis ex obſervatione rerum impertinentium mala vel bona ſibi vel aliis eventura conjicit, ideoque aliquid facit vel omittit V. G. mane egrediens pedem offendit, ideo domum revertitur, putans iter ſuum fore infauſtum: non vult aſſidere menſæ, ubi recumbunt tredecim, putans aliquem ex iis brevi moriturum, *& ſic de ſimilibus.*

D. 3. De qualitate & quantitate peccati, quod per vanam obſervantiam committitur, loquendum eſt, ſicut ſupra de divinatione.

Reſ. 1. Superſtitioſi ſunt, qui ſive cum mediis naturalibus, ſive ſine illis adhibent quædam verba, cha-

racte-

racteres, figuras, ceremonias vanas, & impertinentes ad curandos morbos ſive hominum ſive brutorum, ad ſiſtendum ſanguinem, ad impedienda vulnera.

Reſ. 2. Superſtitioſi ſunt, qui herbas certa die, certa hora, collectas dicunt valere ad hoc, vel illud curandum.

Reſ. 3. Superſtitioſi ſunt, qui certo & infallibiliter ſibi promittunt felicem exitum, bonam mortem &c. ſi talem Sanctum colant, ſi certam orationem recitent; Deus enim tali devotioni non annexuit infalliter talem effectum: ſecus ſi bona cum fiducia divini auxilii Deum aut Sanctos invocent; hinc quamvis de ſe pium ſit orare orationes notas S. Brigittæ, attamen ſi fiant cum cum certa credulitate, quod orantes non ſint damnandi (prout in quibusdam libellis falſo refertur revelatum) eſt ſuperſtitioſum, & peccatum grave.

Reſ. 4. Superſtitioſi ſunt, qui utuntur imaginibus aſtronomicis, ut ſiquis ſub ſigno leonis ſculpat in auro figuram leonis, quam dicunt valere contra febres, contra peſtem &c. non enim figura leonis efficit aurum magis aptum ad influxum ſigni zodiaci, quam figura bovis & agni.

Reſ. 5. Contra periculum lapſus in equitatione ſecum portare thalerum S. Georgii imagine inſignitum, ſi fiat in honorem illius Sancti cum ſpe per ejus merita impetrandi liberationem, pium eſt: ſi cum infallibili exſpectatione, ſuperſtitioſum eſt, ſicut & ſi in tali metallo, tali numismate figatur fiducia.

Reſ. 6. Appendere collo, vel aliter portare reliquias, verba ſacra, Evangelium S. Joannis &c. cum firma credulitate, quod hæc geſtans non lædatur, non moriatur ſine confeſſione, præſervetur a tali morbo &c. ſuperſtitioſum eſt; quia talis effectus, nec ex natura rei, nec ex ordinatione divina eſt connexus infallibiliter: illa vero geſtare cum reverentia & fiducia in Deum,

& Sanctos, pium & ſalubre eſt, modo non accedat vana aliqua circumſtantia V. G. quod vas Reliquiarum debeat eſſe talis formæ, verba debeant eſſe ſcripta in determinata charta &c.

Reſ. 7. Si pro aliquo morbo pellendo ter recites (a): *diripuiſti, Domine, vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, non es ſuperſtitioſus, ſi trinam repetitionem non uſurpes, ut in ſe, ſed ex devotione in Sanctiſſimam Trinitatem. Si ad canes latrantes compeſcendos recitas illum verſum (b): *in camo & fræno maxillas eorum conſtringe*, non es ſuperſtitioſus, ſi circumſtantias vanas, & credulitatem infallibilem effectus excludas. *Idem eſt de cæteris aliis.*

Reſ. 8. Superſtitioſa eſt chartula illa, quam quidam pro viſcerum dolore geſtant, in qua ſcriptum eſt: *Pater & Caſpar, Filius & Melchior, Spiritus Sanctus & Balthaſar;* quia talis mixtio eſt indecens & vana.

Reſ. 9. Superſtitioſum eſt ex aura, quæ eſt certo die V. G. S. Urbani, Converſionis S. Pauli, prædicere, qualis ſit futura per annum; non enim eſt connexio.

Reſ. 10. Superſtitioſus eſt pulvis ſympatethicus, quo cum ſanguine vulnerati miſto putant ſanari poſſe recens vulnus hominis ad trecentos paſſus diſtantis; videtur enim incredibile, quod qualitates talis pulveris poſſint tam longe per muros, & media corpora interjecta diffundi.

Reſ. 11. Superſtitioſa eſt virga, quam vocant divinatoriam, ad explorandos theſauros & metalla; quia hæc virga non eſt cauſa naturalis talia inveniendi; cauſa enim naturalis in iisdem circumſtantiis ſemper agit eodem modo, quod non competit huic virgæ; debet enim applicari a certis perſonis, cum certa intentione, ſub recitatione certorum verborum, & aliis circum-

(a) *Pſ.* 115. *v.* 17. (b) *Pſ.* 31. *v.* 9.

cumſtantiis, quæ modum agendi naturalem immutare non poſſunt. *Deinde* tales virgæ ſolent flecti, ubi non ſunt metalla &c. Hoc certum eſt, uſum illius virgæ eſſe ſuperſtitioſum, ſi adhibeatur, prout ſolet fieri a militibus ad detegendos quosvis theſauros, aut res latentes etiam veſtes, aliaque mobilia, vel ad limites agrorum detegendos & ſimilia; nulla enim eſſe poteſt naturalis connexio.

Reſ. 12. Superſtitioſa eſt transplantatio ſanguinis, dum ſanguis humanus e membris tabeſcentibus extractus infodiendo transplantatur in arborem eo fine, ut membra tabeſcentia recuperent priſtinum vigorem; quid enim virtutis corpori humano conferet ſanguis in arborem transplantatus? vel quid arbor diſtans corpori &c.

Reſ. 13. In Feſto S. Stephani equis ſanguinem mittere, jumenta circa templum ducere ad impetrandam ſanitatem, idem eſt de ſimilibus, petenti conſilium diſſuadendum eſt; quia ſaltem eſt periculum ſuperſtitionis, quid enim juvant hæ circumſtantiæ? Si vero conſilium non petatur, quandoque melius eſt ex devotione obſervantes in ſua ſimplicitate relinquere; difficulter enim abducentur ab eo, quod a majoribus bona fide acceperunt, ideoque poſt inſtructionem gravius peccabunt.

Reſ. 14. Vanis obſervationibus non ſunt annumerandæ variæ ceremoniæ, quæ contra morſum canis rabidi adhibentur apud S. Hubertum; quia dicuntur eſſe examinatæ, & antiquo uſu, ſciente, & non reprobante Eccleſia, ſunt confirmatæ; unde credibile eſt Viris Sanctis a Deo fuiſſe ſuggeſtas.

(33) *Reſ.* 15. Ad diſcernendas vanas obſervantias, aliasque ſuperſtitiones hæc ſervit regula: ſuperſtitioſum eſt exſpectare quemcunque effectum a quacunque re, quæ neque naturaliter eum poteſt producere, ne-

que ex Dei, aut Eccleſiæ inſtituto ad illum eſt ordinata; tunc enim exſpectari nequit niſi a dæmone: aut ſi effectus exſpectetur infallibiliter, ſi hæc, & non alia verba adhibeantur &c.

Reſ. 16. Si omnibus prudenter perpenſis longe probabilius ſit, medium aliquod ex ſua natura habere virtutem ſufficientem ad effectum naturaliter poſſibilem, ex rationabili cauſa licite adhibetur, modo non accedant vanæ circumſtantiæ; quia nemo prudens negat dari mirabiles rerum naturalium virtutes V. G. lapidum, herbarum, quæ nos latent, & quarum rationem reddere non poſſumus, ut videmus in magnete in ordine ad attrahendum ferrum, & multis aliis. Debet tamen tunc adhibens proteſtari ſe nolle effectum conſequi, ſi forte diabolus ad ejus productionem modo ſuperſtitioſo ſit concurſurus. Si vero conſtet, effectum eſſe ſupra vires cauſarum naturalium, & tantum dubitetur, an ſit a Deo vel dæmone, habendus eſt pro ſu erſtitioſo, etſi verba ſacra adhibeantur; quia velle eo miracula ſine gravi cauſa eſt eum tentare, nec hæc facere ſolet, aut facere judicari debet; ergo tunc experiri, an effectus ſit ſecuturus, eſt implicite invocare dæmonem, & mortale, quamvis joci cauſa fiat.

Reſ. Denique 17. ſi ſimplices ſe de ſuperſtitione accuſent, examinandi ſunt: an a viris doctis moniti fuerint? an nunquam inciderit hoc eſſe malum? an, & qualem fidem adhibuerint? ſic enim intelliget Confeſſarius, an revera, & qualiter peccaverint.

QUÆ.

QUÆSTIO XIII.

(34) *Quid, & quale peccatum ſit magia, & quomodo poſſit tolli?*

D. 1. Magia eſt *ars operandi mira:* alia *naturalis,* ſi per cauſas naturales absque ope dæmonis quis mira operetur: hæc de ſe mala non eſt, attamen periculoſa; quia facile ſe immiſcet dæmon aliquid addendo. Alia *ſuperſtitioſa*, eſtque facultas operandi mira ope dæmonis per ſigna ab illo inſtituta; ſi hoc fiat ad inferendum alteri damnum, dicitur *maleficium;* & hoc ſi ordinetur ad amorem carnalem, vel odium excitandum, dæmone humores vel phantaſiam commovente, dicitur *amatorium,* vel *philtrum*, ſi vero ad inferendum damnum aliud, dicitur *veneficium. dr.* autem *mira,* non miraculoſa; quia hæc ſuperant totam virtutem cauſarum naturalium, & dæmonum.

D. 2. Magia hæc eſt peccatum ex toto genere mortale; quia Deo ſumme injurioſa, ſolentque adjungi plura alia, de quibus Confeſſarius magos vel ſagas interrogare debet, ut hæreſis; ſæpe enim credunt diabolum non eſſe damnatum, & alia contra fidem, dæmonem loco Dei colunt, eique ſacrificant, plerumque CHRISTUM & fidem abnegant, baptiſmo renunciant &c. Deum, Chriſtum, Beatiſſimam Virginem, & Sanctos blasphemant; horum imagines inhonorant, rebus ſacris imo & Euchariſtia abutuntur, nefandas cum ipſo etiam dæmone luxurias committunt, varia damna proximo inferunt &c.

D. 3. Ex triplici capite poteſt cognoſci aliquod opus eſſe magicum: *ex cauſis*, *ex effectibus*, *& modo operandi*, ut ſi cauſæ neque ex natura ſua, neque ex Dei, aut Eccleſiæ ordinatione connexionem habent cum effectu, nec ulla eſt ratio exſpectandi a Deo miraculum in iſtis circumſtantiis, V. G. ſi ad ſanationem

vulnerum, aut morborum adbibeantur characteres, ſigilla, cruces, ſi baculus terræ infigatur, ut ceſſet febris, ſi hic aliqua figura pingatur, & alibi aliquis dolorem ſentiat, ſi divitias in mari abditas, vel occultos theſauros offerant, quamvis raro id permittat Deus, ne detur maximum incentivum ad malum, unde videmus magos fere omnes pauperes, abjectos, & viles.

Reſ. Dum per philtrum excitatur vehementiſſimus amor venereus erga certam perſonam, aut econtra odium, non tollitur libertas, ideoque nec peccatum mortale, ſi homo conſentiat, niſi fortaſſis ita turbetur, ut neſciat, quid agat; attamen ratione paſſionis vehementis facilius veniam meretur.

(35) *D.* 4. Remedia curandi maleficia alia ſunt *naturalia* per medicinas, ſed hæc, dum morbi cauſantur arte ſagarum, raro proſunt, dæmone eorum vim facile elidente. Alia *Eccleſiaſtica, & ſupernaturalia*, ut 1. Exorciſmi Eccleſiæ; data enim eſt a CHRISTO exorciſtis poteſtas expellendi dæmones, quæ tamen non eſt ſemper cum effectu: quia non adſunt conditiones a CHRISTO requiſitæ. 2. Magna fides in protectione divina juxta illud (a): *qui habitat in adjutorio Altiſſimi.* 3. Devota & iterata ſuſceptio Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, uſus Sacramentalium, Agnorum Dei, Reliquiæ Sanctorum, & inter alia Sacrificium Miſſæ. Alia dicuntur *remedia moralia*, quæ fiunt removendo magica ſigna, ad quorum præſentiam dæmon damna infert, volens imitari CHRISTUM, qui ad ſigna ſenſibilia Sacramentorum cauſat gratiam. Pro his

D. 5. Nunquam licet efficere, ut maleficium novo maleficio tollatur, licet maleficus ad hoc ſe offerat; quia nunquam poteſt peti directe, quod eſt intrinſece malum.

D. 6.

(a) *Pſalm.* 90. *v.* 1.

D. 6. Licitum eſt maleficium tollere auferendo ſigna magica; quia licitum eſt deſtruere opera diaboli. Pariter licitum eſt ponere ſigna contraria poſitiva, quibus diabolus cogatur abſtinere a maleficio cauſando, vel illato continuando, modo ſignum illud de ſe ſit licitum vel indifferens. V. G. Solet dæmon paciſci cum ſaga: inficiam, quem tu tetigeris, niſi ille mox ſe ſignet, aqua lavet; te repercutiat, poſſum licite me lavare, repercutere; quia hoc non fit ex intentione aliquid efficiendi ope dæmonis, ſed præciſe ex intentione diſſolvendi pactum diabolicum; hinc ſi vetula te tangat, potes licite quaſi repercutere, cogitando, quod licet non ſit, forte tamen poſſit eſſe ſaga.

Reſ. 1. Titius arte magica derepente claudicans jubetur, ut ad recuperandum greſſum ſe lavet in aqua naturali mixta prius modica aqua benedicta, poteſt hoc facere; quia talis ablutio eſt res de ſe indifferens, nec fit eo fine, ut diabolus aliquid de novo operetur, vel ſanitatem conferat, ſed tantum, ut a continuatione maleficii ceſſet, quo facto natura reſtituetur priſtino ſtatui. *Idem eſt de multis aliis.*

Reſ. 2. Judex reum torquendum, ne per maleficium fiat inſenſibilis, ſicque non fateatur, licite curat radi, lavari &c. Ut ſic maleficium, quod forte ſub hac conditione adeſt, tollatur.

Reſ. 3. Cajus miles advertit adverſarium eſſe invulnerabilem, & magice induratum, hinc gladium prius aſpergit pulvere, infigit terræ &c. Sicque hoſtem occidit, quæritur, an ſuperſtitionem commiſerit? ℞. Si tantum cogitaverit, tale fortaſſis fuiſſe pactum conditionatum cum dæmone, ut ſit manſurus invulnerabilis, niſi quis pulvere aſperſerit gladium &c. Absque ſuperſtitione fieri potuit.

Reſ. 4. Nunquam licet petere, ut febris V. G. transferatur in canem, vel quid ſimile; quia hoc non fit ſine novo maleficio.

Reſ. 5. Si dubitetur, an maleficium poſſit tolli ſine novo maleficio, examinari debet magus, vel ſaga, qua ratione ſolvere velit: ſi recuſet explicare, præſumitur de novo maleficio; ſi explicet, videndum eſt, an licita, vel illicita attingat, facilius autem præſumitur de his, qui maleficium poſuerunt, quod ſciant debitum modum auferendi, non ſic de aliis, qui non poſuerunt. Unde hi examinandi ſunt, an, & unde ſciant, quo loco & modo poſitum ſit; ſi ignorent, vel dicere nolint, non licet eorum operam petere, eſt enim tacite petere, ut novo maleficio id a dæmone diſcant, & ſolvant; ſi vero jam ſciant, licet ab ipſo dæmone, & media licita ſolvendi proponant, eorum ope uti licet.

Reſ. 6. Quando conſtat maleficum poſſe maleficium ſolvere absque novo maleficio, licet credatur non ſoluturus modo licito, licitum eſt petere; imo jubere, ut ſolvat, prout de ſcandalo (a), & alibi dicitur. Cavendum tamen, ne petens cooperetur cum malefico in novo maleficio, recipiendo V. G. medicinam.

Reſ. 7. Non licet petere a dæmone, ut deſiſtat vexare; quia talis petitio involvit ſocietatem cum dæmone. Tantum eſt licitum imperando dicere: *ceſſa, maligne ſpiritus &c.*

Reſ. 8. Magi abſolvendi non ſunt, niſi prius pactum cum dæmone reſciderint, & inſtrumenta magica extradiderint igne comburenda: ſi alicubi poſuerint aliqua ſigna ad nocendum aliis, ſtatim auferant: ſimiliter ſcriptum chyrographum, ſi quod a dæmone habeant, Confeſſario tradant comburendum. Non eſt tamen neceſſe, ut chyrographum maleficum reſtituatur a dæmone; quia per veram pœnitentiam ſatis recedit a pa-

(a) *Vid. ſup. Tract.* 1. *Diſſ.* 2. *Quæſt. XI.*

a pacto; deinde videndum, quæ ſit obligatio reſtitutionis: an propter hæreſin caſus ſit reſervatus, &c.

QUÆSTIO XIV.

(36) *Quid, & quale Peccatum ſit tentatio Dei?*

D. 1. Tentatio Dei (prout hic ſumitur) eſt *dictum, vel factum, quo quis absque juſta cauſa experimentum capit, an Deus habeat aliquam perfectionem, vel voluntatem exercendi illam:* eſtque duplex, alia *formalis & expreſſa*, dum quis directe aliquid dicit, vel facit ad ſumendam de divina perfectione experientiam, V. G. ſe præcipitat in puteum, ut experiatur, an ab interitu per Dei miſericordiam ſit præſervandus. Alia *implicita ſive interpretativa*, dum ſine hac directa intentione aliquid facit, quod non videtur ad aliud referri, quam ad ſumendam de divina perfectione experientiam V. G. vult per integram quadrageſimam ad exemplum Chriſti abſtinere ab omni cibo, in morbo periculoſo reſpuit omnem medicinam ſperans a ſolo Deo ſanitatem, concionator absque omni ſtudio & præparatione (ubi tempus ſtudii habuit ſufficiens) aſcendit cathedram concionem habiturus, petens extraordinariam Spiritus Sancti aſſiſtentiam &c. Additur: *absque juſta cauſa;* ſi enim hæc adſit, ut ſi requirat honor Dei, propria aut proximi ſalus, vel adſit ſpecialis inſtinctus divinus, non eſt tentatio Dei.

D. 2. Tentatio Dei tam tacita, quam expreſſa eſt peccatum mortale; quia continet vel gravem Dei contemptum, vel ſaltem magnam contra Deum irreverentiam, eſtque contra Religionem velle de Dei perfectionibus experimentum ſumere modis indebitis, hoc eſt: relictis mediis a Deo inſtitutis. Tacita tamen ſæpe eſt veniale tantum ob imperfectionem actus,

ſim-

ſimplicitatem; vel ignorantiam: imo probabilius datur parvitas materiæ, ut ſiquis in levi morbo reſpuat medicinam confidens a Deo ſanitatem conſequi generali providentia, nullo petito miraculo.

Reſ. 1. Si petas, ut Deus manifeſtet tibi voluntatem ſuam absque miraculo, ſi fiat humiliter, & adſit cauſa petendi, nullum eſt peccatum; alias eſt irreverentia, non tentatio.

Reſ. 2. Siquis renuat medicinam, non quia vane ſperat a Deo ſanitatem; ſed quia vult imitari Chriſtum patientem, aut carnem domare, non eſt tentatio Dei, nec peccatum, modo non adſit probabile mortis periculum.

Reſ. 3. Deum tentat, qui ſine neceſſitate vel juſta utilitate (quales eſſe poſſunt, ſi periclitetur honor Dei, veritas fidei, ſalus propria aut proximi, vel quid ſimile) ſe offert, vel exponit periculo martyrii; quia temere exſpectat extraordinarium Dei auxilium in perferendis tormentis: adeſt enim grave ſcandalum cooperando peccato tyranni.

Reſ. 4. Qui potens fuga tueri vitam ſe multis invaſoribus opponit, ſperans a Deo ſpeciale auxilium, Deum tentat; quia vult eum cooperatorem ſuæ temeritatis, quod repugnat reverentiæ Deo debitæ.

Reſ. 5. Deum tentat, qui ſine ſpeciali Dei inſtinctu ſe offert ad faciendum miraculum in probationem fidei, vel in hunc finem committit ſe igni, aut aquæ ſperans ſe a Deo miraculoſe conſervandum. Idem eſt: ſi aliquis velit ſuam innocentiam probare per attactum V. G. ferri candentis; non enim tenetur Deus etiam innocentem conſervare illæſum. *Nec obeſt*, quod legatur ſimilia miraculis confirmaſſe: id enim accidiſſe cenſendum eſt, ubi id fieri licuit ex ſpeciali inſtinctu Dei, vel quia ſingulariter voluit favere innocentiæ.

QUÆ-

QUÆSTIO XV.

(37) *Quid, & quale peccatum ſit Sacrilegium?*

D. 1. Sacrilegium eſt *violatio rei ſacræ qua talis. Dr. violatio;* hoc eſt: indigna tractatio, ſive ſit actus, ſive omiſſio contra reverentiam ſacris debitam. *Dr. rei ſacræ:* hoc eſt: ad cultum Dei deputatæ. Additur: *qua talis*; hoc eſt: in eo ſenſu, in quo eſt ſacra; ſic Religioſus V. G. per votum ſolemne caſtitatis eſt ſanctificatus ad munditiem carnis, & ideo eſt ſacrilegus; ſi contra hoc agat, non ſi detrahat, mentiatur &c. Sic ager Eccleſiæ eſt ſacer quoad exemptionem ab oneribus ſæcularibus; ideoque eſt ſacrilegium, ſi illis gravetur, non ſi quis ibi fornicetur.

D. 2. Sacrilegium eſt ſpeciale peccatum oppoſitum Religioni, ex genere ſuo mortale: quia continet gravem irreverentiam contra Deum, & res illius cultui dicatas; dictatque recta ratio ſancta eſſe ſancte tractanda; culpa autem tanto eſt gravior, quo res, quæ indigne tractatur, eſt ſacratior: fit veniale ex parvitate materiæ. Eſt autem ſacrilegium triplex: *perſonale, locale, reale;* de quibus recolenda ſunt, quæ de ſacrilegio (a), ubi de peccato luxuriæ egimus. Quoad præſens

Reſ. 1. Sacrilegium *perſonale* fit quatuor modis 1. inferendo manus violentas in Clericum. 2. Violando luxurioſe corpus Deo ſacrum per votum continentiæ. 3. Trahendo Clericum ad tribunal ſæculare. 4. Exigendo ab iis per poteſtatem ſæcularem tributa, vel vectigalia.

Reſ. 2. Sacrilegium *locale* committit, qui locum ſacrum polluit, quod fit 1. per homicidium culpabile, aut injurioſam ſanguinis effuſionem, quæ ſit mortalis, &

(a) *Part.* 1. *Q.* 2. *Art. IV.*

& copioſa; effuſio enim dicit plus, quam unam aut alteram guttulam; ſufficit tamen vulnus infligi homini exiſtenti in loco ſacro, licet ab homine exiſtente extra, aut ſanguis extra effundatur, aut vulneratus extra moriatur. 2. Per effuſionem voluntariam ſeminis humani. 3. Per ſepulturam excommunicati vitandi, aut infidelis non baptizati, non tamen catechumeni. Interim ut locus ſacer propter hos actus polluatur, ita ut reconciliatione indigeat, debent eſſe notorii notoreitate facti, vel juris; non vero ut incurratur malitia ſacrilegii.

Reſ. 3. Sacrilegium *locale* ulterius committit 1. qui in loco ſacro exercet actum ſpecialiter prohibitum, ut ſunt mercatus, ſententia judicialis ſæcularis, præſertim criminalis, confabulationes, convivia, & comeſtio ſine neceſſitate: item actus, qui ipſi materiali loco vim inferunt, ut ſi Eccleſiæ fores effringantur. 2. E loco ſacro injuſte extrahens perſonam ibi habentem aſylum. 3. Qui furatur rem profanam e loco ſacro ibi poſitam pro ſecuritate, vel per modum pignoris, depoſiti, commodati, ita ut locus ſacer debeat pro eo aliquo modo reſpondere. An autem comittat ſacrilegium mortale, qui furatur in loco ſacro aliquid nullo modo ad illum pertinens V. G. horologium ex ſacco alterius, utrumque probabile eſt: videtur, quod ita; quia in jure habetur: ſacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro, ubi autem jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. *Deinde* loco ſacro tanta videtur deberi reverentia, ut ſit aſylum omnibus rebus, quæ in eo ſunt, ut homines ibi ſecurius divinis vacare poſſint. Alia peccata ſive in- ſive externa in loco ſacro commiſſa V. G. detractiones, perjuria, blasphemiæ non ſunt ſacrilegia; quia non ſunt violatio rei ſacræ, qua ſacra eſt, ſicut nec omne peccatum, quod

in

in perſonam ſacram, vel a perſona ſacra committitur, eſt ſacrilegium.

Reſ. 4. Sacrilegium *reale* committit 1. Sacramenta indigne ſuſcipiens, miniſtrans, profanans &c. 2. Indecore tractans res ſacras etiam negative tantum; ut ſi Euchariſtia, neglectis clavibus, non ſatis cuſtodiatur; ſi ſacræ ſpecies permittantur in pixide corrumpi: ſi vaſa ſacra, corporalia, veſtimenta, Altaria, & ſimilia non ſerventur munda, vel habeantur indecore. 3. Si Euchariſtia, & omnia ad ejus contactum immediate conſecrata illicite & irreverenter tangantur, ut ſi laicus vel fæmina attingat nuda manu calices aliaque chrismate delibuta; non eſt tamen grave, ſi ſine contemptu attingat calices vacuos. 4. Vaſa ſacra aut paramenta authoritate propria & extra caſum neceſſitatis in uſus profanos convertens, vel iis abutens. 5. Sacram Scripturam ſcienter pervertens, vel ejus ſententiis ad jocos præſertim inhoneſtos abutens, res ſacras contemptim abjiciens, imagines CHRISTI, & Sanctorum inhonorans. 6. Auferens rem ſacram de loco non ſacro V. G. reliquias etiam devotionis cauſa: ſi de ſacro, erit duplex ſacrilegium. 7. Injuſte occupans, defraudans bona Eccleſiæ immobilia &c. 8. Vendens res ſpirituales per ſimoniam.

QUÆSTIO XVI.

(38) *Quid, quotuplex, & quale peccatum ſit blaſphemia?*

D. 1. Blasphemia eſt *locutio contumelioſa contra Deum ſacta verbis, vel ſignis æquivalentibus. dr. contumelioſa*; quia blasphemia opponitur laudi divinæ, adeoque religioni, quæ Dei laudem & honorem tuetur: cumque Deus ſit ubique præſens, omnis maledictio contra Deum vere eſt contumelia. *dr. contra*

Deum, quatenus hoc modo minuitur laus & honor Dei; hinc qui de Beatiſſima Virgine & Sanctis, ut ſunt aliquid Dei, malevole loquitur, blaſphemus eſt; quia ſicut eorum gloria cedit in laudem Dei, ſic econtra eorum qua talium vilipendium cedit in Dei contemptum; hinc etiam convitium in res ſacras, ut Sacramenta, imagines, reliquias, ſemper eſt blaſphemia; quia ſancta ſemper apprehenduntur cum ordine ad Deum ut eorum authorem, non ſic aliæ creaturæ.

D. 2. Blaſphemia alia eſt *hæreticalis*, alia *ſimplex*, 1. eſt, dum verba ſenſum fidei contrarium exprimunt, ut ſiquis dicat: Deus eſt immiſericors, non curat noſtra, non bene omnia ordinavit &c. habetque malitiam duplicem, unam contra fidem, alteram contra religionem; quodſi talis blaſphemia proferatur ſine interno aſſenſu, adhuc eſt grave peccatum ſimul contra præceptum negativum fidei externæ; ſi cum pertinaci aſſenſu, eſt hæretica, & reſervata. Et in Diœceſi Colonienſi non tantum ratione hæreſis, ſed & ratione blaſphemiæ, ſi ſerio ſit prolata, eſt peccatum Epiſcopo reſervatum. *Simplex eſt*, dum aliquid contumelioſum profertur contra Deum, non tamen fidei contrarium, fitque vel *execratione*, aut *imprecatione*, ut: pereat Deus; ſit maledictus &c. & hæc ſimul odium Dei continet: vel *deteſtatione*, V. G. velit, nolit Deus, hoc nihilominus faciam: vel *dehoneſtatione;* ut ſiquis indignabundus CHRISTI mortem, ſanguinem, Vulnera, Sacramenta &c. irreverenter proferat. Idem eſt de membris B. Mariæ Virginis, & Sanctorum.

(39) *D.* 3. Blaſphemia eſt peccatum ex toto genere mortale; quia nulla reſpectu Dei dari poteſt levis contumelia, & gravis eſt ex ſe deordinatio etiam per jocum blaſphemare, ac Deum inhonorare, niſi ita contingeret, ut jocus cenſeretur tollere omnem irreverentiam.

tiam. Poteſt tamen eſſe veniale ob indeliberationem, vel prædominantem paſſionem iræ V. G.

Reſ. 1. Ad blaſphemiam non requiritur formalis intentio Deum inhonorandi, ſed ſufficit virtualis; hinc peccat graviter, qui ex ira aut indignatione non quidem contra Deum, ſed contra alios profert verba, quæ ex ſe, aut modo loquendi vel circumſtantiis involvunt talem divini honoris imminutionem, ut homines mediocriter pii ad illa horreant; quia virtualiter & æquivalenter intendit Dei dehonorationem; quamvis ſæpe ex ſubreptione ſit veniale tantum, ſi materialiter fiat.

Reſ. 2. Blaſphemat, qui creaturæ tribuit, quod Deo eſt proprium, prout laſcivi homines amatores ſubinde faciunt appellando fæminam amatam Deam, ſuam beatitudinem &c.

Reſ. 3. Blaſphemat, qui dicit: *perdat te Sanguis CHRISTI, vulnera &c.* vel quid ſimile; quia hæc ad ſalvandum nos, non ad perdendum ſunt; unde magna afficitur Deus contumelia per ſimiles formulas: & communiter in his homines apprehendunt magnam Dei & ſacrarum rerum vilipenſionem contineri.

Reſ. 4. Blaſphemat, qui ex ira vel contemptu Dei in cælum ſpuit, dentibus frendet, pugno illud monſtrat &c. quia non tantum per verba formalia, ſed & per ſigna poſſumus loqui contra Deum maledicta, imo & ſola mente, ſicut ſola mente ipſum laudare.

Reſ. 5. Siquis in ira contra hominem, non indignando Deo, nominet ſeptem V. G. Sacramenta, crucem CHRISTI &c. ſine ſcandalo & ſine iis circumſtantiis. quibus vilipenſio importatur, non eſt blaſphemia, ſed vana uſurpatio divini nominis, & peccatum inter venialia grave, ſi raro admodum, & inadvertenter fiat; ob periculum autem incidendi in blaſphemias, pravum

 habi-

habitum, & ſcandalum apud audientes, merito abſterrentur homines ab ejusmodi, ceu a peccato gravi.

Reſ. 6. Non excuſatur a mortali, qui verba blaſphemiæ profert tantum ad demonſtrandam iram, terrendos ſubditos, ut promptius obediant V.G. milites, ita ut ſimilia verba velit eſſe prolata tantum materialiter; quia præceptum religionis prohibet, quidquid ex ſe aptum eſt ad Dei cultum & honorem minuendum, quod coram audientibus faciunt verba blaſphemiæ: hinc graviter videtur peccare herus V. G. qui germanice dicit; du Sacramentsferl; peccat etiam graviter dicens: du Sacramentshund; quia hæc conjunctio videtur ſumme contumelioſa Deo.

Reſ. 7. Non peccat, qui, ne blaſphemet, dimidiat vel parum immutat verba V.G. pro Sacramento dicit, *ſaprament, element*; quia hæc & ſimilia non continent injurioſam locutionem, poteſt tamen peccare ratione ſandali, ſi adſtantes non intelligant illam immutationem.

Reſ. 8. Qui dicit: *bone Deus! quid feci tibi, quod me tam dure tractas?* ſi intelligitur præciſe in ſenſu admirantis, vel non ſcientis, quam ob cauſam Deus immiſerit gravem tribulationem, excuſari poteſt, ſed periculoſa ſunt, & male ſonant ſimilia.

Reſ. 9. Non blaſphemant, attamen venialiter contra religionem & ſecundum decalogi præceptum peccant, qui ſingulis fere verbis nomina DEI, JESU, aut Sanctorum ex animi levitate addunt, & ſæpe ex impatientia proferunt, vel ſiquid novi contingat, JESU, Deus bone! exclamant &c.

Reſ. 10. Si contumeliæ dicantur in Sanctos; non qua tales ſunt, ſed ut homines fuerunt in terris, non eſt blaſphemia, ſed peccatum contra duliam Sanctis debitam, ut ſi S. Petrum appellas calvum, veniale tantum, ſi fiat ex joco vel levitate: mortale, ſi ex con-

tem-

temptu, vel indignatione, aut alia paſſione in Sanctos q id proferas contra illos.

Reſ. 11. Non eſt blaſphemia, ſiquis verbis Sacræ Scripturæ utatur ad profana: eſt blaſphemia, ſi ad turpia, vel ad profana cum contemptu; ſi autem ad res honeſtas per jocum, ſecluſo contemptu eſt veniale tantum; eſt enim irreverentia iis uti ad profana, quia ſunt inſpirata a Spiritu Sancto, & ſignificative ſacra.

Reſ. 12. In ira nominare dæmonem absque imprecatione, de ſe leve eſt peccatum; illud autem aſſidue nominare valde dedecet Chriſtianum, & ob ſcandalum poteſt ſæpius mortale eſſe peccatum.

(40) *Reſ.* 13. Qui blaſphemorum verborum habet conſuetudinem, tenetur ſub mortali ſerio conari illam tollere; hoc ſi facit, & tamen labatur, poteſt quandoque excuſari a peccato, eoquod verba talia impetu naturali effuſa non ſint voluntaria in ſe, nec in cauſa utpote retractata propoſito efficaci; ſi vero non conetur, etiam ſic effuſa, quia ſunt voluntaria in cauſa, imputantur ad peccatum (a); hoc dum confeſſarius advertit, neget ei cum diſcretione abſolutionem, pro pœnitentia medicinali imponatur, ut ſæpius renovet propoſitum abſtinendi, aut ſaltem verba ita immutandi, ut non amplius ſignificent blaſphemiam, ut ſæpius per diem Deum benedicat, eum adoret, laudet &c. ut poſt lapſum pectus tundat, orationem dominicam recitet &c.

Reſ. 14. Rudes ſolent ſe excuſare his verbis germanicis: ich habe Gott geläſtert, geflucht, und geſchworen, Confeſſarius interroget, quid intelligant per iſta tria vocabula? Solent enim ſæpe hæc tria apud ipſos confundi, quæ tamen ſunt diſtincta; nam primum eſt blaſphemare, ſecundum imprecari, vel maledicere, tertium jurare. *Deinde* interrogetur pœnitens, quæ

(a) *Vid. part.* 1. *Tract.* 2. *Diſſ.* 1. *Q.* 1.

verba protulerit? An cum intentione Deum inhonorandi, quod rarum eſt? Si ita, ex qua cauſa? an V.G. ex deſperatione? an adfuerit error contra fidem? ſic enim poteſt eſſe caſus reſervatus, ſi reſpondeat: quod non, interroget: an ſaltem non adverterit verba illa eſſe graviter inhonorantia Deum? ſi & hoc neget, dicens ſe tantum oſtendiſſe indignationem contra homines, jumenta, attendendum eſt, an verba illa ſecundum ſe exprimant gravem Dei contumeliam. *Denique* in confeſſione explicandum eſt, an verba blaſphema ſint prolata contra Deum, B. V. & Sanctos? Nam blaſphemia in Sanctos repugnat ſimul duliæ, in B. V. hyperduliæ, ideoque duplex ſpecie peccatum committit, qui in Sanctos blaſphemat, unum contra duliam, in quantum contumelia afficit perſonam honorare dignam; alterum contra latriam, in quantum ejus blasphemia redundat in Deum; per contumeliam vero in Deum ſoli Deo irrogatur injuria. Iterum explicandum eſt, an ſit prolata ex affectu maligno, & averſione a Deo? Tunc enim ſimul opponitur charitati, ſi ex deſperatione ſpei; ſi cum aliorum ſcandalo, charitati &c. de quibus examinandus eſt pœnitens de blaſphemia ſe accuſans.

DISSERTATIO II.

DE VOTO.

QUÆSTIO I.

(41) *Quid, & quotuplex ſit votum?*

D. 1. Votum eſt *promiſſio deliberata & libera facta Deo de bono meliori poſſibili;* ideoque ad valorem voti requiruntur ſequentia: 1. *Intentio ſe obligandi;* promiſſio enim obligationem im-

por-

portat, per quod differt a propoſito, quod eſt ſimplex volitio aliquid faciendi, vel omittendi ſine obligatione ad illud; quod notandum eſt pro ſimplicioribus pœnitentibus; ideo, qui propoſitum non obſervat, non peccat. Eſt quidem aliqua levitas a propoſito bono ſine cauſa recedere, ſed non eſt peccaminoſa; quia non eſt contra virtutem conſtantiæ obligantem. 2. Requiritur *deliberatio perfecta*; qualis requiritur ad actum perfecte moralem; quia nemo cenſetur velle ſibi imponere obligationem ex genere ſuo gravem, niſi ex plena advertentia & perfecta deliberatione; ideoque & requiritur libertas directa; hæc enim requiritur ad actum moralem. 3. *Libertas*, ut votum non fiat ex ignorantia, errore circa ſubſtantiam, ex metu. 4. *Ut fiat Deo*; eſt enim actus latriæ, quo quis ſe Deo obligat, & per votum teſtamur Deum eſſe ſumme providum, ad quem in anguſtiis eſt recurrendum. 5. Ut ſit *de re bona*, *eaque meliori*, *quam ejus contradictoria*. *Denique* ut ſit *de poſſibili*: quia ad impoſſibile nequit dari obligatio. *De duobus ultimis quæſt. ſeq.* Pro aliis.

Reſ. 1. Qui intendit vovere, ſed non ſe obligare, non tenetur voto; quia ſecunda intentio deſtruit primam, hinc non vere vovet, niſi prima intentio eſſet efficacior. Qui intendit ſe quidem obligare, ſed non implere votum, tenetur voto, licet peccet pro gravitate materiæ mortaliter, vel venialiter; quia ſicut non eſt de eſſentia voti, aut promiſſionis, quod res præſtetur, ita nec animus præſtandi, modo adſit animus ſe obligandi.

Reſ. 2. Ad votum ſufficit intentio implicita ſe obligandi; hinc ſiquis ſciens votum obligare deliberate voveat, tenetur voto, licet de obligatione non cogitet: hinc etiam qui ſuſcipit Sub-Diaconatum, habet intentionem implicitam vovendi caſtitatem; qui enim ſponte aliquem ſtatum ſuſcipit, vult ſubire omnia onera

ſtatui annexa. Si poſitive nollet vovere, aut ſe per votum obligare, peccat graviter, quamdiu non vovet, & adhuc tenetur ſervare caſtitatem, non vi voti, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ obligantis ex motivo religionis, adeoque peccans contra caſtitatem adhuc eſſet ſacrilegus.

Reſ. 3. Sufficit intentio virtualis; hinc novitii, qui intendens profeſſionem emittere, quamvis poſtea omnino diſtractus ad Altare accedat, & profeſſionem ex ſcripto recitet ita perturbatus, ut nullam videatur habuiſſe advertentiam, valet adhuc profeſſio: quia adeſt intentio virtualis.

Reſ. 4. Qui ficte aut ſine animo ſe obligandi, aut ſub veniali tantum vovet in profeſſione Religioſa, peccat graviter etiam contra juſtitiam; quia in re gravi illudit Ordini, (niſi forte huic & priori metus gravis det cauſam æquivocandi) & profeſſio per ſe eſt nulla. Cæterum per ſe videtur eſſe veniale in re levi ficte vovere; quia non irrogatur gravis Deo injuria.

Reſ. 5. Qui in morbo dicit: ſi Deus mihi reſtituerit ſanitatem, vivam caſte, non vovet; ſecus, ſi dicat: o Deus! redde mihi ſanitatem, & vivam caſte; quia æquivalenter dicit: faciam hoc, ſi des. Attamen conſulenda eſt intentio dicentis, an voluerit ſe obligare.

Reſ. 6. Si pœnitens Confeſſario nolenti ob relapſum abſolvere dicat: abſolve, promitto tibi ſedenti hic loco Dei, quod hoc peccatum nolim amplius committere, ordinarie non eſt votum; quia tantum vult ſignificare ſerium propoſitum, non novam obligationem ſibi imponere.

Reſ. 7. Vota facta ex timore, ira, triſtitia, aut ſimili paſſione ordinarie ſunt valida; ſicut enim ordinarie in his adeſt ſufficiens deliberatio ad peccandum mortaliter, ſic etiam ad vovendum.

Reſ. 8.

Reſ. 8. Non eſt ſufficiens ſignum defuiſſe perfectam deliberationem, ſi voventem, facto voto, mox pœniteat; ea enim eſt humanæ conditionis inconſtantia, ut hominem ſæpe mox pœniteat illius, quod etiam cum plena deliberatione egit.

Reſ. 9. Non requiritur, ut omnes difficultates prævideantur, quibus prævisis vovens non voviſſet: alias raro votum eſſet validum. Idem patet de matrimonio, & aliis contractibus; hinc ſi voviſti caſtitatem, quam putabas ſervatu facilem, valet votum, etſi poſtea maximas difficultates invenias.

Reſ. 10. Ex voto facto cum ſemiplena tantum deliberatione V. G. ex repentino animi motu dicis: voveo, nulla oritur obligatio, nequidem ſub veniali; quia requiritur actus perfecte humanus.

Reſ. 11. Qui ſcit ſe ſolere vovere in ebrietate, ſi in hac voveat, nullum eſt votum; quia ad votum, ſicut & ad contractum, requiritur voluntarium directum. Aliud eſſet, ſiquis prævideat ante ebrietatem ſe votum illud emiſſurum, illudque approbet ſub conditione, ſi fiat; jam enim validum eſt votum.

(42) *Reſ.* 12. Votum ex gravi metu injuſto ad extorquendum votum incuſſo emiſſum eſt nullum jure poſitivo. Ita habetur *Tit. de his, quæ vi &c. Cap.* 1. *&* 2. ubi juxta Alexandrum III. *quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum vocari;* imo probabilius videtur nullum jure naturæ; non defectu voluntarii, ſed quia Deus talem promiſſionem non cenſetur acceptare, qualem nec vir probus acceptaret, ſi ſibi fieret, ne cenſeatur approbare injuriam. Metus autem levis jura conſiderationem non habent; hinc ex metu levi emiſſum obligat, ſicut & ſi metus ſit juſte incuſſus, vel a cauſa naturali V. G. periculo naufragii, quia nulla tunc fit injuria, & ſponte eligitur ad eva-

dendum malum; ob hoc ultimum etiam, qui invaſus a latronibus vovet ingredi religionem, ſi evadat, tenetur voto, ubi evaſit; quia metus licet injuſte incuſſus, non fuit ad extorquendum votum.

Ob. Valet juramentum metu injuſto extortum; ergo. ℟. *t. a. & n. c.* Juramentum promiſſorium homini factum acceptat Deus, ne patiatur nomen ejus; votum fit Deo, quod ſi remittat, non patitur nomen ejus.

Reſ. 13. Nulla eſt profeſſio filii, qui Religionem profitetur præciſe, ut obediat patri, alias perpetuam indignationem minanti, ſi juſte timeat; eſſet tamen valida, ſi tantum præceſſiſſet ardens patris deſiderium ſæpius inculcatum, vel etiam mandatum, ex quo violato non immineret ipſi grave malum.

Reſ. 14. Votum emiſſum ex errore, vel ignorantia circa ſubſtantiam, vel qualitatem ingredientem ſubſtantiam, vel motivum principale, cauſam finalem, vel circumſtantias magni momenti, eſt nullum defectu conſenſus; hinc qui vovit dare catenam, quam putat eſſe argenteam, cum ſit aurea, vovit dare Petro eleemoſynam putans eſſe pauperem, cum non ſit: vovit ingredi aliquod monaſterium putans ibi vigere diſciplinam regularem, & non viget: vovet Religionem Carthuſianam, putans eam veſci carnibus, &c. non tenetur voto; eſt enim circumſtantia notabiliter mutans rem promiſſam. Foret tamen validum votum, ſi voveas peregrinationem octo horarum, cum ſit novem vel decem, & ſic de ſimilibus ob rationem oppoſitam. Excipitur hic votum profeſſionis ſolemnis; quod inſtar matrimonii carnalis ob nullum errorem ad ſubſtantiam non pertinentem eſt irritum.

Reſ. 15. Siquis voveat B. V. & Sanctis, cenſetur implicite vovere Deo in honorem B. V. & Sanctorum; ſi autem fieret abſolute illis ſine intentione ſe obligandi

gandi Deo, promiſſio quidem eſſet honeſta, & graviter obligatoria, ſed non proprie votum, ſed actus hyperduliæ, aut duliæ; hinc ſi puella dicat: B. V. promitto tibi meam virginitatem, vel caſtitatem perpetuam, & nihil cogitet de Deo, aut intendat ſe ſoli B. V. adſtringere, non eſt votum, adeoque nec reſervatum Papæ. Sed in dubio cenſetur implicite vovere Deo: in dubio enim tutior pars eſt eligenda.

Q. An votum invalidum per ratificationem revalidetur?

(43) ℞. Si ratificans ſciat, aut credat votum emiſſum fuiſſe invalidum, revalidatur per ratificationem; ſi vero hoc ignoret, non revalidatur; jam enim confirmat prius votum, quod cum ſit nullum, etiam ratificatio eſt nulla. In dubio, an renovaverit dependenter a prima emiſſione, an independenter & de novo, præſumere debet alterum; quia in dubio tutior &c. Si ſint vota religionis, contra quæ per integrum quinquennium non ſit proteſtatus, Tridentinum vult præſumi ſuperveniſſe novam ratificationem, & eſſe obligandum ad illa. (a)

(44) *D. 2:* Votum 1. aliud eſt *perſonale*, quo promittitur actio aliqua, vel omiſſio a vovente ponenda V. G. jejunium, peregrinatio, abſtinentia a vino &c.; aliud *reale*, quo promittitur res aliqua ab actione voventis diſtincta V. G. eleemoſyna, calix, aliaque res pretio æſtimabilis: aliud *mixtum*, quo actio, & res promittitur V. G. votum peregrinandi Lauretum, & offerendi ibi munus. 2. Votum aliud eſt *abſolutum*, quod fit absque ulla conditione ſuſpenſiva, aliud *conditionatum*, quod fit ſub conditione extrinſeca ſuſpenſiva, ſive de futuro. Conditionatum eſt *pœnale*, quando vovetur pœna ſub conditione delicti futuri V. G. voveo jejunium, ſi me inebriavero. *dr. extrinſeca;*

(a) *Part.* 1. *Diſſ.* 3. *Q.* 10.

ſeca; quia conditiones, quæ inſunt voto ex natura rei, vel diſpoſitione juris, non faciunt illud proprie conditionatum. *dr.* etiam: *de futuro;* quia conditio de præſenti vel præterito etiam non facit proprie conditionatum; tale enim votum vel parit ſtatim obligationem, ſi conditio exiſtat, licet ſuſpenſam, ſi ignoretur, vel nullam parit, ſi non exiſtat. 3. Votum aliud *eſt ſimplex*, aliud *ſolemne; ſimplex* eſt, quod non habet annexam ſuſceptionem ſtatus immutabilis, ſive interim fiat publice, ſive privatim, ſive cum ſolemnitatibus, ſive non: *ſolemne* eſt, quod annexam habet ſuſceptionem ſtatus immutabilis, fitque tantum in Profeſſione Religioſa, & ſuſceptione Ordinis Sacri. *Ubi breviter*

Obſ. Solemnitas voti probabilius conſiſtit in hoc, quod ex jure Eccleſiaſtico habeat certos effectus morales. Sic Profeſſus in religione approbata redditur inhabilis 1. ad valide contrahendum matrimonium ratione voti caſtitatis, & Clericus ratione Ordinis ſacri, & voti ſaltem implicite in ſuſceptione emiſſi: 2. ad habendum rei temporalis dominium ratione voti paupertatis: 3. ad ſe aliis, quam Superioribus obligandum ratione obedientiæ, quam inhabilitatem non contrahunt emittentes vota ſimplicia; unde retinent dominium, & matrimonium valide contrahunt.

Denique votum aliud eſt *reſervatum*, quod a nemine niſi a Summo Pontifice per ſe diſpenſari, vel commutari poteſt, ut ſunt vota ſolemnia, & ex ſimplicibus quinque: ſcilicet *votum caſtitatis perpetuæ, ingrediendi religionem ab Eccleſia approbatam, peregrinandi Hieroſolymam ad ſepulchrum CHRISTI, Romam ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, Compoſtellam ad S. Jacobum:* aliud *non reſervatum*, quod etiam ab aliis inferioribus diſpenſari poteſt; *de quibus ſpecialiter infra.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

(45) *Quæ ſit materia voti?*

D. 1. Materia voti debet eſſe moraliter bona: ideo invalidum eſt votum de re mala vel indifferente qua tali; promiſſio enim debet eſſe de re alicui grata, alias non acceptabit: ſed res mala non poteſt eſſe Deo grata; nec indifferens qua talis, cum nihil ad Dei cultum conferat; ergo.

Reſ. 1. Vovere Deo rem indifferentem eſt veniale; non enim eſt poſitive ingrata; vovere rem malam etiam venialiter tantum eſt mortale contra religionem; vel enim promittens rem illam offert ut Deo gratam? Et eſt gravis blaſphemia contra Sanctitatem DEI: vel ut ingratam? Et eſt illudere Deo, & quaſi ei minari.

Reſ. 2. Sacrilegum, blaſphemum, & nullum eſt votum de re bona ex intentione conſequendi a Deo rem malam V. G. voves dare pauperibus partem turpis quæſtus, ut accipias quæſtum majorem, vel ad agendas gratias pro re mala V. G. injuſta victoria obtenta; quia eſt agere, quaſi Deo peccatum placeret, eſſetque hujus author, idque licet finis ſit tantum venialiter malus V. G. ad obtinendam vanam gloriam: ſi tamen finis malus tantum afficiat ipſum actum vovendi, non ipſam rem promiſſam, ſic ut vovens non intendat conſequi iſtum finem per rem promiſſam, ſed per actum vovendi, valet votum V. G. coram multis voves ædificare ſacellum, non ut ex voti executione, ſed ut ex hoc actu vovendi conſequaris gloriam, valet votum. *Ratio eſt:* quia ſi finis malus afficiat rem promiſſam, votum eſt de objecto malo: ſi vero tantum ipſum actum vovendi, hic actus licet ſit malus, non tamen eſt de objecto malo.

Reſ.

Reſ. 3. Valet votum dandi eleemoſynam, ſi incolumis evadas ex duello, ſi in furto non deprehendaris; quia licet duellum, & furtum ſint malum, attamen in his non lædi, non infamari bonum eſt, & Dei beneficium, adeoque a Deo peti poſſunt. Sic & valet votum in gratiarum actionem pro effectu bono ex opere malo ſecuto.

Reſ. 4. Votum non nendi die Sabbati in honorem B. V. relicta ſibi facultate aliis operibus vacandi eſt nullum; quia de re indifferente nihil ad honorem B. V. conferente, ideoque cultus ſuperfluus; ſi vero fiat, ut interim vacet orationi, eſt validum ob rationem oppoſitam, modo reſpectu talis perſonæ melius, & Deo gratius ſit ſepoſito labore vacare devotioni, quod ſæpe non eſt. *Similiter* votum non ingrediendi talem domum eſt de re indifferente, adeoque nullum; ſi autem talis ingreſſus ſit tibi occaſio peccandi, valide & licite voves, & tamdiu teneris voto, quousque durabit illa occaſio, qua oblata ceſſat votum; quia res redit in indifferentiam. Si votum ab initio fuit nullum V. G. ex mero capritio voviſti non ingredi, licet poſtea ſuperveniat circumſtantia, ob quam bonum ſit non ingredi, non ideo teneris emanere; quia (a) *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.*

Reſ. 5. Non ſufficit, quod res ſit bona, ſi motivum ſit indifferens; hinc nullum eſt votum jejunandi, ut parcas ſumptibus, nullum alium finem honeſtum ſpectando; jam enim actus totus eſt indifferens ex parte objecti.

Reſ. 6. Valide, & licite voves eleemoſynam V. G. ut a Deo impetres ſcientiam, divitias, &c. vel quia hæc impetraſti; honeſtum enim eſt ſimilia ut dona Dei intendere.

(a) *R. J.* 18. *in* 6.

(46) *D.* 2. Votum ut ſit validum, debet eſſe de bono, quod ſit melius ſuo contradictorio, hoc eſt, melius facere, quam non facere, aut econtra melius non facere, quam facere, *intellige:* non ſemper ſecundum ſe, ſed ſaltem reſpective ad voventem; ſic V.G. jejunare ſecundum ſe melius eſt, quam ſobrie manducare, ſed reſpectu perſonæ particularis poteſt non eſſe melius: quia impedit bonum majus. Sic dare eleemoſynam eſt melius, quam non dare, aſt non reſpectu illius, qui pecunia indiget ad ſolvenda V.G. debita. *Ratio concluſionis eſt:* quia per votum promittitur Deo ſpecialis cultus: ſed talis non eſt, ſi actio, vel omiſſio promiſſa non ſit melior, quam ejus contradictorium vel in ſe, vel ſpectatis circumſtantiis, hoc eſt: ſi non plus ad Dei gloriam, & voventis ſalutem ſit apta conducere: ergo

Reſ. 1. Ordinarie non valet votum ineundi matrimonium etiam ex motivo pietatis cum perſona paupere; quia melior & gratior Deo eſt cœlibatus cum caſtitate; valet tamen votum conditionatum: ſi aliquam duxero, ducam hanc pauperem, quia ſuppoſita voluntate ducendi aliquam gratius eſt Deo ducere pauperem. Dixi: *ordinarie:* quia poteſt eſſe, quod alicui incumbat obligatio ineundi matrimonium V.G. ob utilitatem reipublicæ, aut fidei ob ſponſam defraudatam &c. Et tunc votum valet.

Reſ. 2. Invalidum eſt votum nunquam vovendi, quia ſecundum ſe melius, & Deo gratius eſt, quod nos & actiones noſtras ipſi per votum offeramus, quam quod non; eſtque opus ex voto factum melius, ac magis meritorium, quam ſine voto factum, ſic jejunium ſecundum ſe eſt actus temperantiæ tantum, ſi fiat ex voto, pertinet ſimul ad religionem.

Reſ. 3. Validum eſt votum non vovendi inconſulto V.G. Confeſſario; quia vovere cum ſimili cautela,

ne

ne indiſcrete voveas, eſt actus prudentiæ melior ſuo oppoſito; ſi expoſt memor hujus voti tamen voveas, valet votum, etſi pecces vovendo *per ſe* venialiter tantum: ſi immemor prioris voti, ſecundum votum eſt invalidum, ſaltem ſi per primum votum intenderis vota ſine hac cautela fore nulla; quia adhuc habitualiter manet hæc voluntas, quamdiu ſcienter non eſt revocata.

Reſ. 4. Validum eſt votum perpetuo peregrinandi ad loca ſancta, perpetuo inſerviendi infirmis, quia melius eſt ſancte peregrinari, quam non: & licet excludatur actu ſtatus melior religionis, non tamen potentia; quia in illum propria authoritate mutari poteſt, *ut infra.*

Reſ. 5. Invalidum eſt votum non jejunandi, non mutuandi &c.; quia in his opus eſt Deo gratius, quam ejus omiſſio.

Reſ. 6. Votum non ſuſcipiendi Epiſcopatum, vel aliam prælaturam, vel quodcumque regimen animarum, niſi obedientia Superioris, publica neceſſitas, vel lex charitatis aliud exigat, eſt validum; quia ad humilitatem ſervandam, & peccandi pericula vitanda homini melius, & tutius eſt hæc non ſuſcipere. *Nec refert:* quod Epiſcopatus ſit ſtatus perfectior ſtatu religionis; id enim tantum intelligi debet præſuppoſitive; quia ob ſui eminentiam præſupponit perfectionem in ſuſcipiente.

Reſ. 7. Invalidum eſt votum nunquam petendi diſpenſationem in priori voto; quia facile contingit caſus, in quo melius ſit petere, quam non petere.

D. 3. Materia voti debet eſſe poſſibilis, etiam moraliter; quia licet ad obligationem legis naturalis ſufficiat potentia phyſica, votum tamen, quod eſt quaſi

quaſi lex privata humana, non obligat ad moraliter impoſſibile (a).

Reſ. 1. Non valet votum vitandi omnia venialia collective longo tempore; quia id eſt homini moraliter impoſſibile, ſecluſo ſpeciali privilegio, quod Deus non eſt paratus dare omnibus. Valet votum vitandi omnia mortalia aut venialia in certa materia, aut venialia plene deliberata, ob rationem oppoſitam: verum ejusmodi vota non ſunt facile aſſumenda ob periculum lapſus & gravioris peccati. Sed nunquid vi prioris voti teneretur ſaltem vitare venialia, quæ poteſt, ſicut vovens jejunare per totam quadrageſimam, ſi non poſſit totum, tenetur ad partem, quam poteſt? ℟. *n. diſp.* eſt; quod votum jejunandi tota Quadrageſima ſit de re moraliter poſſibili, adeoque validum; unde ſi per accidens non poſſit ſervari totum, debet ſervari pars poſſibilis: votum autem vitandi omnia venialia collective, cum ſit de re impoſſibili, eſt abſolute nullum, ergo ad nullam partem obligat.

Reſ. 2. Si materia voti ſit partim poſſibilis, partim impoſſibilis, votum obligat quoad partem poſſibilem, ſi materia dividi poſſit & ſoleat; tunc enim vovens cenſetur diviſim promiſiſſe partes illas; ſecus ſi materia ſit indiviſibilis. Vide (b)

Reſ. 3. Votum emiſſum de facto alieno ut alieno non eſt validum; quia quod ab alterius libera voluntate pendet, non eſt in tua poteſtate; ſecus ſi directe voveas proprium actum, indirecte alienum; ut ſi voveas te alteri procuraturum ingreſſum religionis, teneris moralem diligentiam adhibere, ut ingrediatur, qui ſi nolit, ceſſat obligatio; & ſic intelliguntur vota parentum, dum liberos ſuos religioni vovent: dum vovent,

(a) *Vid. Part. I. Tract. I. Diſſ.* 3. *Q.* 7.
(b) *Part. I. Tract. I. Diſſ.* 3. *Q.* 12.

vovent, ut familiæ certis diebus jejunent &c. Hinc filii non tenentur talibus parentum votis, niſi ſcientes nullitatem ratificaverint, idque licet parentes illa emittant in præſentia filiorum; reverentia enim facit, ut, etſi taceant, conſentire tamen non cenſeantur. Parentes igitur tantum ſunt obligati, ut filios inclinent ad religionem, ſecluſa omni violentia & ſuppoſita idoneitate. Expedit tum religioſis tum ſæcularibus quandoque vovere, cum votum ſit Actus religionis, per quem Deus colitur & per votum firmetur voluntas noſtra in eo, quod expedit facere. Attamen prudenter emittenda ſunt vota; quia ſæpe conſideratis circumſtantiis non expedit vovere; hinc conſulendus eſt Confeſſarius, vel alius vir prudens, qui puellis non permittat, ut caſtitatem in ſæculo voveant in perpetuum, niſi maturi ſint judicii, & per tempus notabile virtutis ſolidæ experimentum dederint. Nec frequenter relabenti in mollitiem permittat, ut voveat caſtitatem, niſi ad aliquot dies, ubi ſpes eſt victoriæ: conſultum eſt, ut hi ad aliquod tempus voveant orationem, eleemoſynam, corporis caſtigationem, quoties relapſi fuerint.

QUÆSTIO III.

(47) *Quæ, quanta & qualis ſit obligatio voti?*

D. 1. Votum obligat ſub peccato ex genere ſuo mortali contra religionem. 1. pars eſt de fide; nam (a) *diſplicet Deo infidelis promiſſio.* De viduis, quæ continentiæ votum violaverant, dicit Apoſtolus (b) *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Deinde* ad fidelitatem pertinet, ut ſolvat quis, quod promiſit. *Prob. ſecunda pars:* materia voti poteſt

(a) *Eccli.* 5. *v.* 3. (b) 1. *Tim.* 5. *v.* 12.

teſt eſſe gravis ; ſed votum eſt quaſi lex quædam privata, quam ſibi quis imponit : ergo ſicut aliæ leges per ſe obligant pro gravitate materiæ, ita & votum. Licet igitur fidelitas ſecundum ſe obliget tantum ſub veniali, dum tamen conſtituitur in materia alterius virtutis obligantis ſub mortali (qualiter conſtituitur per votum in materia religionis) obligat proportionate ad materiam virtutis, ad quam tranſit.

D. 2. Ut votum in individuo obliget ſub mortali, requiritur 1. *materia gravis* capax obligationis gravis ſaltem ex circumſtantiis : 2. *intentio voventis* ſe obligandi ſub mortali vel ſaltem juxta capacitatem materiæ ; hinc in materia levi non poteſt ſe obligare graviter, & in materia gravi poteſt, ſi ita expreſſe velit, ſe obligare tantum ſub veniali vel etiam ſub ſola pœna : ſicut in ſimili dictum eſt *de legibus* (a), ideoque obligatio voti principaliter pendet ab intentione voventis, & juxta illam eſt æſtimanda. Excipe *votum ſolemne ;* quia hoc utpote mutans ſtatum perpetuo, inſtitutum eſt ſub peccati mortalis obligatione, teneturque vovens ſe conformare intentioni Eccleſiæ per Prælatum votum acceptantis ſub gravi obligatione, alias erit nullum. Simile eſt in matrimonio carnali.

Reſ. 1. Materia reſpectu voti cenſetur gravis, quæ eſt talis reſpectu legis divinæ vel Eccleſiaſticæ ; unde votum de confeſſione, communione, Miſſa audienda, ſervando jejunio unius diei, &c. cenſetur materia gravis. Econtra votum recitandi quinquies Pater & Ave, Lytanias Lauretanas, dandi pauperibus aliquot obulos, &c. non cenſetur materia gravis.

Reſ. 2. Si voviſti quotidie aliquot Pater & Ave, quamvis intenderis te graviter obligare, eſt obligatio levis ; quia materia eſt incapax obligationis gravis ;

O 2 econ-

(a) *Part. I. Tract. I. Diſſ. 3. Q. 7.*

econtra mortificatio V. G. viſus erga certam perſonam ob periculum labendi, eſt materia & obligatio gravis.

Reſ. 3. Niſi de mente voventis aliud conſtet, præſumitur voviſſe ſecundum communem ſenſum verborum, & materiam promiſſam, eamque velle exequi, prout ejus natura & communis hominum vel Eccleſiæ conſuetudo accipit; qui enim nihil excipit, cenſetur ſe communi uſui accommodare. Quando autem verba ſunt ambigua, vel de mente voventis non ſatis conſtat, prout ſæpiſſime contingit, obligatio voti extendenda eſt, quantum uſitata & propria verborum ſignificatio patitur; votum enim, cum ſit lex quædam privata: eſt ejusdem interpetationis, uti leges.

Reſ. 4. Vovens jejunare in vigilia V. G. Purificationis, ſi incidat in feriam ſecundam, poteſt & debet jejunare Sabbato præcedente. Vovens per annum jejunare quotidie, non tenetur jejunare diebus dominicis, attamen abſtinere a carnibus; quia ſic obligat lex Eccleſiæ de jejunio. Vovens recitare Roſarium tenetur ad tertiam tantum partem pſalterii, ſive quinque decades. Vovens quotidie Miſſam ſatisfacit die Feſto audiendo unam. *Vide de legibus* (a).

Reſ. 5. Vovens virginitatem tenetur ad perpetuam caſtitatem, etiam amiſſa virginitate; quia hæc verba: *voveo virginitatem* juxta vulgarem acceptionem idem ſignificant, ac *voveo caſtitatem*, niſi de contraria intentione aut conſtet, aut fundate præſumatur; quia intentio voventis eſt anima voti, ſicut intentio legislatoris anima legis; unde ſi tantum intenderit conſervationem clauſtri virginalis, illo per peccatum fracto ad nihil ultra tenetur.

(48) *Reſ.* 6. Qui vovet non determinando tempus V. G. voveo deinceps ſervare caſtitatem, jejunare diebus Veneris &c. cenſetur facere votum perpetuum.

Reſ.

(a) *Part. I. Tract. I. Diſſ.* 3. *Q.* 8.

Reſ. 7. Qui vovit aliquid ſine certa quantitate & qualitate, poteſt hinc præſtare (a) id quod plerumque præſtant timorati, non ſit tam parum, ut cenſeatur, potius illudere, quam votum ſolvere; ut: ſi V. G. dives pro eleemoſyna, quam vovit, daret obulum, aut conſuetudo vel circumſtantiæ perſonæ aliud exigant. Sic vovens dare calicem, tenetur dare argenteum; quia non ſolent calices confici ex viliori materia, niſi ob magnam paupertatem. Vovens dare vinum pro ſacrificio deberet dare, quale ordinarie adhibetur, nec ſatisfaceret dando viliſſimum.

Reſ. 8. Qui vovit rem ſine certo loco V. G. ingredi religionem S. Benedicti, ſatisfacit intrando quodcunque monaſterium iſtius ordinis; ſi non recipiatur in uno, debet inſtare in alio. Attamen ſufficit adire aliquot loca non nimis diſſita, & ſatisfacit voto, ſi, poſtquam ingreſſus eſt, dimittatur, aut egrediatur ſaltem ex rationabili cauſa, qualis eſt gravis & diuturna infirmitas &c., quia ad plus non cenſetur ſe obligaſſe.

Reſ. 9. Qui vovit religionem aut Sacros Ordines ſuſcipere, vi voti obligatur ad caſtitatem; quia vovit ſtatum, cui annexa eſt caſtitas; ergo vi voti tenetur ad caſtitatem.

Reſ. 10. Qui vovit alere pauperem, & Pater ipſius caſualiter factus eſt egenus, non ſatisfacit alendo Patrem; quia cenſebatur velle aliquid, ad quod non tenebatur jure naturæ; atqui alere Patrem tenetur de jure naturæ; ſatisfacit tamen, ſi alat pauperem cognatum.

Reſ. 11. Qui vovit quotidie aliquid dare pauperibus, ſi hodie non det, tenetur illud dare cras duplo; quia hæc fuit intentio rationabiliter præſumpta.

(a) *Part. I. Tract. I. Diſſ.* 4. *Q.* 7.

Reſ. 12. Qui vovit peregrinari ad aliquem locum, ſi poſtea conductus ſtipendio eo peregrinetur pro alio, aut etiam negotiorum cauſa, ſatisfacit pro voto; quia ſic præſumitur intentio voventis, & adhuc ex priori intentione vere peregrinatur eo. Oppoſitum eſt verius, quod cenſeatur voviſſe laborem itineris diſtinctum ab alio quocunque titulo debito.

Reſ. 13. Qui ad recuperandam V. G. ſanitatem per merita S. Antonii vovit ſe procuraturum, ut fæmina pauper ſervet novenam, ſi fæmina, accepta pecunia, eam negligat, non tenetur vi voti conſtituere aliam. Idem eſt, ſi voveat curare Miſſam, & ſtipendium dederit; quia, quantum eſt de ſe, curavit, ut fieri ſolet.

Reſ. 14. Qui vovit materiam parvam quotidie implendam, eamque multo tempore omittit, an hæ materiæ coaleſcant, & ille peccet graviter inprimis ſpectanda eſt intentio voventis, deinde ſi votum ſit perſonale V. G. voviſti orare quotidie quinque Pater & Ave, cenſetur affixum diei, nec coaleſcere; ideoque non peccas graviter, ſi ſæpius omittas niſi adſit contemptus: ſi vero ſit reale de danda V. G. indies parva eleemoſyna, alendo paupere ſtudioſo, cenſetur coaleſcere in materiam gravem fere ſicut furta minuta, quamvis major omnino materia requiratur ad mortale.

Reſ. 15. Qui vovit diſparata V. G. Roſarium, eleemoſynam, jejunium ob eundem finem proximum, peccat graviter, ſi ex omnibus tantum omittat, ut ſimul juncta cenſeantur aliquod grave: ſecus ſi vovit, ob diverſos fines; tunc enim erit veniale tantum, ſi pauca etiam eadem die ex omnibus omittat.

Reſ. 16. Si votum ſit de omittenda actione, toties peccatur, quoties actio ponitur V. G. quoties comedit carnes per diem, qui vovit jejunium; tale enim

votum

votum habet ſe ut præceptum negativum, ſecluſa ſemper alia intentione voventis.

Reſ. 17. Qui vovit non amplius ludere chartis, vel non bibere vinum, obligatio colligenda eſt ex intentione & motivo voventis (a).

Reſ. 18. Omnes transgreſſiones votorum qua tales in quacunque materia ſunt ejusdem ſpeciei; quia ſunt oppoſitæ eidem virtuti religionis in ratione perfidiæ, quæ eſt irreligioſitas contra fidelitatem Deo debitam, ideoque omiſſio ſacri & jejunii voto promiſſi ſunt peccata tantum numero diſtincta, & ſufficit confiteri: bis in re gravi violavi votum, niſi accedat aliud præceptum, V. G. ſi materia voti eſt aliunde præcepta; tunc enim eſt duplex ſpecie peccatum. *Denique*

Reſ. 19. Quem pœnitet voti facti, ſi adhuc implere intendat, non peccat, præſertim ſi minus caute vovit, votumque ei plus periculi, quam fructus afferat; quia votum tantum obligat ad præſtandum, quod promiſſum eſt, non ad approbandum votum.

(49) *D.* 3. Non poteſt vovens vota perſonalia aut mixta ex ea parte, qua perſonalia ſunt, implere per alium, poteſt tamen realia & mixta ex parte, qua realia ſunt. *Ratio eſt* ipſa natura voti realis & perſonalis.

Reſ. 1. Qui vovit peregrinationem cum dono, ſi fiat impotens ob debilitatem, excuſatur a peregrinatione etiam per alium facienda, nec tenetur ſumptus peregrinationis conferre in pios uſus; hi enim ut quid acceſſorium ſequuntur principale: tenetur tamen mittere donum.

O 4 *Reſ.*

(a) *Vide Part. I. Tract. II. Caſ. in quibus detur parvitas materiæ, de peccatis.*

Reſ. 2. Spoliatus bonis non tenetur procurare, ut alii votum ejus reale impleant, nec tenetur ad illum finem eleemoſynam petere, vel laborare, ſi antea non ſolebat, quia non præſumitur voviſſe de bonis acquirendis, ſed de iis, quæ ante ſpoliationem poſſidebat. Tenetur tamen ad tantum, quantum poteſt : obligatio enim voti eſt diviſibilis.

Reſ. 3. Hæredes non tenentur ad vota perſonalia defuncti, niſi ſponte ſuſceperint obligationem, aut hæres non neceſſarius ſub ea conditione ſit inſtitutus ; tenentur tamen ad realia & mixta ex ea parte, qua realia ſunt, ſecundum vires hæreditatis, & ſalva legitima hæredis neceſſarii. Dixi : legitima ; hæc enim eſt jure debita, ideo non tenetur ex ea perſolvere vota ; ſicut enim ſuccedunt in jura & bona realia, ſic & in onera. Interim præferenda ſunt vota legatis ; quia hæc ſunt gratioſa, illa obligatoria. Attamen nullus præter voventem obligatur ex virtute religionis ad executionem voti ; quia nullus contrahit obligationem voti, niſi habeat intentionem vovendi ; ergo ſi alii teneantur, eſt obligatio juſtitiæ vi ſucceſſionis in bona voventis, vel fidelitatis, ſi ſponte in ſe ſuſceperint.

Reſ. 4. Qui gratis in ſe ſuſcipit votum reale alterius de alendo V. G. paupere, peccat graviter non exequendo; quia eo ipſo totam alterius obligationem cenſetur ſuſcipere, adeoque ſe velle obligare ſub mortali.

Reſ. 5. Dum communitas ſe voto adſtrinxit ad jejunium V. G. vel peregrinationem, ſucceſſores ad id non tenentur vi voti, ſed interdum vi ſtatuti, aut conſuetudinis vim legis habentis, modo accedat tacita ſaltem Epiſcopi approbatio.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

(50) *Quo tempore implendum ſit Votum?*

D. Votum affirmativum, quo quis promittit aliquid facere, obligat juxta temporis determinationem; ſi nullum tempus ſit determinatum, obligat, quamprimum moraliter impleri poteſt, niſi juſta cauſa excuſet. *Ratio eſt:* quia votum induit naturam legis. Deinde (a) ***Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, ſi moratus fueris, imputabitur tibi in peccatum:*** & (b) ***in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.*** Datur autem in dilatione parvitas materiæ, modo votum dein adhuc impleri poſſit.

Reſ. 1. Si votum ex intentione voventis vel natura voti ſit affixum diei (quod cenſetur eſſe, dum tempus deſignatur ob ſpecialem devotionem talis temporis, ob aliquem Sanctum vel myſterium, quod tunc recolitur) obligatio ceſſat cum illo die, adeoque non teneris poſtea ſupplere, etſi culpabiliter omiſeris, nec teneris prævenire, ſi impedimentum prævideas; quia ad id te non obligaſti, nec ſolet eſſe hæc intentio voventis. Si autem tempus ſit ſtatutum non ratione ſui, vel ſpecialis devotionis erga Sanctum, non cenſetur affixum tempori: ideoque non tantum peccat omittens, ſed & tenetur adhuc ex poſt implere, quamprimum commode poteſt. Hinc

Reſ. 2. Omittens jejunare, Miſſam audire, Roſarium recitare &c. die præfixo in honorem B. V. aut alicujus Sancti, peccat graviter, ſi eo die non faciat, ſed ab obligatione liberatur; quia onus diei affixum.

(a) *Deuteron.* 23. *v.* 21.
(b) *R. J.* 14. *ff. de Reg. J.*

Reſ. 3. Qui vovit quotidie recitare Roſarium, ſi omittat una die, non tenetur ſequenti recitare duo. Qui vovit jejunare ſemel in hebdomada per annum, ſi omittat una hebdomada, non tenetur bis jejunare altera &c.; quia in his & ſimilibus res promiſſa affigitur tempori. Contrarium eſt de votis realibus: quia res Deo debita ſemper manet, niſi ſolvatur. Econtra

Reſ. 4. Qui vovit intra annum ingredi Religionem, jejunare ſequenti hebdomada, confiteri ſequenti menſe, &c. Hoc tempore elapſo adhuc tenetur: quia non intenditur tempus principaliter & ratione ſui, ſed cenſetur tantum deſignari, ne ultra differatur voti executio.

Reſ. 5. Ubi nullum eſt tempus determinatum, non peccat, qui differt votum ſub ſpe fundata illud commodius, utilius & præſertim devotius implendi: ut ſi voverit peregrinationem, & exſpectet peregrinationem publicam, quæ illuc fieri ſolet: ſi voverit ingredi Religionem, & exſpectet, donec ætate, viribus aut doctrina proficiat, ad munia religionis aptior futurus.

Reſ. 6. Ad peccatum mortale major requiritur dilatio, & minor ſufficit cauſa excuſans in iis votis, quæ nullam ex dilatione patiuntur diminutionem: ut roſarium, jejunium &c. quam in iis, quæ patiuntur, ut eſt ingreſſus religionis; quo enim magis differt, minus in ea vivit.

Reſ. 7. Adoleſcens ſedecim annorum vovens ingreſſum religionis ſine ulla temporis determinatione, non peccat graviter, ſi ad duos vel tres annos ſine cauſa differat; quia non eſt præſumendum renuntiaſſe conſueto modo & tempori aſſumendi illud vitæ genus.

Reſ. 8. Si voviſti ſingulis menſibus confiteri, potes ex aliqua cauſa per duos aut tres dies differre, imo ſi intra octo dies poſt menſem ſequeretur feſtum ſolemne,

lemne, & ægre bis intra octiduum confitereris, potes eousque differre ex conſilio Confeſſarii.

Reſ. 9. In votis, quæ patiuntur diminutionem ex dilatione temporis, ſtandum eſt judicio prudentis V. G. Confeſſarii: in aliis autem, quæ nullam ex dilatione patiuntur diminutionem ſecluſo periculo omiſſionis propter oblivionem vel impedimentum futurum, quantalibet dilatio, etiam ſine cauſa, non excedit culpam venialem, quia adhuc totum dat, quod promiſit, & nullum damnum ex dilatione patitur Deus. Hæc ſententia vere probabilis obviat multis ſcrupulis. Interim videtur probabilius adhuc eſſe mortale, ſi ſine cauſa ad plures annos differat; quia in eo videtur gravis deordinatio.

QUÆSTIO V.

(51) *Qualiter obliget Votum conditionatum & pœnale?*

D. 1. Votum conditionarum non obligat niſi conditione impleta.

Reſ. 1. Voviſti ingredi religionem, ſi pater egenus tua ope indigens moriatur; pater inopinate fit dives, nec tua ope indiget, non teneris ingredi religionem; quia tua intentio fuit alligata huic, non alteri conditioni. Si tamen non tam conditionem, quam facultatem intenderis, utique teneris; jam enim facultatem habes. Et hoc tenendum eſt in praxi; quia videris mortem Patris intendiſſe, ſecundum quod erat ſublevatio paupertatis.

Reſ. 2. Qui vovit conditionate, tenetur 1. ſervare propoſitum implendi votum, ſi conditio purificetur. 2. Se non reddere impotentem ad ejus executionem, quamdiu eventus conditionatus ſperatur futurus V. G. non contrahere matrimonium, qui ſub conditione adhuc

huc pendente vovit ingredi religionem. Sic qui vovit religionem, ſi recuperet ſanitatem, peccat ineundo matrimonium, quamdiu ſpes eſt recuperandæ ſanitatis; aliud eſt, ſi conditio pendeat a libera voluntate voventis; hinc vovens ingredi religionem ſi intra annum ſe inebriaverit, poteſt non exſpectato conditionis eventu matrimonium inire; quia ſic cenſetur eſſe intentio voventis, ut, dum eventus conditionis a vovente non dependet, cenſeatur ſe obligaſſe ad illum exſpectandum, ſecus in ſecundo. Tenetur 3. per vim vel fraudem non impedire conditionis eventum, V. G. voviſti ingredi religionem, ſi pater conſentiat, potes quidem rogare patrem, ut non conſentiat, uteris enim jure tuo: non tamen vi aut fraude uti: tum quia non relinquis patri liberam voluntatem, ex qua tamen tuum votum pendere voluiſti; tum quia fraus aut dolus nemini patrocinatur, & vovens conditionate obligat ſe tacite ad non impediendum modo illicito impletionem conditionis.

Reſ. 3. Hæc conditio; ſi pater conſenſerit attento uſu communi habet hunc ſenſum: ſi pater non ægre ferat, ſi non contradicat; hinc ſi pater moriatur, antequam interrogetur, cenſetur impleta: ſi interrogatus taceat, ad alia ſigna recurrendum eſt, quia taciturnitas in quibusdam eſt ſignum conſenſus, in aliis animi indigne ferentis: ſi primo contradixerit, & paulo poſt conſentiat, votum videtur obligare; jam enim fieri poteſt ſine offenſa patris, quam evitare voluit.

Reſ. 4. Titius vovit: ſi religionem amplectar, erit Carthuſiana, modo cuperet ingredi laxiorem, ſed timet votum; quid conſilii? ℞. debet petere diſpenſationem voti, qua facta poteſt religionem mitiorem ingredi.

D. 2. Votum pœnale obligat poſita culpa, alias non. *Ratio eſt:* quia votum ſequitur intentionem voven-

voventis, hæc autem talis eſt, ut poſita culpa obliget, alias non. Hinc

Reſ. 1. Non tenetur vovens ad pœnam, ſi actus, quem ſibi interdixit, non ſit culpabilis, aut levis etiam ex inadvertentia, niſi votum fuiſſet emiſſum ad tollendam malam conſuetudinem; tunc enim includi ſolent actus ex inadvertentia leves.

Reſ. 2. Siquis voveat ſub pœna ſine determinatione numeri V. G. jejunabo, ſi me polluero, viſitabo limina Apoſtolorum, ſi adulterium commiſero, ſi pœna ſit moderata & ſæpe repetibilis (ut eſt in primo caſu) tenetur ad pœnam toties, quoties &c. Si vero pœna ſit nimis gravis (ut eſt in ſecundo caſu) tunc tenetur tantum ſemel, licet ſæpius fecerit. *Ratio utriusque eſt*, quia hæc videtur eſſe intentio voventis.

QUÆSTIO VI.

(52) *Quomodo ceſſet votum per irritationem?*

N. Votum generaliter ceſſat ab *in - & extrinſeco. Ab intrinſeco* ceſſat 1. *ob mutationem* materiæ, ſi hæc ex poſſibili fiat impoſſibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens V. G. voviſti non ingredi domum ob periculum certæ perſonæ, ſi hæc diſcedat, ceſſat votum. 2. *Per ſupervenientem quamdam notabilem mutationem*, aut ſpecialem caſum, quem ſi vovens prævidiſſet, excepturus fuiſſet. Si tamen major difficultas vel mutatio non oriatur ex ipſa re, regulariter manet obligatio V. G. voviſti caſtitatem, quæ ob pravum habitum facta eſt difficillima, aut etiam periculoſa, non excuſaris a voto; potes enim & teneris habitum illum corrigere. 3. Ceſſat *ob ceſſationem cauſæ principalis & finalis*, idque vel in perpetuum, vel ad tempus. 4. *ob lapſum temporis. Ab extrinſeco* ceſſat votum 1. *per irritationem*, quæ eſt annullatio,

tio, vel ſaltem ſuſpenſio obligationis ex voto contractæ facta ab habente poteſtatem dominativam vel in perſonam, vel in materiam voti; vota enim eorum, qui alteri ſubduntur ſive quoad voluntatem, ſive quoad materiam voti, emittuntur ſub hac conditione tacita: *ſi Superior conſenſerit*, vel *niſi contradicat.* 2. *Per diſpenſationem*, quæ fit authoritate Superioris nomine Dei. 3. *Per commutationem*, per quam obligatio voti transfertur ab una materia in aliam.

(53) *D.* Omnis & ſolus Superior habens poteſtatem dominativam poteſt irritare vota ſubditorum ob præfatam conditionem tacitam. Hinc

Reſ. 1. Papa poteſt irritare vota omnium fidelium; nam habet in omnes poteſtatem dominativam.

Reſ. 2. Poteſt irritare vota omnium Regularium: eſt enim verus omnium Prælatus, ſicut & Epiſcopus reſpectu ſibi ſubjectorum non exemptorum.

Reſ. 3. Prælati Regularium poſſunt irritare vota ſuorum ſubditorum. Sub his comprehenduntur Generales pro toto Ordine, Provinciales pro Provincia, Priores, Guardiani, Rectores pro ſuis reſpective Conventibus, (ut vult *Henno*) in eorum abſentia per diem naturalem Priores in Abbatia, Præſidentes aut Vicarii apud Minores, Miniſtri in Societate, modo nulla fraus interveniat; item Abbatiſſæ, Prioriſſæ, Matres &c. ſi pauca vota excipiantur; nam 1. non poſſunt irritare votum transeundi ad religionem ſtrictiorem, ex ſpeciali juris diſpoſitione. 2. Nil poſſunt in iis, quæ proxime concernunt vota eſſentialia; attamen ſicut poteſt Religioſus ſponte jejunare, privatim orare &c. ſic & ad hoc per votum ſe obligare, donec Superior contradicat.

Reſ. 4. Prælati Regulares non poſſunt irritare vota Novitiorum ſive in Novitiatu, ſive ante emiſſa; quia Novitii nondum ſunt per votum obedientiæ ſubjecti pote-

poteſtati dominativæ Superiorum; quia tamen vi privilegiorum in favorabilibus reputantur Religioſi, poſſunt cum eis in votis diſpenſare, poſſunt etiam vota eorum perſonalia ſuſpendere, quatenus eorum gubernationi & probationis exercitiis ſunt impedimento. Quodſi Novitius profiteatur, omnia vota ipſo facto commutantur in vota ſolemnia religionis; profeſſio enim religioſa omnia obſequia particularia quaſi eminenter continet. Si vota illa novitiorum ſint facta ante annos pubertatis, poſſunt irritari a Prælatis regularibus; hi enim loco parentum & tutorum ſuccedunt.

Reſ. 5. Pater poteſt irritare omnia vota perſonalia filiorum impuberum, ſive ſint implenda in impubertate, ſive poſt, imo & votum religionis, ſicut & votum de peculio caſtrenſi vel quaſi-caſtrenſi. *Ratio eſt:* quia ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; nec pater privatur illa poteſtate poſt filii pubertatem, ſi ille factus pubes vota ſciens eſſe infirma non ratificaverit; quia manet eadem ratio, quod fuerint emiſſa in illa ætate, in qua expediebat, ut alienæ voluntati ſubjiceretur in aſſumendis obligationibus.

Reſ. 6. Non poteſt pater irritare vota perſonalia filiorum puberum, poteſt tamen realia emiſſa ante annum ætatis vigeſimum quintum, niſi ſint de bonis caſtrenſibus, vel quaſi-caſtrenſibus, aut adſit venia ætatis. *Ratio primi eſt:* quia filius pubes cenſetur ſatis diſcretus ad vovendum, & ideo ſtat irrevocabiliter votum religionis, jejunii, communionis, &c. Non tamen votum, quod obeſt regimini aut adminiſtrationi paternæ. *Ratio ſecundi eſt*, quia ante annum vigeſimum quintum non habet bonorum diſpoſitionem.

Reſ. 7. Eadem eſt poteſtas tutoris reſpectu pupilli, & curatoris reſpectu minorennis, qualis eſt patris reſpectu filii.

Reſ.

Reſ. 8. Mater, præſente patre aut avo ex parte patris, tutore aut curatore, ſi pater ſit mortuus, nil poteſt in vota filiorum, jure ſic diſponente; niſi ſimul facta ſit nutrix.

Reſ. 9. Omnia vota uxoris tempore matrimonii emiſſa poſſunt a marito irritari, ſi præjudicent familiæ, prolibus, debito conjugali, alias non; quia in his ſubjacet uxor marito: ante matrimonium emiſſa poteſt ad ſummum ſuſpendere. Poteſt etiam uxor irritare vota mariti uſui matrimoniali aut mutuæ cohabitationi nociva. V. G. abſtinentiam immoderatam, preces continuas, longam peregrinationem &c. etiam poteſt irritare votum mariti de non petendo debito; quia hoc cedit in præjudicium uxoris præ verecundia debitum petere non audientis; non econtra, propter diverſam rationem uxoris & mariti.

Reſ. 10. Si maritus & uxor ex mutuo conſenſu emittant votum continentiæ, illud ſibi irritare non poſſunt, quia ceſſerunt juri ſuo.

Reſ. 11. Poſſunt domini irritare vota ſervorum, quæ obſtant eorum obſequiis, non alia.

Reſ. 12. Superior ipſemet non poteſt irritare proprium votum, aut alteri irritandum committere; quia irritatio fundatur in hoc, quod votum emittatur ſub conditione: ſi Superiori placuerit, nemo autem poteſt votum emittere ſub conditione proprii conſenſus. Aliud eſt de diſpenſatione, quæ fit nomine Dei.

Reſ. 13. Si Superior dubitet, an votum ſit irritabile, an emiſſum vel confirmatum tempore ſubjectionis, videtur poſſe irritare; manet enim in poſſeſſione poteſtatis.

Reſ. 14. Ut votum irritetur *valide*, nulla requiritur cauſa; quia votum inferioris emittitur ſub tacita conditione conſenſus Prælati, ergo ubi ille diſſentit ſive cum, ſive ſine cauſa, votum evaneſcit. Ut irri-

tetur

detur *licite*, videtur requiri aliqua cauſa; quia tenetur ſuperior uti poteſtate ſibi commiſſa ad Dei gloriam, quantum rationabiliter poteſt, ſufficit tamen cauſa levis; unde & irritare, & irritationem petere ſine gravi cauſa eſt veniale tantum in re levi.

Reſ. 15. Si votum ſit emiſſum conſentiente Superiore, adhuc valide irritatur ab eodem ſuperiore; quia retinet poteſtatem dominativam in ſubditum: juxta communiorem tamen tunc peccat graviter ſine juſta cauſa irritando votum in materia gravi; quod tamen alii probabiliter negant.

Reſ. 16. Vota ſemel abſolute irritata nunquam reviviſcunt; quia irritatio eſt extinctio obligationis voti. Quæ vero tantum ſunt ſuſpenſa, reviviſcunt, dum vovens eſt ſui juris; quia tunc obligatio non extinguitur, ſed ſuſpenditur ratione materiæ, quæ eſt alteri obligata; hinc vota Religioſorum, & impuberum irritata non reviviſcunt; econtra reviviſcunt vota uxorum aut ſervorum a marito aut domino irritata, vel potius ſuſpenſa, diſſoluto matrimonio, aut finito ſervitio.

QUÆSTIO VII.

(54) *Quisnam poſſit diſpenſare in voto?*

D. 1. Diſpenſatio voti eſt *ablatio vinculi voti facta nomine Dei ab habente jurisdictionem ſpiritualem in foro externo.* Poteſtas diſpenſandi in votis competit *Papæ* pro tota Eccleſia: *Epiſcopo confirmato*, etſi nondum conſecrato, pro ſua Diœceſi: *Nuntio Apoſtolico* pro ſua Provincia: *Prælatis majoribus* Ordinum Religioſorum reſpectu ſuorum, quales ſunt Generales & Provinciales Ordinum Exemptorum, & quidam Abbates. De Papa tanquam ſucceſſore Petri conſtat ex Script. (a) *Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum &* in

(a) *Matth.* 16. *v.* 13.

in cœlis. De Epiſcopis tanquam Succeſſoribus Apoſtolorum conſtat ex illo (a): *quœcunque ſolveris &c.* Nuntiis Apoſtolicis poteſt Papa ratione plenitudinis ſuæ jurisdictionis, & ſolet hanc facultatem delegare. Prælati majores Regularium habent jurisdictionem quaſi-Epiſcopalem etiam in foro externo. Cum Religioſis exemptis diſpenſare poſſunt eorum Superiores locales.

D. 2. Confeſſarii Ordinum mendicantium tam inquam extra ſuas Eccleſias poſſunt in foro conſcientiæ tantum diſpenſare ex privilegio in omnibus votis etiam juratis ſæcularium, in quibus de jure ordinario poſſunt diſpenſare Epiſcopi, modo ſint ab Ordinario approbati, & a ſuis Superioribus ad audiendas ſæcularium Confeſſiones deputati. Ita conceſſum dicitur a variis Summis Pontificibus; ſed revera dubium manet, an privilegia, quæ revocata non ſunt, facultatem dent diſpenſandi, cum de ſola commutatione loquantur; hinc in praxi commutatio, non diſpenſatio fiat mu'ta enim privilegia, quæ jactantur ut certa, aut dubia ſunt, aut revocata.

Reſ. 1. Si votum principaliter ſit factum in favorem tertii V. G. pauperis alendi, & ab illo acceptatum; nec diſpenſatione, nec commutatione tolli poteſt absque conſenſu illius, in cujus favorem factum eſt; tunc enim jus acquiſivit: poteſt tamen irritari ab eo, qui poteſtatem irritandi habet.

Reſ. 2. Abbatiſſæ licet poſſint vota ſubditarum irritare poteſtate dominativa ex voto obedientiæ orta, diſpenſare tamen non poſſunt; quia non habent jurisdictionem ſpiritualem.

Ob. Obſervare votum eſt de lege naturæ, ſed in hac non poteſt diſpenſare Eccleſia; ergo. ℞. 1. ergo nec votum irritari poteſt. ℞. 2. *d.* eſt de lege naturæ durante voti obligatione *c.* hac ceſſante. *n.* Diſpenſatio

(a) *Matth.* 18. *v.* 18.

tio autem tollit obligationem voti; quam diſpenſans nomine Dei remittit.

(55) *D.* 3. Ad diſpenſandum in voto valide & licite, requiritur juſta cauſa. *Prob.* Diſpenſans non agit ut Superior nomine proprio, ſed ut inferior nomine Dei; ſed Deus non cenſetur velle ratam habere diſpenſationem ſine iuſta cauſa factam; ergo

Reſ. Cauſæ diſpenſandi ſunt: 1. *imperfectio actus*, ac minus perfecta deliberatio voventis, aut dubium de illa ob teneram ætatem, paſſionem triſtitiæ, metus &c. 2. *Valde magna votum exequendi difficultas.* 3. *Damnum ſpirituale vel corporale* proveniens occaſione voti, ut ſi voto caſtitatis ligatus ſæpe labitur ex fragilitate, ſi ob votum multis angitur ſcrupulis &c. 4. *Bonum commune reipublicæ*, aut *familiæ*, ut ſiquis voviſſet longas peregrinationes, cum præſtaret ipſum reipublicæ, aut familiæ adeſſe &c. Quo majus autem & arctius eſt votum, eo major requiritur cauſa diſpenſandi, & ſi una ſola non ſufficiat, ſufficiet conjuncta cum aliis: quia autem ordinarie non ſatis conſtat de ſufficientia cauſæ, hinc merito ſuadetur, ut diſpenſationi miſceatur commutatio in aliud opus etiam tranſitorium ſaltem; cum enim per commutationem aliud ſubſtituatur, minor ad hanc ſufficit cauſa, & ſic ſolet facere Papa.

(56) *D.* 4. Reſervatio quinque votorum, de quibus ſupra (a), comprehendit tantum vota proprie dicta, omnino libera, perfecta, graviter obligantia, determinata, integra, certo valida, & ea quoad ſubſtantiam tantum, non quoad circumſtantias; cum enim ſit odioſa reſervatio, eſt ſtricte interpretanda, & ad vota ex omni parte perfecta reſtringenda.

Reſ. 1. Non eſt reſervatum votum metu injuſto etiam levi extortum; quia non eſt perfecte liberum.

 Reſ. 2.

(a) *Num.* 14.

Reſ. 2. Non eſt reſervatum votum caſtitatis ad tempus, nec votum caſtitatis conjugalis, nec votum non nubendi, non fornicandi, non ſe polluendi; quia non eſt de caſtitate integra & ſimpliciter dicta, nec votum virginitatis præciſe, *de quo ſupra.*

Reſ. 3. Votum ingrediendi Religionem ſtrictiorem non eſt reſervatum quoad hanc circumſtantiam, & poteſt diſpenſari, ut laxiorem ingrediatur, vel in ea permaneat, ſi ſit religioſus.

Reſ. 4. Votum peregrinandi Romam pedibus, vel mendicando, poteſt diſpenſari quoad has circumſtantias, ut fiat equo, curru, &c.

Reſ. 5. Si ſit factum ex alio motivo, quam devotionis V. G. ad obtinendam abſolutionem a peccatis, non eſt reſervatum.

Reſ. 6. Reſervatum non eſt votum pœnale V. G. voveo religionem, ſi hoc vel illud peccatum commiſero; quia non eſt votum perfectum; proprie enim non eligit religionem, ſed potius eam refugit velut pœnam, per quam vult ſe a peccato deterrere.

Reſ. 7. Pariter reſervatum non eſt votum conditionatum V. G. voveo religionem, ſi convaluero, ſi periculum evaſerim, etiam poſt impletam conditionem; quia principaliter non movet ratio virtutis, ſed amor alterius boni, vel timor mali: nec eſt plene voluntarium: idque licet ex poſt ſit confirmatum, quia confirmatio cadit ſuper idem votum, prout ab initio factum, niſi nunc eſſet editum independenter a primo voto.

Reſ. 8. Neque reſervatum eſt votum disjunctivum, cujus altera pars non eſt reſervata, V. G. voveo peregrinari Romam, vel jejunare per menſem; quia in alternativis debitoris eſt electio, idque licet altera pars fieret impoſſibilis; ſecus, ſi utraque pars ſit reſervata, V. G. voveo caſtitatem vel Religionem.

Reſ. 9.

Reſ. 9. Votum dubium, an ſit validum, an reſervatum &c. ſive ſit dubium facti, ſive juris, juxta graves Theologos plerumque non eſt reſervatum.

Reſ. 10. Si votum reſervatum commutetur in aliud non reſervatum, hoc non fit reſervatum, nec enim in odioſis tenet regula: *ſubrogatum induit naturam illius, cui ſubrogatur.*

(57) *D.* 5. In votis Papæ reſervatis urgente gravi neceſſitate & non patente ſaltem tam cito recurſu ad Papam, per accidens diſpenſat Epiſcopus. Gravis neceſſitas cenſetur, ſi ſit periculum incontinentiæ contracto V. G. matrimonio: ſi hoc ſine gravi infamia non poſſit differri &c.; quia præſumi non poteſt, quod Papa poteſtatem diſpenſandi in bonum animarum a Deo conceſſam velit tunc eſſe reſervatam, & quia poteſtas diſpenſandi tunc Epiſcopis eſt quaſi ordinaria: vel enim vota tunc non ſunt reſervata, vel per conſuetudinem competit illis vi officii. Hinc docent aliqui etiam tunc poſſe diſpenſare Regulares privilegiatos.

Reſ. 1. Quamvis ſit facilis acceſſus ad Nuntium Apoſtolicum, adhuc poteſt accedi Epiſcopus; quia Nuntius vi officii non habet majorem facultatem diſpenſandi, quam Epiſcopus; ſecus ſi ſpecialem habeat circa reſervata; tunc enim adiri debet, & Pontifex adeſt in ſuo Legato.

Reſ. 2. Epiſcopus in reſervata non plus poteſt, quam præciſe requirat præſens neceſſitas; hinc ſi diſpenſet ad matrimonium, diſpenſatus peccat contra votum per alia peccata contra caſtitatem (a), ſi V. G. ſe polluat, ſi ad ſecundas nuptias tranſeat, &c. imo ipſe Papa non ſolet aliter diſpenſare in voto caſtitatis.

Reſ. 3. Quando in Jubilæo V.G. datur facultas diſpenſandi in votis, non comprehenduntur reſervata; quia quæ ſpecialiter reſervantur, debent in conceſſione

(a) *Vid. Caſ. de cauſis diſpenſationis.*

ne privilegii ſpecialiter exprimi. Si detur ad omnia vota, excepto caſtitatis & Religionis, alia tria non manent reſervata; quia exceptio firmat regulam in non exceptis.

Reſ. 4. Facultas conceſſa extendit ſe ad omnia vota etiam poſt conceſſionem emiſſa; quia favores latam patiuntur interpretationem. *Denique* licet vota reſervata non poſſunt diſpenſari, poſſunt tamen irritari ab habente poteſtatem dominativam.

QUÆSTIO VIII.

(58) *Quinam poſſint Vota commutare?*

D. 1. Quilibet authoritate propria poteſt votum ſuum commutare in evidenter melius, probabilius non in æquale, & certo non in minus. *Ratio primi eſt:* quia Deo ſemper gratius eſt, quod eſt melius, hinc pro libitu in hoc mutari poteſt, modo, *ut ſupra*, fiat ſine præjudicio tertii; ſic (a) dicitur: *Promiſſum non infringit, qui in melius illud commutat;* nec ad hoc requiritur juriſdictio. *Ratio ſecundi eſt;* quia licet materia ſubrogata ſecundum ſe eſſet æque grata Deo, illi tamen magis placet conſtans animus faciendi rem promiſſam, niſi melior eligatur. *Ratio tertii eſt:* quia ut commutetur in minus, debet intercurrere diſpenſatio, quam quilibet authoritate propria dare nequit.

Obſ. Melius hic non eſt, quod in ſe eſt excellentius, ſed quod omnibus penſatis creditur Deo gratius, & quia nil eſt Deo gratius, quam ſalus animarum: hinc illud eſt Deo gratius, quod pro loco, tempore & diſpoſitione voventis magis congruit ejus ſaluti ſpirituali.

Reſ.

(a) *Cap. pervenit 2. de jurejurando.*

Reſ. 1. Qui vovit jejunium ad compeſcendos motus carnis, non poteſt propria authoritate mutare in orationem, quia licet hæc in ſe ſit excellentior, in ordine tamen ad voventem melius eſt jejunium. Quia autem homo propria commoditate ductus facile judicat eſſe melius, quod tamen non eſt, hinc non facile propria authoritate commutandum eſt votum.

Reſ. 2. Qui vovit recitare Pſalmos pœnitentiales, poteſt mutare in votum audiendi Miſſam, & ſic de aliis, adhibendum tamen in his eſt conſilium Confeſſarii prudentis.

D. 2. Vota commutare in bonum minus, & æquale poſſunt omnes, qui poſſunt diſpenſare; cui enim licet, quod eſt plus, licet etiam, quod eſt minus, in eodem genere, & qui poteſt totam obligationem tollere, poteſt & mutare in aliam, non econtra. Sic in Jubilæis ſæpe datur poteſtas commutandi, non vero diſpenſandi. Facultatem commutandi dicuntur habere Confeſſarii Regularium mendicantium ex conceſſione Pauli III. & Gregorii XIII. Societati Jeſu data. (a)

(59) *D.* 3. Ut votum commutetur in æquale, requiritur aliqua cauſa, ſed gravis V. G. major devotio, vel major difficultas in exequendo, minus periculum non præſtandi &c. Ut autem in notabiliter minus, requiritur cauſa ad diſpenſandum in parte ſufficiens. *Ratio eſt*: quia licet Deus exigente ſic utilitate animarum dederit poteſtatem commutandi vota, non tamen ſine rationabili cauſa: quia hæc eſſet irrationabilis. In Jubilæo ſufficit cauſa, ob quam Papa dat facultatem commutandi, eſtque ordinarie generalis cauſa boni communis, quæ ſufficit ad commutationem in æquale.

(60) *Reſ.* 1. Qui in Jubilæo habet facultatem commutandi, non diſpenſandi, debet commutare in æquale;

(a) *Vid. quæſt. præcedent. D.* 2.

le; ſi enim in minus commutet, intervenit diſpenſatio.

Reſ. 2. Qui ſine juſta cauſa votum commutat in notabiliter minus V. G. jejunium in quinquies *Pater & Ave*, facit invalide, & peccat graviter; attamen ſicut non oportet eſſe nimis laxum, ſic nec nimis rigidum.

Reſ. 3. Sufficit æqualitas moralis, in qua paulo minus pro nihilo reputatur; eſt enim commutatio ſimul actus benevolentiæ in aliqualem alleviationem voventis; hinc hoc ipſo, quod prudenter dubites, an ſit æqualitas, cenſetur parvus defectus, & ſic potes commutare.

Reſ. 4. Attendi hic debet, quid attento fine voventis magis conducat ad ejus ſalutem & DEI gloriam; hinc, qui vovit V. G. flagellationem in remedium caſtitatis, melius erit commutare in jejunium, quam orationem. Sæpe congruit mutare vota in frequentationem Sacramentorum, quibus efficacius CHRISTI merita applicantur, & gratia confertur.

Reſ. 5. Quamvis convenienter commutentur vota perſonalia in perſonalia, realia in realia, perpetua in perpetua, non eſt tamen neceſſe ſic ſemper facere.

Reſ. 6. Pro facilitanda praxi juniorum Viri docti ponunt aliqua exempla. 1. Peregrinatio poteſt mutari in aliquot viſitationes unius vel alterius Eccleſiæ non adeo diſtantis cum obligatione dandi pauperibus expenſas, quas in itinere facere debuiſſet, deductis tamen expenſis domi faciendis. 2. Votum jejunandi omnibus feriis ſextis in recitationem Roſarii cum eleemoſyna iisdem diebus facienda. 3. Votum recitandi quotidie officium magnum B. V. in quotidianam Miſſæ auditionem, vel in confeſſionem & communionem hebdomadariam. 4. Votum orandi quotidie Roſarium in confeſſionem & communionem hebdomadariam. 5.

Vo-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Votum non fornicandi, non ſe polluendi in confeſſionem menſtruam per totam vitam, ſi multum proſit ad impuritatem vitandam; ſi vero non multum proſit, quia vovens ſæpe labitur, in confeſſionem menſtruam per triennium, & in roſarium ſemel quavis hebdomada usque ad annum quadrageſimum. 6. Votum ingrediendi Religionem, in confeſſionem & communionem menſtruam cum jejunio feria ſexta per totam vitam. 7. Votum non nubendi in confeſſionem & communionem menſtruam, quamdiu erit in matrimonio. Facta mutatione, interrogetur pœnitens: an mutationem poſſit ſine gravi incommodo ſuſcipere; ſi non, fiat alia.

Reſ. 7. Commutatio votorum non poteſt fieri in opera aliunde graviter præcepta, ſæpe tamen expedit fieri in opera, quæ vovens ſolet ex devotione peragere, ut ſic alacrius & conſtantius peragat.

Reſ. 8. Vota reſervata commutari hoc ipſo non poſſunt, hæc tamen & omnia alia propria authoritate, ſalvo ſemper præjudicio tertii, mutari poſſunt in votum Religionis; quia eſt de bono evidenter meliori. Si tamen ex poſt Religionem non ingrediatur, reviviſcunt: quia commutatio propria authoritate facta tantum ſuſpendit priorem obligationem usque ad executionem poſterioris voti: ſi vero legitime fiat ab alio, extinguit; hinc ſi opus ſubrogatum fiat inutile vel moraliter impoſſibile etiam ex culpa voventis, ceſſat obligatio; quia ex jure obligatio ſemel extincta non reviviſcit: poteſt tamen in utroque caſu pro libitu redire ad prius; quia commutatio voti fit in favorem voventis, cui poteſt renuntiare, & ſaltem ſic præſumitur de benigno conſenſu Dei & Eccleſiæ; hinc ſi pluries facta ſit mutatio, poteſt, quod maluerit, eligere ex conſilio Confeſſarii.

Reſ. 9. Etiam commutari poteſt pœna per transgreſſionem voti contracta V. G. voviſti non amplius lu-

dere, & quoties luderes, dare eleemoſynam, interea ſæpius luſiſti, nec eleemoſynam ullam dediſti, poteſt Confeſſarius privilegiatus impoſita pro transgreſſione pœnitentia ſalutari hoc votum, & eleemoſynas neglectas commutare in æquale, vel melius, ſi adſit cauſa gravis; quia obligatio ad pœnam eſt indirecta & minor quam ad votum. *Denique*

Reſ. 10. Votum de non petenda commutatione irritatione, diſpenſatione poteſt commutari, irritari, diſpenſari; non enim eſt reſervatum, & privata intentio voventis non coarctat authoritatem Superioris.

DISSERTATIO III.

D E

DE JURAMENTO.

QUÆSTIO I.

(61) *Quid, & quotuplex ſit juramentum? & an licitum?*

D. 1. Juramentum eſt *invocatio divini Nominis in teſtimonium alicujus rei. dr. invocatio;* hoc eſt: conteſtatio divini teſtimonii in eo ſita, quod aliquis aſſeveret ſe adeo veritatem tueri, aut aliquid tam firmiter polliceri, ut etiam Deum, qui nec falli poteſt, nec fallere, in teſtem invocet, non quidem, ut ipſe hic & nunc veritatem miraculo teſtetur, (hoc enim eſſet Deum tentare) ſed quando voluerit, ſaltem dum manifeſtabit conſilia cordium.

Reſ. 1. Ad juramentum eſſentialiter requiritur intentio invocandi Deum in teſtem ſaltem virtualis; qualis præſumitur, dum quis utitur verbis juratoriis in ſen-

ſenſu uſitato, licet expreſſe non cogitet de invocando divino teſtimonio.

Reſ. 2. Juramentum eſt actus Religionis, continetque cultum latriæ, quatenus jurans profitetur infinitam Dei ſapientiam, veracitatem, & ſupremam authoritatem ad confirmandum dictum.

Reſ. 3. Vere non jurat, qui neſcit, quid ſit jurare, ut ſæpe neſciunt rudes, qui dum ſe accuſant, quod cum mendacio juraverint per animam, per conſcientiam, per cælum &c. rogandi ſunt, an ſciverint per hæc verba vocari Deum in teſtem, & an hoc intenderint.

Reſ. 4. Innumera ſunt verba, de quibus diſputant Theologi, an verum contineant juramentum V. G. *Deus ſcit: videt ita eſſe: coram Deo loquor: quod dico, eſt Evangelium: Deus novit meam conſcientiam*, auf mein Gewiſſen, bey meiner Ehr, Treu, *fide ſacerdotali*, ſed in his omnibus ſemper attendendus eſt animus jurantis, an per hæc jurare velit, an non; ſi enim intendat Deum vocare in teſtem, vere jurat, quæcunque verba proferat etiam non juratoria, aut ſi tantum nutus edat, & ſi falſum ſit, eſt perjurium. Econtra ſi non intendat Deum vocare in teſtem, vel neſciat, quid ſit jurare, re ipſa plerumque non jurat, quæcunque verba etiam juratoria proferat.

Reſ. 5. Si de intentione jurandi dubitetur, recurrendum eſt ad communem uſum & modum loquendi; quia merito quis præſumitur verba menti conformaſſe, niſi conſtet de oppoſito. Apud Germanos hæc verba; auf mein Eid, bey meiner Seelen &c. continent juramentum; econtra hæc non continent: *certe, certiſſime, dico in veritate, ſim nequam, ſi non ita eſt, amputentur mihi ambæ aures, eſt tam verum, quam verum eſt, quod ſol luceat, quod hic ſtem &c.* quia his nec ex ſe, nec ex communi ſenſu invocatur Deus in teſtimonium veritatis-

rita-

ritatis. Hæc verba: ***Coram Deo loquor, Deus ſcit, Deus videt meam conſcientiam***, ſi proferantur enuntiative, non ſunt juramenta, ſecus ſi invocative: ſic enim invocatur Deus ut teſtis. Hæc verba apud multos uſitata: ***Quam vere Deus eſt,*** ſi non proferantur invocative, non ſunt juramentum: attamen abſtinendum eſt ab his comparationibus; ſtricte enim acceptæ continent ſpeciem blaſphemiæ; quia faciunt æqualitatem inter veritatem creatam & increatam.

D. 2. Juramentum aliud eſt ***explicitum***, dum Deus invocatur explicite V. G. teſtis eſt mihi Deus: aliud ***implicitum***, dum juratur per creaturas, quatenus in eis relucet ſpecialiter veritas divina, aut aliud prædicatum. Aliud eſt ***aſſertorium***, quo cum invocatione Dei in teſtem affirmatur, vel negatur aliquid præſens vel præteritum, vel etiam futurum ſine noſtra tamen actione V. G. ***teſtor Deum, me interfuiſſe ſacro, cras fore eclypſin***: aliud eſt ***promiſſorium***, quo cum invocatione Dei in teſtem affirmatur aliquid de actione propria futura vel non futura, ut: ***teſtor Deum, me non amplius luſurum, me donaturum centum florenos pauperibus;*** hoc includit etiam aſſertorium, quod jurans habeat de facto voluntatem tale opus implendi, vel non implendi. Ad promiſſorium reducitur juramentum ***comminatorium***, quo quis ſub atteſtatione divini nominis comminatur alteri pœnam V. G. ***teſtor Deum, quod te ſim puniturus***, ſoletque eſſe uſitatum parentibus & heris: aliud eſt juramentum ***execratorium***, quo Deus invocatur non tantum ut teſtis, ſed & ut vindex V. G. ***Deus me puniat, niſi verum ſit, quod dico***: hoc ſi ſit falſum, jurans non tantum peccat contra Religionem, ſed & charitatem erga ſe ipſum aut alium. Aliud eſt juramentum *ſolemne*; quod fit ſub certis ceremoniis V. G. tactu Evangeliorum coram Judice, &c.

(62) *D.* 3. Ut juramentum ſit licitum & actus Religionis, omnes requirunt tres conditiones: *veritatem, judicium, & juſtitiam:* quas comites juramenti vocant, quæ exprimuntur Jerem. 4. *Jurabis in veritate & in judicio & in juſtitia. Cum veritate* juras, quando certo cognoſcis, vel omnino prudenter judicas rem eſſe veram: *cum judicio*, ſi adſit juſta cauſa utilitatis vel neceſſitatis, debitaque reverentia: *cum juſtitia*, quando juras rem licitam ob finem licitum & honeſtum.

Reſ. 1. Si in juramento aſſertorio deſit veritas rei, & in promiſſorio voluntas implendi, ſemper eſt mortale, ſi deliberate fiat etiam in re minima: quia ſemper eſt graviſſima injuria contra veracitatem Dei.

Reſ. 2. Peccat mortaliter, qui aſſertive jurat ſine certitudine illius, quod aſſerit, licet ſit a parte rei verum; quia exponit ſe periculo perjurii. In judicio requiritur notitia viſus, ſive præſentia, vel debet addere ſe ab aliquo audiviſſe: extra judicium ſufficit certitudo moralis talis, ut prudens & timoratus non ſuſpicetur de contrario. Hinc

Reſ. 3. Peccat mortaliter, qui ex conſuetudine jurat non ſatis advertens, an verum ſit vel non, peccatque toties mortaliter, quoties ad illam conſuetudinem advertens negligit eam eradicare, *ut ſupra de blaſphemia.* Scienter contrahens talem conſuetudinem dupliciter peccat mortaliter, 1. actibus frequentatis V. G. juramentis aut blaſphemiis, 2. voluntarie ponendo cauſam ſecuturis actibus etiam indeliberatis (a); ſed in praxi multi ad hoc non reflectunt. Divitibus jurandi conſuetudinem habentibus Confeſſarius imponat, ut per vices ſingulas dent pauperi nummum: pauperibus tonſionem pectoris, actum doloris &c. mox poſt juramentum eliciendi.

Reſ. 4.

(a) *Vide Part. I. Tract. I. Diſſ.* 1. *Q.* 5.

Reſ. 4. Qui invincibiliter putat, ſe eſſe moraliter certum de veritate objectiva rei V. G. quod Petrus interfuerit Miſſæ, & jurat interfuiſſe, non eſt perjurus, licet non interfuerit; econtra ſi judicet, non interfuiſſe, & juret interfuiſſe, eſt perjurus, licet interfuerit; quia veritas hic non ſumitur pro conformitate dicti ad objectum, ſed pro conformitate dicti ad mentem jurantis, exiſtimantis certo ita eſſe.

Reſ. 5. Jurans ſe facturum, quod credit ſibi eſſe impoſſibile, eſt perjurus; quia jurat ſe habere voluntatem, non poteſt autem ſeriam habere faciendi impoſſibile. Idem eſt, ſi dubitet, an poſſit implere, & abſolute juret.

Reſ. 6. Jurans deficiente ſolo judicio per ſe venialiter tantum peccat; quia etſi aliqua, non tamen gravis eſt irreverentia ſine ſufficiente cauſa invocare Dei teſtimonium, ſicut pronuntiare Sanctiſſimum Nomen JESU. Per accidens fit mortale, ſi gravis adſit negligentia in inquirenda veritate, ut facile contingit apud illos, qui paſſim ad omnia jurant.

Reſ. 7. Qui jurat ſe facturum rem mortaliter malam, peccat ſimul graviter contra religionem: ſi juramentum ſit de re venialiter mala, probabile eſt eſſe veniale tantum, ſed probabilius videtur mortale; quia videtur gravis Deo fieri injuria invocare ipſum in teſtem & quaſi patronum peccati etiam venialis; hinc qui ex inimicitia contra proximum concepta jurat, ſe ne verbum cum eo locuturum, peccat mortaliter contra charitatem & contra religionem.

Reſ. 8. Qui rem etiam venialiter malam juratam implet præciſe ratione juramenti; peccat graviter; quia vel implet quaſi Deo gratam & eſt blaſphemia, vel ut debitam vi juramenti, & eſt ſuperſtitio: utrumque mortale, niſi ignorantia aut ſimplicitas excuſet;

his præciſis implere rem malam juratam eſt mortale, vel veniale pro ratione materiæ.

Reſ. 9. Eſt veniale tantum, ſiquis ſub juramento promittat rem indifferentem, vel omittere rem bonam, ad quam non obligatur; quia cum res non ſit mala, non apparet gravis Dei irreverentia.

Reſ. 10. Qui utitur juramento ut medio vel inſtrumento peccati, ſive mortalis ſive venialis, V. G. ad perſuadendam detractionem, ad inducendum alium in peccatum, peccat ſimul mortaliter contra religionem; quia, quantum eſt in ſe, facit Deum peccati ſui coadjutorem, quod etiam in peccato veniali eſt graviter injurioſum infinitæ ejus Sanctitati.

Reſ. 11. Idem videtur de eo, qui narrans ſua peccata jactantiæ cauſa, illa juramento confirmat ideo, ut ex peccatis ſic confirmatis gloriam capiat; nam utitur juramento ut peccati inſtrumento: ſi autem præciſe confirmet, ut vera ſunt, vel ex loquacitate, non videtur ſemper eſſe mortale. Ex juſta autem cauſa jurato affirmare peccatum mortale a ſe vel alio commiſſum, malum non eſt; ſic Rei judicialiter peccata confitentur.

Reſ. 12. Qui aliorum juramenta ex officio excipiunt, tenentur rudes prius docere, quid ſit juramentum, quam horrendum ſit pejerare, quam horrende etiam in hac vita puniti ſint a Deo perjuri, quam irreparabile præjudicium perjuri inferant parti, contra quam jurant, quam quis debeat eſſe certus de iis, quæ jurat: ſi hæc & ſimilia emphatice præſtarent, uti debent, multa impedirent perjuria.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

(63) *Quæ, & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii?*

D. 1. Juramentum Deo factum imitatur votum; hinc ut valeat, debet eſſe de bono vel honeſto meliori, *ut ſupra de voto;* homini factum valet de re indifferente vel minus bona, modo ſit utilis homini; nec poteſt commutari in evidenter melius, niſi conſentiat ſponte is, in cujus favorem juratum eſt; quia Deus non curat, niſi virtuoſa & honeſta, homo quærit ſibi utilia, licet indifferentia; unde de juramento facto homini eſt generalis regula: *Juramentum debet ſervari, quoties ſine peccato ſervari poteſt;* & hoc non tantum de juramento proprie promiſſorio ab homine acceptato, ſed & de eo tenet, quod ſine promiſſione etiam interne tantum factum eſt; quodlibet enim ob nominis divini reverentiam ex virtute religionis obligat.

D. 2. Juramentum de re mala eſt nullum, nec inducit obligationem; quia ad illicitum non poteſt eſſe obligatio.

Reſ. 1. Si inhoneſtas ſe teneat tantum ex parte actus jurandi, ita ut illicite fiat, ſed ille licite poſſit impleri, per ſe obligat juramentum V. G. ſine cauſa juras ſolvere uſuras, peccas jurando, attamen teneris juramento: quia ſolvere malum non eſt. Hinc

Reſ. 2. Qui juramento promiſit ſcorto pecuniam pro uſu corporis, ſicario, ſi occidat inimicum, opere malo patrato, tenetur ſolvere; quia licet peccaverit ſic jurando, cum tamen juramentum non cadat ſupra ipſum opus malum, ſed ſupra pecuniam dandam ſub conditione operis turpis, impletio expoſt eſt licita, ergo ſervanda.

Reſ.

Reſ. 3. Juramentum de re indifferente qua tali, quæ nec in honorem Dei; nec in utilitatem proximi cedit, eſt nullum, V. G. juras te hodie non ambulaturum, non bibiturum vinum, non luſurum; aliud eſt, ſi ex circumſtantiis fiat honeſta, vel ſit proximo utilis V. G. juraſti non accedere Caji tabernam, molendinum &c. in gratiam Titii, in cujus utilitatem iſta cedunt, teneris juramento.

(64) *D.* 3. Juramentum promiſſorium ad ſui impletionem obligat ſub mortali, admittit tamen parvitatem materiæ. *Prima pars eſt communis*; quia eſt contra reverentiam Deo debitam non ſatisfacere obligationi, quam interpoſita authoritate divina ſibi per modum legis privatæ quis impoſuit. *Prob. ſecunda pars contra plures:* qui cum juramento aliquid promittit, non aſſumit Deum in teſtem actualis executionis, hæc enim eſt incerta, ſed in teſtem actualis voluntatis; unde ſi poſtea non impleat, non eſt perjurus vel mendax, ſed infidelis; infidelitas autem admittit parvitatem materiæ, ut patet in voto:

Confirm. Si res levis ſit pars rei jurato promiſſæ, juxta multos ex adverſariis eſt veniale: V. G. jurato promiſiſti dare tres Stüffros, & tantum das duos; ergo & ſi ſit tota materia; non enim major eſt obligatio exequendi rem levem, quæ eſt tota materia, quam quæ eſt pars: illa enim non magis, quam iſta promiſſa, jurata eſt & Deo obligata. Nec verificatur illa propoſitio: *Dabo tibi tres.* Si autem non haberet ſinceram voluntatem faciendi, dum jurat, vocaret Deum in teſtem falſi, adeoque peccaret graviter in re leviſſima; quia facit, vel quaſi veritatem ipſe neſciat, vel velit, aut poſſit decipere agendo patronum falſitatis.

Ob. Qui rem parvam jurato promiſſam non implet, facit præteritum dictum ſuum, ſe facturum, ſe daturum &c. eſſe falſum; ergo, quantum eſt in ſe,

 facit,

facit, quod Deus teſtatus ſit falſum; ergo peccat graviter. ℞. *n. a.* qui enim ſive jurando, ſive non jurando promittit ſe aliquid facturum, non affirmat ſe vere facturum eſſe, hoc enim neſcit, ſed tantum ſe obligat ad faciendum, & affirmat animum & voluntatem præſentem faciendi.

Reſ. 1. Officiales, qui in ſuſceptione officii jurant ſe fideliter illud adminiſtraturos, peccant graviter vel leviter contra religionem pro ratione culpæ, neglectus vel infidelitatis commiſſæ.

Reſ. 2. Conſiliarii, Advocati, Procuratores, qui jurarunt ſe non petituros, aut recepturos pro ſalario ultra id, quod lege taxatum eſt, peccant graviter vel leviter contra religionem & juſtitiam pro gravitate materiæ, ſi ultra recipiant, non obſtante eorum paupertate, quam multi allegant; niſi taxatio eſſet aperte injuſta.

Reſ. 3. Juramenta de ſervando ſilentio in electionibus, capitulis &c. in re gravi obligant graviter, in levi leviter; eſt autem res gravis, ſi ex revelatione poſſit alicui oriri grave damnum vel præjudicium; ſequitur enim obligatio hujus juramenti naturam ſecreti.

Reſ. 4. Obligaris juramento, quo promiſiſti magiſtro tuo te artem vel ſpeciale medicamentum, quod ab eo didiciſti, nemini manifeſtaturum, modo aliunde ſit ſatis proviſum reipublicæ; quia tunc ſervare non eſt contra charitatem, & ejus violatio eſt contra jus magiſtri lucrum ex ſua ſcientia reportantis, quo absque juſta cauſa privari non debet.

Reſ. 5. Excuſantur ordinarie patres-familias, qui non puniunt filios, vel famulos, ſicut ſe facturos juraverant, quia vel defuit intentio jurandi, ſed tantum fuit animus terrendi, vel non adfuit plena deliberatio, vel fiunt ex inordinata paſſione: & ſic ſunt nulla; quia de

de re venialiter mala: vel delinquens jam ſe emendavit, vel alio modo melius creditur corrigendus, vel alius intercedit, quem decet exaudire: his ſecluſis ſunt vera juramenta, & obligant, ſed plerumque ſub veniali, quia plerumque materia eſt levis. Idem eſt de iis, qui ex urbanitate jurant ſe in egrediendo V. G. non præceſſuros, licet poſtea contrarium faciant, quia ſubintelligitur, niſi nimis importune urgeantur, & alter urgendo remittat juramentum in ſui favorem factum.

(65) *D.* 4. In juramento promiſſorio ſubintelliguntur conditiones promiſſionis, cui additur: quia juramentum qua acceſſorium ſequitur conditionem principalis, quod confirmat, addendo novam obligationem religionis. Attamen regula juris: *omne juramentum ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit*, non debet intelligi, quod ſemper ſequatur valorem, & naturam actus; quia juramentum poteſt eſſe validum, etſi contractus ſit per leges civiles irritus; ſic enim, ſi nude propoſuiſti dare V. G. eleemoſynam, potes pro libitu revocare: ſi autem hoc propoſitum confirmaſti juramento, non potes. Igitur juramentum ſequitur naturam actus, quoad conditiones, limitationes, extenſiones in actu de jure vel conſuetudine recepta tacite incluſas. Pro quo

D. 5. In omni juramento promiſſorio tacite ſubintelliguntur ſequentes conditiones: 1. *ſi potero etiam licite;* quia nemo poteſt ſe obligare ad illicitum, nec cenſetur ſe obligare ad moraliter impoſſibile, modo difficultatem tempore juramenti non præviderit; ſi enim præviſa difficultate juraſti cum periculo infectionis ſervire peſtiferis, teneris juramento. 2. *Salvo jure tertii, & authoritate Superioris;* quia in horum præjudicium ſe nemo obligare poteſt. 3. *Si res non ſit notabiliter mutata;* quia ad objectum notabiliter

 mu-

mutatum, jurantis intentio ſe non extendiſſe præſumitur. 4. *Si & altera pars fidem ſervaverit ;* quia ex jure *frangenti fidem, fides frangatur eidem.* 5. *Niſi is, in cujus favorem juratum eſt, ſponte remiſerit obligationem.*

Reſ. 1. Si jurato promiſiſti matrimonium, non teneris, ſi poſtea puella fiat notabiliter pauperior, deformior &c.

Reſ. 2. Si gratuito aliquid promiſiſti, non teneris juramento, ſi promiſſarius ante executionem ſe exhibeat valde ingratum.

Reſ. 3. Si juraſti, quod non velis nocere inimico reconciliato, non teneris juramento, ſi de novo graviter te offendat.

Reſ. 4. Si juraſti non revelare ſecretum commiſſum, non teneris juramento, ſi deprehendas illud cedere in grave tuum vel alterius damnum, & ſic de aliis ; intervenit enim notabilis mutatio.

D. 6. Juramentum ex errore, vel dolo circa ſubſtantiam rei promiſſæ non obligat, *ut ſupra de voto :* factum ex metu etiam gravi injuſte incuſſo obligat : eſt enim ſimpliciter voluntarium, &, ut ſupponitur, ſervari poteſt absque peccato ; ergo reverentia in Deum, cujus authoritas eſt interpoſita, exigit, ut facias, quod ſic promiſiſti ; hinc ſi latroni mortem tibi minitanti jures, quod velis deponere pecuniam ad certum locum, potes petere diſpenſationem in juramento : ſi non petas, teneris deponere.

QUÆSTIO III.

(66) *An in juramento liceat uti fictione?*

N. 1. Poteſt fieri fictio in juramento 1. ſiquis juret ſine animo jurandi : 2. ſiquis juret quidem cum animo invocandi Deum, ſed non ſe obligandi :

3. ut

3. ut habeat animum jurandi, & ſe obligandi, ſed non præſtandi, quod jurato ſe facturum quis dicit; quibus accedit, ſi jurans utatur vocibus in alio ſenſu, quam is, cui juratur, intelligat.

N. 2. Juramentum fictum fit *cum dolo*, quando fictio opponitur juri, quod alter ratione oneris alicujus in ſe ſuſcepti habet, ne ficte juret: *ſine dolo* eſt, quando is, cui juratur, non habet tale jus; dolus enim eſt injuſta fictio. Sic ſi ex fine obtinendi copulam jurato promittas ficte matrimonium, eſt dolus, quia puella habet jus, ut ſerio agas; ſecus ſi liberaliter absque omni onere ficto juramento dotem promittas, quia jus non habet, ut ſerio promittas, cum nullum onus ſubeat; niſi forte ex iſta fictione damnum pateretur; quia alias dotanda fuiſſet ab alio.

D. 1. Nunquam licet exterius jurare absque animo jurandi: quia ſic jurans ſaltem mentitur; dicit enim exterius exercite ſe invocare Deum in teſtem, cum tamen non invocet. Deinde damnata eſt hæc *Prop.* (a). *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi*; peccat autem mortaliter, qui ſic jurat falſum; quia Deus ſaltem exterius adducitur in teſtem falſi, quod ipſi eſt graviter injurioſum; ſicut ſiquis exterius offerat thus idolo absque animo venerandi. Inſuper ſic jurans utitur Nomine Dei ut inſtrumento ad decipiendum: ſi autem ſine animo jurandi verum juret, probabilius tantum peccat venialiter per ſe loquendo, quia Deum invocare exterius ſine animo jurandi in teſtem veri, non videtur gravis irreverentia, etſi ſit aliqua, & re ipſa mendacium irreligioſum; in hoc tamen mendacium non cadit juramentum, neque illuditur Dei teſtimonio, ſicut non cenſetur illudere Deo, qui fingit exterius ſe orare, cum tamen non oret.

Q 3 Dixi:

(a) 25. *ab Innocent. XI.*

Dixi: *per ſe;* quia certum eſt jurare verum ſine animo jurandi, poſſe ex alio capite eſſe mortale, ut ſi Judice vel Superiore juſte præcipiente quis exterius juret ſine animo jurandi, aut etiam ad firmandum gravem & juſtum contractum vel promiſſionem; in his enim caſibus tenetur ſub mortali ex animo jurare, adeoque graviter peccat contra juſtitiam vel obedientiam & religionem, ſi juret ſine animo jurandi.

D. 2. Peccat, qui in juramento promiſſorio jurat ſine animo ſe obligandi; quia virtus religionis exigit, ut jurans juramento promiſſorio ſubeat obligationem reddendi verum factis ipſis, quod promittit adducendo Deum in ſponſorem veritatis ſuæ; juxta aliquos tamen ſic jurans non peccat graviter; quia revera juramentum promiſſorium cum expreſſo animo ſe non obligandi non eſt juramentum promiſſorium ſtricte tale: non enim dari poteſt vera promiſſio ſine animo ſe obligandi. Dixi: *cum expreſſo animo;* qui enim ſcit, quid ſit promittere, quid jurare, eo ipſo, quod vult promittere, etiam vult ſe obligare: imo in juramento obligatio non oritur ex intentione ſe obligandi, ut in voto & in aliis promiſſionibus, ſed ex ipſa natura juramenti; hoc ipſo enim, quod voces Deum in teſtem tui dicti, teneris verificare independenter a quavis alia intentione. Juramentum autem cum animo jurandi, ſeque obligandi, ſed non ſervandi eſt validum, *ut ſupra de voto*, & eſt ſemper peccatum mortale perjurii defectu præſentis veritatis. Hinc probabilius eſt, quod jurans hoc animo ſemper peccet graviter: quia gravem Deo infert injuriam.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

(67) *An in juramento liceat uti Amphibologia, & reſtrictione mentali ?*

N. *Amphibologia*, ſive æquivocatio eſt locutio habens ſenſum duplicem. *Reſtrictio mentalis* eſt mentis conceptus, quo verba exterius prolata ad alium, quam quem præ ſe ferunt, ſenſum a loquente reſtringuntur: alia *pure mentalis*, ſi verba non habeant verum ſenſum, niſi quid mente retentum ſubintelligatur, quod tamen nullo ſigno externo ſignificatur, nec ex circumſtantiis colligi poteſt; alia *non pure mentalis*, ſi illud mente retentum vel ex ipſis verbis ob æquivocationem, vel ex modo loquendi, vel ex circumſtantiis aut conſuetudine prudens auditor cognoſcere poteſt.

D. 1. Nunquam licet uti reſtrictione pure mentali; patet id ex propoſitionibus (a) damnatis. *Ratio eſt*: quia talis locutio nec verbis ſolis, nec verbis cum circumſtantiis exprimit judicium tuum reſtrictum, ſed aliud, quod non habes; ergo eſt difformis menti & mendacium intrinſece malum; ergo perjurium, ſi jurato loquaris.

Obj. Dum Chriſtus dixit (b): *Solvite templum hoc*, videtur fuiſſe reſtrictio pure mentalis. ℞. *n. aſſ.* dicendo: *templum hoc* demonſtrabat ſigno aliquo corpus ſuum V. G. manu ad pectus admota, ut notant Interpretes; *de quibus plura alii.*

D. 2. Non licet uti reſtrictione etiam non pure mentali, nec a fortiori cum juramento; quia id nocet humanæ ſocietati; licet enim proximus non habeat jus cognoſcendi veritatem, de qua interrogat, lex

(a) 26. & 27. *ab Innoc. XI.*

(b) *Joann.* 2. *v.* 19.

tamen ſocietatis, commercium humanum & ſinceritas exigit, ut ſecundum ſenſum obvium reſpondeamus.

Reſ. 1. Si Judex interroget, adſitque ſemiplena probatio, tenetur reus (idem eſt de teſte) candide fateri, ſaltem ubi non agitur de pœna capitali; quia habet jus hoc imperandi, & reus perdidit jus celandi ſuos conceptus: ergo peccat graviter contra obedientiam & religionem, ſi amphibologice juret aſſumendo nomen Dei doloſe. Ob eandem rationem ſi parens interroget filium, an fuerit popina V. G. debet fateri, Dixi: *ſaltem ubi &c.* quia ſi agatur de pœna capitis, vel alia huic quaſi æquivalente, Graves Viri docent poſſe ſine peccato ſaltem gravi negare cum reſtrictione. Verum opinio oppoſita eſt longe veriſimilior; etſi enim leges humanæ non obligent cum tam gravi damno: obligat tamen lex divina tum de non mentiendo, tum de obediendo Superiori.

Si dicas: Judex non habet jus præcipiendi rem tam arduam; ergo nec reus debitum parendi, quia hæc ſunt correlativa. Reſpondent; non habet jus præcipiendi rem tam arduam nempe præcipiendi ſub culpa *c.* ſub pœna *n. a.* Adeſt lex divina prohibens ſub peccato gravi ne quis materia gravi mentiatur: huic autem legi tenetur reus obedire, ſicut & cuivis legitimo Superiori quidpiam præcipienti nomine Dei.

Reſ. 2. Reus, vel teſtis non legitime interrogatus poteſt reſpondere: *non commiſi tale crimen, nihil ſcio, ſum innocens*, &c. quia Judex tunc non habet jus inquirendi; hinc reſpondes in ſenſu, quem Judex habet, aut habere debet: *Nil ſcio de crimine, in quod inquirendi jus habes*, vel *quod tenear manifeſtare*; ideoque etiam teſtis juridice interrogatus poteſt ſic reſpondere, ſi aliunde teſtari non teneatur, V. G. ſi ideo ipſi grave damnum immineret.

Reſ.

Reſ. 3. Qui occidit hominem inculpabiliter, poteſt cum juramento, ſi opus eſt, reſpondere: *non occidi*, addendo ſimul: *in ſenſu, quo Judex interrogat*, ſcilicet culpabiliter, ſum omnino innocens &c.

(68) Q. 1. *An obligatio juramenti tranſeat ad hæredes?*

N. Juramentum promiſſorium aliud *eſt late tale*, quo præciſe juramus nos aliquid facturos absque vera tamen promiſſione, vocaturque per ſe ſtans, & tantum inducit obligationem religionis: aliud *ſtricte tale*, quod continet veram promiſſionem, eſtque hinc acceſſorium confirmatorium; hoc ſi fiat Deo, vocatur *votum juratum*, inducitque duplicem obligationem religionis: ſi fiat homini, eſt *promiſſio*, vel *pactum juratum*, inducitque duplicem obligationem, unam religionis, alteram fidelitatis, vel juſtitiæ erga promiſſarium: ſi fiat Deo & homini, ut: ſi cum juramento promittas Deo te daturum centum Petro pauperi id acceptanti, continet triplicem obligationem, duas religionis erga Deum, tertiam fidelitatis, vel juſtitiæ erga Petrum ob promiſſionem ab ipſo acceptatam.

℟. 1. Juramentum promiſſorium, quamvis quantum ad vinculum religionis perſonale jurantis non tranſeat ad hæredes; tranſit tamen ad eosdem quoad vinculum reale: ſicut enim ad illos omnia realia jura defuncti, ſic & omnia onera realia tranſeunt.

℟. 2. Votum juratum ſi ſit mere perſonale, non obligat hæredes, *prout ſupra*: reale obligat non vi juramenti ex virtute religionis, ſed ratione promiſſionis a Deo acceptatæ, & ſic quaſi ex virtute juſtitiæ vel fidelitatis. Idem a fortiori eſt de juramento confirmatorio promiſſionis homini factæ & acceptatæ.

Reſ. Si latroni juraſti dare pecuniam, non tenentur hæredes; quia latro injuſte cogens nullum jus acquiſivit, & juramentum non eſt vinculum iniquitatis.

(69) *Q. 2. Quomodo tollatur obligatio juramenti?*

℟. Iisdem modis, quibus votum. Juramenta autem facta homini in ejus utilitatem valide acceptata diſpenſari, aut commutari nequeunt ſine conſenſu promiſſarii, niſi bonum commune aliud exigat, aut niſi eſſent vi, metu, aut alio modo injuſte extorta; tunc enim facile relaxat Epiſcopus.

Q. 3. Quid eſt adjuratio?

℟. Eſt actus Religionis, quo quis alterum rogat, vel ei præcipit per Deum, ut ſcilicet Dei timore, reverentia, vel amore moveatur, vel cogatur ad aliquid agendum, faciendum, vel non agendum. Sic Apoſtolus rogabat Theſſalonicenſes: *Adjuro vos per Deum, ut legatur Epiſtola hæc.*

De Virtute Religionis.

Caſus I. Cajus ruri Parochus a Religioſo accepit dono 1. crucem variis reliquiis etiam non approbatis ornatam. 2. Varias alias reliquias, de quibus prudenter dubitat, an ſint authenticæ. 3. Agnos Dei. Q. 1. An & qualiter adoranda ſit crux? 2. quid requiratur, ut reliquiæ colantur: 3. An crucem cum his reliquiis licite exponat publicæ venerationi? 4. quid de agnis Dei.

℟. Ad 1. Crux, in qua Chriſtus pependit, ejusque authenticæ particulæ adorandæ ſunt, tum quia ara eſt, in qua Chriſtus ſe obtulit, tum quia tetigit membra Chriſti, & ſanguine ejus reſperſa eſt: interior autem adoratio primario & per ſe terminatur ad Chriſtum crucifixum. Ad 2. ℟. 1. Ut colantur cultu privato ſufficit, quod prudenter credantur veræ ob teſtimonium viri fide digni, vel quia a defuncto viro probo, qui eas colebat, accepit; ſi vero dubiæ ſint, in loco decenti ſunt cuſtodiendæ. ℟. 2. Ut publico cultui

tui exponantur, debent ab Epiſcopo eſſe approbatæ ita Trid. Ad 3. licite exponitur, quia ſola crux exponitur publico cultui, reliquiæ nonniſi privato. Ad 4. Agnus Dei eſt cera alba, quam ſolus Papa ſolemniter benedicit, cum precationibus & ceremoniis, immiſcendo etiam ſacrum oleum & chriſma. Ceræ illæ miræ ſunt efficaciæ, ita ut quicunque certa fide, ac vera pietate iisdem uſus fuerit, hæc dona ac beneficia conſequatur. *Primo*, ut aſpectu vel contactu agni in cereis illis formis, impreſſi excitentur fideles ad memoranda ſub eo ſymbolo Redemptionis noſtræ myſteria, conceptisque grati animi ſenſibus divinam in nos bonitatem benedicant, venerentur, ac diligant, fidentes fore, ut per eam peccatorum veniam obtineant, & maculas omnes abſtergant. *Secundo*, ut ad vivificæ crucis ſignum in iisdem cereis impreſſum maligni ſpiritus contremiſcant, & fugiant, faceſſant grandines, ſubſidant venti, diſſipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura, & tempeſtates. *Tertio*, ut divinæ benedictionis virtute non prævaleant diabolicæ fraudes, inſidiæ, & tentationes. *Quarto*, ut parturientes cum fœtu incolumes ſerventur, eumque feliciter in lucem emittant. *Quinto*, ut iisdem devote utenti nulla dominetur adverſitas, nulla noceat peſtilentia, aerisve corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat, nulla maris tempeſtas, nullum incendium, nulla inundatio, nulla adverſus eum prævaleat malignitas. *Sexto*, ut in proſperis adverſisque caſibus divina protectione muniatur, ab humanis vel diabolicis inſidiis, a ſubitanea & improviſa morte, a cunctis denique malis, & periculis liberetur per vitæ ac paſſionis Jeſu Chriſti myſteria. . . Quodſi optatus non ſemper obtineatur effectus, id non defectui virtutis rei ſacræ, ſed vel infirmæ exiguæque utentium fidei ac devotioni, vel alteri occultæ cauſæ Deo compertæ, ac probatæ tribuendum eſt. . . . Voluit

Iuit autem Benedictus XIV. ut animarum Curatores ſubditos ſibi populos tam ex Cathedra quam in catecheſi deſuper inſtructos reddant. Colendæ ſunt hæ cereæ formæ tanquam imago Chriſti, quam repræſentant ſub figura Agni. Incurrunt excommunicationem latam a Gregorio XIII. qui illas minio vel alio colore affici curant, ut & qui vendunt: licitum tamen eſt eas circumornare includendo v. g. thecis: poſſunt etiam probabiliter a quocunque contrectari, dummodo cum diſcretione & devotione fiat.

Caſus II. Caja 1. Deum rogat & Sanctos, imo ſororem ſuam nuper innocentiſſime defunctam, ne permittant eam labi in fornicationem, aut ſaltem, ne inde imprægnetur: 2. nacta ſponſum divitem orat, ut velit augere ejus amorem, ne mutato animo Monachum induat: & 3. quia non licet nuptias prius celebrare, quam parens ſponſi vel moriatur, vel officium reſignet filio, hinc orat, ut vel brevi moriatur, vel officium reſignet. Q. *An, & qualiter in his peccet?*

℞. 1. Non videtur peccare in primo, niſi modo illicito impedire vellet; quia etiam ſuppoſito lapſu non imprægnari illi eſt bonum, utpote impeditivum infamiæ; ſororem ſic defunctam invocare privatis orationibus illicitum non eſt (a). 2. Nec peccavit *in* 2. loquendo de amore honeſto (b): eſt enim ei bonum, & licet ſtatus monachalis ſit perfectior, attamen reſpectu Cajæ non fuiſſet melior; quia impediviſſet honeſtum ejus matrimonium: nec tenemur ſemper petere a Deo, quæ ſunt majoris perfectionis. 3. Peccavit *in* 3. graviter etiam peccato ſacrilegii; intendit enim Deum inducere vel ad reſignationem, vel ad mortem patris, cujus

(a) *Vid. Num.* 2. (b) *Vid. Num.* 3.

cujus vitam matrimonio poſtponit; ergo contra charitatem, pietatem, & religionem graviter peccavit.

Caſus III. Beneficiatus non recitat horas, quia 1. aliunde dives, vult omnes fructus dare pauperibus; vel pauperi Clerico, ut ipſe pro ſe horas recitet: vel 2. quia ſumpta poſſeſſione ipſi mota eſt lis: 3. ipſa die poſſeſſionis, ut ſe cum ſuis recreet, mane omnes horas præoccupat: 4. recitat ordinarie Completorium eundo cubitum, & ſub finem indormiſcit. Q. 1. *Unde oriatur obligatio recitandi horas.* 2. *Qualiter in his peccaverit.* 3. *Ad quid teneatur.*

℟. 1. Oritur ex triplici titulo: *Beneficii, Sacri Ordinis, & Profeſſionis Religioſæ* (a). ℟. 2. *Ad* 1. Licet velit carere fructibus, adhuc peccat graviter non recitando; quia tenetur vi Beneficii. *Ad* 2. Peccat ideo omittendo, ſaltem ſi vel fructus recipiat, vel fundata ſit ſpes recipiendi; ſi vero omnes ſequeſtrentur, & prudenter dubitet de felici ſucceſſu litis, neque per eum ſtet, quo minus feratur ſententia, multi putant eum non teneri. *Ad* 3. De ordinando & profeſſuro probabilius eſt non ſatisfacere; quia non poteſt extingui obligatio, quæ nondum eſt, attamen probabiliter ſatisfaciunt, quia eſt anticipata ſolutio debiti prævisi & moraliter præſentis; a potiori ſatisfacit Beneficiatus. *Ad* 4. Nonniſi venialiter peccat per ſe; quia non omittit partem notabilem: nec tenetur aliquid reſtituere, licet correſpondeant magni fructus, quia Canones loquuntur de omittente horam, ſaltem æquivalenter; ſuntque pœnalia ſtricte interpretanda: qui tamen partem notabilem V. G. unum nocturnum, vel etiam ex levibus in diverſis horis conſurgentem omiſiſſet, videtur obligandus ad reſtitutionem correſpondentem.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 4.

Caſus IV. Capellanus in dies Veſperi orat omnes horas cum ſuo domino, qui cum verba multa tum ex defectu naturali, tum ob potum non exprimat, ac verſus anticipet, angitur Capellanus, tum quod tam ſero, tum quod non integre oret. Alter Beneficiatus tempore vitæ ſuæ ſæpiſſime omiſit horas, ſed nihil ſcivit de reſtitutione, modo autem reſtituere illa omnia erit duriſſimum, ſi non impoſſibile. Tertius habet duo Beneficia in diverſis Eccleſiis diverſa Breviaria habentibus, neſcit igitur, quale officium recitare debeat. *Q. Quid de his judicabit Confeſſarius?*

℟. 1. Quantum ad tempus, non eſt, cur anxietur Capellanus; adeſt enim ibi ſufficiens cauſa differendi (a). Quantum ad integritatem, ſatisfacit Principalis, ſi ob defectum naturalem inemendabilem non bene exprimat (b); alias ſi voluntarie fiat circa notabilem officii partem, poteſt ad culpam mortalem pertingere, quod magis tenet de anticipatione. Probabiliter etiam ſatisfacit Sacellanus; quia facit, quod poteſt, nec penes ipſum ſtat, quin audiat; ſi tamen error eſſet enormis per totum officium, non videtur ſatisfacere; ergo vel prævie, vel ex poſt bene recitare deberet. *Ad ſecundum.* Primo male fecerunt Confeſſarii eum non monendo; ſi enim pœnitens ſit homo in Theologia, vel jure non verſatus, debet Confeſſarius ſupplere defectum; aliud eſt: ſi ſit intelligens, & volens ſuæ obligationi ſatisfacere. In dubio dicat Confeſſarius; ſuppono Dominationem ſuam ſcire obligationem reſtituendi ob neglectas horas, eique ſatisfacturam, ac deinceps horas accuratius lecturam, in quem finem injungo, ut &c. 2. petat, an & quas expoſt dederit eleemoſynas; ſatisfit enim ex parte per eleemoſynas datas: 3. an ipſe revera ſit pauper; alias tenetur paulatim reſtituere,

(a) *Vid. Num.* 12. (b) *Vid. Num.* 8.

ſtituere, ſaltem ſi ſine gravi incommodo poſſit (a). Pro meliori Confeſſarius Romæ in Pœnitentiaria petat relaxationem ſub nomine Titii. *Ad* 3. poteſt pro libitu, dum privatim orat, ubicunque ſit, uti vel Romano (b), vel proprio alterutrius Eccleſiæ, ſaltem ſi in una dignitatem non habeat.

Caſus V. Parochus 1. Officium Canonicum ſæpe differt ad octavam, vel nonam veſpertinam; quia tum tranquilliori eſt animo, quam per totum diem. 2. Vix unquam recitat matutinum ante miſſam. 3. Quandoque cum ſuo famulo, qui vix latine legere poteſt. 4. Sæpe, dum horam incepit, inviſitur ab aliis. 5. Aliquoties, dum recitavit matutinum de feria, addit Laudes de feſto, quia intellexit ſe potuiſſe Matutinum legere de illo. 6. Dum per aliquot dies itineratur, negligit aſſumere directorium, ideoque unum officium diei ſæpe dixit pro alio, cogitans omnia eſſe de Deo. 7. Nunquam ad preces etiam in quadrageſima, vel ad *Salve Regina* flectit. 8. Quandoque horam minorem deblaterat, dum vadit ad loca publica, aut in iis hæret. 9. Dum aliquot horas minores omiſit, putat ſe in confeſſione non teneri exprimere numerum. *Denique* ob frequentes inter orandum diſtractiones ſæpe dubitat, an integram horam, vel pſalmum recitaverit, & tamen non repetit. *Quid ad hæc ipſius Confeſſarius?*

℟. *Ad* 1. Male fecit eousque differendo: quia facile poteſt impediri propter infirmos, vel aliam cauſam. Cauſa, cur horæ frequenter omittantur, eſt dilatio ad veſperum. Omittentibus pro pœnitentia ſacramentali imponatur, ut mane recitent, antequam domo exeant. *Ad* 2. *Vid. Q. V. n.* 12. *Reſ.* 4. *Ad* 3. Cum famulo orare poteſt, quamvis famulus non attendat,

(a) *Vid. Num.* 6. (b) *Vid. Num.* 10.

dat, neque audiat, modo oret, & non tantum materialiter recitet, & parochus ad illa attendat. *Ad* 4. *V*. Q. *V*. *n*. 13. *Reſ*. 3. *Ad* 5. Non peccat ſaltem graviter. *Ad* 6. Peccat graviter, ſaltem dum frequenter mutat, aut ſemel in aliud notabiliter brevius: imo plures viri graves aſſerunt peccare mortaliter eum, qui ſine cauſa ſcienter mutat in aliud licet æquivalens, eoquod videatur præcipi officium determinatum. *Ad* 7. Rubrica de genuflectendo aut ſtando eſt tantum ſuaſiva, poſſuntque horæ privatim dici quovis decenti ſitu. *Ad* 8. Secluſo ſcandalo non peccat graviter: attamen ſine cauſa ibi orare vocaliter eſt venialis irreverentia. *Ad* 9. Si voluntas omittendi aut omiſſio non ſit moraliter interrupta, eſt unum numero peccatum, quia omnes horæ unico præcepto per modum unius officii injunguntur: præſcindo hic a circumſtantiis aggravantibus. *Ad ultimum.* Cum non ſit timoratus, & diſtractiones videantur voluntariæ, tenetur repetere; quia poſſeſſio eſt pro lege. Qui timidæ eſt Conſcientiæ, nil repetat: quia præſumptio eſt pro ipſo, & via aperiretur ſcrupulis.

Caſus VI. Canonicus 1. Dum in Choro cum aliis cantat horas, altera parte Chori canente cum vicino confabulatur. 2. Dum domi orat, ſolet una manu tenere breviarium, altera canes ſuos pabulare ſub continuata oratione. 3. Quandoque inter recitationem proſpicit per feneſtras in hortum adjacentem, vel fluvium præterlabentem. 4. Cum eſſet in convivio, & nondum oraſſet veſperas & Completorium, recitavit in ipſo loco convivali, ubi circa ipſum vigebant fabulationes, tumultus, cantus. *Denique*, dum orat ſolus in cubiculo, id fit cum meris diſtractionibus plene voluntariis. Q. *Qualiter in his peccet?*

R. *Ad*

℞. *Ad* 1. Certo peccat mortaliter, quia deeſt attentio externa indubie requiſita. *Ad* 2. A peccato gravi excuſari non poteſt; quia videtur impedire attentionem internam, & devotionem requiſitam. *Ad* 3. Per ſe loquendo non peccat graviter; quia cum tali proſpectione poteſt conſiſtere attentio interna: peccat tamen venialiter cauſam dans diſtractionibus. *Ad* 4. Sicut ad 2. Niſi tamen non iis, ſed orationi animum ſerio applicet. *Ad Ultim. Vid.* Q. 6. *n.* 17.

Caſus VII. Parochus diſtulit Breviarium ad decimam noctis, dumque orare incipit, vocatur ad componendos duos conjuges acerrime inter ſe certantes, accedit: ſed dum revertitur, inter orandum audit duodecimam. Alia vice, cum pariter diſtuliſſet, vocatur ad moribundum procul diſſitum, prævidetque non affuturum tempus recitandi expoſt: 3. in iisdem circumſtantiis redit domum quadrante ante decimam noctis, & quidem incœnatus; dubitat igitur, an poſſit omittere horas, ut cœnet, vel debeat omittere cœnam, ut recitet horas. Q. *Quæ ſint cauſæ hic excuſantes, & quid facere teneatur Parochus?* ℞. 1. generaliter ſunt tres: *impotentia phyſica, moralis, & legitima diſpenſatio*, quam ex conſuetudine, & tacito conſenſu Papæ dat Epiſcopus, ſi adſit legitima cauſa (a). ℞. 2. In primo debuit ire, ſi erant rixæ graves, & periculum, ne vir graviter læderet uxorem; quia præceptum naturale de præcavendo gravi damno proximi prævalet Eccleſiaſtico de recitando Breviario: ubi autem audivit duodecimam, poterat ceſſare; quia elapſum erat tempus obligationis, niſi in alio horologio etiam communiter melius directo nondum fuiſſet audita; tunc enim teneretur pergere; quia probabilius eſt, quod

(a) *Vid. Num.* 18.

quod adhuc poſſit ſatisfacere, ergo cum lex ſit in poſſeſſione, tenetur. In 2. tenetur ire ad infirmum, ſi alium non habeat, quem mittat; præceptum enim juſtitiæ in Parocho, & charitatis in alio Sacerdote prævalet. In 3. bene faciet omiſſa cœna orando horas: ſi autem cœnam ſine gravi incommodo omittere non poſſet, & inſtet dies feſtivus, vel obligatio ſacri legendi, poteſt omiſſis horis cœnare: quia major eſt obligatio celebrandi, quam legendi horas, quas non tenetur dicere cum gravi incommodo: attamen incommodum illud non videtur tam grave, ut ipſum deobliget. Si ex ſola devotione vellet celebrare, non poſſet. Interim male faciunt Parochi ſic differendo horas: vix enim unquam a peccato gravi excuſari poſſunt.

Caſus VIII. Parochus, quia aliunde dives, non curat decimas, alter econtra rigide exigit, & quidem ex ſylva recenter in agrum mutata, dumque colonus renuit, vi per ſuos colligi mandat; hinc colonus exacerbatus ſtudio plures agros relinquit incultos, ne Parochus accipiat decimas; dein mandat famulis, ut decimos manipulos faciant notabiliter leviores, & ut in quovis agro faciant numerum manipulorum inæqualem, V. G. 9. vel 29. vel 39. &c. ut ſic de novem ultimis nil accipiat Parochus. *Q. Quid de his judicabit Parochus?*

Ad 1. Primus Parochus peccat graviter; quia ſic poteſt eſſe cauſa, cur contra decimas fiat præſcriptio in præjudicium Eccleſiæ, & ſucceſſorum; bene quidem fit, ſi pauperibus remittantur decimæ, ſed peti debet ſcriptum de gratuita remiſſione, ut vel ipſe, vel ſucceſſor poſſit ſe tueri contra præſcriptionem. 2. Secundus juſte exigit; quia decimæ novalium debentur Parocho (a), quamvis alii ibidem ſint decimatores: niſi

ab

(a) *Vid. Num.* 23.

ab his rationabilis cauſa oſtendatur, per quam appareat novalium decimas ad eos pertinere (a); non tamen bene fecit vi colligendo, ſed debuit querelam deferre ad Epiſcopum in hac cauſa judicem; non enim Parochus habet jurisdictionem in foro externo, aut judex eſſe poteſt in propria cauſa; minus potuiſſet ideo illi negare Sacramenta, ſaltem ob publicum ſcandalum, & periculum animarum. 3. Colonus in 1. non peccavit contra juſtitiam, cum enim ſit dominus ſuorum fundorum, poteſt iis uti, & ſi ob juſtam cauſam non colat, ut V. G. fiant fertiliores, omnino non peccat; hic autem peccat graviter contra charitatem. In 2. peccavit graviter contra religionem & juſtitiam, cum onere reſtitutionis (b). *Quoad ultimum* debetur Parocho primus manipulus in alio agro, ſi fiant pluries novem manipuli ejusdem frumenti eodem anno; debetur enim illi decima pars.

Caſus IX. Caja 1. conſulit cingaram de futuro matrimonio, & quia audit futurum infauſtum, non vult nubere. 2. geſtat ſcapulare benedictum, ut non moriatur ſine vera pœnitentia. 3. certis verbis ex ſcriptura ſubito ſiſtit ſanguinem ex naribus effluentem. 4. dum media nocte audit ululare canem, prædicit brevi moriturum unum ex vicinia. *Denique* quia e lacte non poteſt extrudere butyrum, lac ſuperimponit igni, & coquit egregie. *Item* in vas coagulatorium injecit numisma, & infra illud ponit cultellum. *Quid ſit ſuperſtitio? An & qualiter in his peccet Caja?*

℟. *Ad* 1. Eſt *indebitus veri vel falſi numinis cultus, quo vel creatura colitur loco creatoris, vel creator modo indebito.* (c) Si *primum* faciat animo credendi, & ſe

(a) *Cap. cum contingat de decim.* (b) *Vid. Num.* 22.
(c) *Vid. Num.* 25.

ſe ex hoc dirigendi, peccat graviter; ſi ex curioſitate vel joco tantum, leviter: attamen, ſi prudenter colligat cingaram etiam jocari, eſt mortale ſcandali & ſuperſtitionis alienæ; quod nolit amplius nubere, ſi ſine vera credulitate, non erit mortale; utitur enim libertate ſua. *Secundum* ſi fiat cum pia fiducia in B. Virginem, ſanctum eſt; ſi cum infallibili exſpectatione, eſt ſuperſtitio: (a) erroneum eſt enim tale privilegium. *Tertium* eſt ſaltem valde periculoſum, quia non ſiſtitur ordinarie in ſola ſpe; præſertim, ſi ſemel ſint experti effectum; quem dæmon procurat, ut ſic homines magis alliciat. *Quartum* eſt ſuperſtitio; quia nulla connexio. *Ultimum* eſt mortale, quia implicitum pactum & novum maleficium; idem eſt, ſiquis coquat partem animalis veneficio mortui, ut ſic cognoſcat veneficium: numisma injicere poteſt &c. ſi per hoc ſolum velit deſtruere pactum forte cum ſaga ſub hac conditione initum (b).

Caſus X. Titius ſolet jejunare diebus Dominicis, & quia vovit jejunare in Feſto ſui Patroni, dubitat, an teneatur, dum incidit in Dominicam. 2. Ludendo chartis, ut feliciter ludat, mutat locum: 3. die Veneris non vult reſecare ungues, nec die Martis inſtituere iter; judicat enim hos dies eſſe infauſtos: 4. morſus a cane, quem timet eſſe rabidum, petit a Parocho panem benedictum: 5. pillulas non ſumit, niſi cum numero impari. *Denique* cogitans de eligendo vitæ ſtatu, cum determinare ſe non poſſit, ter aperit libellum Thomæ Kempenſis, ut inde ſe determinet. Q. *An, & qualiter peccet?*

℞. *Ad* 1. Jejunare die Dominica, dum alias non jejunat, eſt ſuperſtitio cultus ſuperflui (c); quia alienum

(a) *Vid. Num.* 32. (b) *Vid. Num.* 35. (c) *Vid. Num.* 25.

num a conſuetudine Eccleſiæ, & ſapit ſingularitatem; quia tamen de ſe malum non eſt, tenetur in Feſto illo jejunare, vel quod melius eſt in Sabbato præcedenti; ordinarie jejunare in die Paſchatis eſt ſaltem veniale. *Ad* 2. ſi cum firma perſuaſione, quod ideo præciſe felicius ſit luſurus, eſt vana obſervantia (a). Idem eſt de *tertio*; ſed quia communiter non habetur firma fides, eſt veniale tantum; quia in illa levitate credendi non apparet malitia gravis. *Ad* 4. Cum ille ſit benedictus in ſalutem animæ & corporis, licite datur comedendus hominibus. *Ad* 5. Si præciſe ratione numeri, quaſi hic eſſet neceſſarius, eſt vana obſervantia. *In ultimo*. Niſi bona fides excuſaverit, commiſit ſortilegium prohibitum; poterat enim, & debebat negotium vocationis tractare cum Confeſſario, aut alio viro probo & prudente; ergo illicite ad ſortes conſultorias recurrit.

Caſus XI. Parochus 1. in diſcurſibus ſæpe verſus ex canticis applicat laſcivis. 2. Circa mundanda vaſa ſacra eſt valde negligens. 3. Semel ſub Miſſa concepit turpe deſiderium circa mulierem; ſicut & 4. extra Miſſam in Eccleſia. 5. Nimis acriter ſub concione invehendo in hæreticos expoſuit ſe periculo, ne ab illis graviter percuteretur. *Denique* ſemel ſe obtulit ad demonſtrandam veritatem fidei miraculum ſe facturum, modo hæretici promittant ſe tunc credituros. *Q.* 1. *Quid, & quotuplex ſit ſacrilegium?* 2. *An, & qualiter in his peccaverit Parochus?*

℞. 1. Eſt *violatio rei ſacræ, ut ſacra eſt*; eſtque triplex: *Perſonale, locale, reale* (b). ℞. 2. Parochus peſſime facit in 1. & de ſe eſt mortalis blaſphemia. 2. Eſt grave ſacrilegium reale a ſordibus non purgare vaſa ſacra, fontem baptiſmalem, & vel maxime ciborium,

(a) *Vid. Num.* 32.

(b) *Vid. Num.* 37.

rium, aut oſtenſorium. *In* 3. Perſonali ſacrilegio addit grave reale ob gravem irreverentiam tanti ſacrificii; non ſic *in* 4. *Per* 5*tum* ſi ſine neceſſitate, id non exigente honore Dei, aut proximi ſalute, peccavit graviter provocando illos ad actum ſacrilegii, adeoque contra religionem, & charitatem tum proximo, tum ſibi debitam graviter læſit: nec in omnibus ſunt imitandi Sancti, qui ex ſpeciali inſtinctu Dei alia multa fecerunt (a). *Denique per ultimum* graviter tentavit Deum, fidemque gravi ludibrio expoſuit; fide modo ſatis probata non indigemus novis miraculis.

Caſus XII. Auriga confitetur 1. germanice ich habe oft Gott geläſtert, ſacramentirt, und geflucht über Leute und Vieh: quia non aliter excitantur ad labores. 2. Ob conſuetudinem hæc verba ſæpe inadvertenter erumpunt: 3. ſemel vexi ſacerdotem, cumque nollet totum pretium ſolvere, dixi: tauſend Sacramentspfaf, diabolus auferat omnes avaros ſacerdotes, eique Breviarium e manibus violenter eripui. *Denique* ſemel in luſu chartarum, cum multum perdidiſſem, in ira dixi: maledictæ diabolicæ chartæ! utinam diabolus eas rapuiſſet, antequam luſiſſem. *Q. Quid ſit blaſphemia? & quomodo cum hoc pœnitente procedendum?*

℞. *Ad* 1. Blaſphemia eſt *locutio contumelioſa contra Deum* (b). *Ad* 2. cum termini ſint valde indifferentes, interroget, quid dixerit: an revera fuerit uſus terminis blaſphemis, dicendo V. G. mille Sacramenta: perdat vos ſanguis Chriſti, &c. ſicque per ſe loquendo peccavit mortaliter toties quoties, ob gravem rebus divinis illatam injuriam, (c) adeoque numerus indagandus erit, dicatque impiam eſſe perſuaſionem, blaſ-

(a) *Vid. Num.* 36. (b) *Vid. Num.* 41.
(c) *Vid. Num.* 40.

blaſphemando ad laborem impelli; hoc enim fit clamoribus, verberibus, non blaſphemiis. *In* 2. ſi conſuetudinem peſſimam per verum dolorem retractaverit, & emendare ſerio laboret, inadvertenter prolata non ſunt peccata, cum non ſint voluntaria: ſecus ſi non laboret; quia ſunt voluntaria in cauſa, & ſi de hoc aliquoties monitus fuerit, abſolvi nequit (a). *In* 3. eſt blaſphemia hæreticalis, & imprecatio mortalis. Eripiendo Breviarium commiſit grave ſacrilegium perſonale, niſi indeliberatio excuſet, & incurrit excommunicationem. *In ultimo* non peccavit graviter; ſic Job maledixit diei nativitatis ſuæ ob peccatum originale, & alia incommoda inde ſecuta. *Denique* ſerio moneat, ut ſaltem verba ita immutet, ut non ſignificent amplius blaſphemiam.

Caſus XIII. Studioſus conſuetudinarius 1. Confeſſario coram Deo promittit & abſtinere deinceps, & die altera jejunare, ſi relabatur: 2. quia credit ſe non poſſe continere, vovit inire matrimonium cum Caja: ſed 3. quia parentes nolunt permittere, ut ſe quaſi vindicet, vovit ingredi Religionem, ſciens per hoc parentes graviter contriſtandos: ſed 4. ex poſt fornicatur, tandem Religionem ingreditur, ſed non multo poſt ſine ulla rationabili cauſa egreditur. *Q. Quid ſit votum? & quid ad caſum?*

℞. *Ad* 1. Eſt *deliberata & libera promiſſio facta Deo de bono meliori & poſſibili* (b). *Ad* 2. Primum non eſt votum, quia non eſt promiſſio Deo facta, ſed Confeſſario & coram Deo, niſi adſit vera intentio ſe ſpecialiter obligandi (c), & de hoc monendus eſt pænitens, ne ex conſcientia erronea peccet. *Ad* 2. tenetur inire matrimonium, non abſolute, quia matrimonium non eſt ipſi abſolute melius: alias non valeret votum

(a) *Vid. Num.* 40. (b) *Vid. Num.* 41. (c) *Ibid.*

ſervandæ continentiæ, ſed conditionate: ſi nolit adhibere media neceſſaria ad continentiam, quæ ſi adhibere velit, ſicut poteſt, & tenetur, liberatur voto. *Tertium* votum de ſe eſt validum per ſe loquendo; quia licet graviter peccaverit contra pietatem parentibus debitam, attamen fuit de meliori bono, & finis ſe vindicandi de ſe non afficit Religionem promiſſam, ſed actum tantum vovendi: ex poſt fornicando non peccat contra votum, niſi prævideat ſe per hoc impediendum a Religione. *Ad ultimum* ſi ſincero animo eſt ingreſſus, probabiliter ſatisfecit voto; quia non cenſetur ſe voluiſſe aliter obligare, quam cæteri ingredientes obligantur; ſed hi poſſunt pro libitu exire; ergo & ipſe, niſi ſimul voverit permanere. Sed oppoſitum eſt probabilius; interim ex rationabili cauſa certo abire poteſt (a). Si V. G. judicet ex gravi cauſa Religionem ſaluti ſuæ non expedire, etſi voviſſet permanere.

Caſus XIV. Studioſus varia emiſit vota. 1. non ingrediendi domum Cajæ, quæ lubrica & procax eſt; ſed Caja domum deſerente, advenit alia priore pejor: 2. in honorem S. Laurentii non manducandi carnes aſſatas. 3. Peregrinandi cum certo numero candelarum. 4. Ingrediendi certam Religionem, ut lautius vivat, & fiat tandem Prælatus. 5. Vitandi omne verbum otioſum, omnesque diſtractiones in precibus. *Q. An, & qualiter ad hæc vota obligetur?*

℞. *Ad* 1. Diſcedente Caja non obligat amplius votum; quia ad illam ſolam ſe extendebat (b). *Ad* 2. ſi relinquat ſibi facultatem comedendi alios cibos æque delicatos, votum eſt nullum; quia de re indifferente ad honorem S. Laurentii nil conferente, ideoque cultus ſuperfluus, & votum eſt ſuperſtitioſum (c): ſi cauſa

(a) *Vid. Num.* 48. (b) *Vid. Num.* 45. (c) *Ibid.*

ſa mortificationis, quia tali cibo valde eſt affectus, valet votum; quia eſt de re meliori. *Ad* 3. tenetur relicta circumſtantia ſuperſtitioſa ad ſubſtantiam. *Ad* 4. Votum cenſetur validum; quia cenſetur tantum motivum impellens, quod magis tenet de ipſa profeſſione religioſa. *Ad* 5. Votum eſt invalidum; quia ſpectata hominum imbecillitate eſt de re moraliter impoſſibili (a); aliud eſt de voto nunquam mentiendi, & ſimilibus, ob rationem oppoſitam.

Caſus XV. Cajus vovit Confeſſionem & Communionem in Feſtis B. Virginis, quam bis omiſit, ſemel ex negligentia: ſed dum vovit, non cogitavit de obligatione gravi, ſemel quia inadvertenter aliquid ſumpſerat: 2. indies orare quinque *Pater & Ave*, ad quod ſe graviter obligavit: 3. curare legi Miſſam in honorem B. Virginis, & aliam pro defuncto, quod per annos tres culpabiliter diſtulit: 4. lapſus aliquoties in fornicationem vovit ſe ingreſſurum Religionem, ſi hoc anno per DEI gratiam præſervetur, & Pater non contradicat; circa finem anni, ne teneatur fieri monachus, rogat patrem, ut contradicat, ſed cum hic ingreſſum libenter videat, ſtudio fornicatur, & matrimonium contrahit. *Q. Quomodo in his peccaverit, & ad quid teneatur?*

℞. *Ad* 1. Peccavit graviter ex negligentia omittendo; quia erat de re gravi, & cum abſolute voverit, cenſetur ſe voluiſſe obligare juxta capacitatem materiæ (b); altera vice non tenebatur confiteri, quia cenſetur ſe obligaſſe ad Communionem & Confeſſionem copulative, prout communiter tales homines ea ſimul faciunt. *Ad* 2. Vi conſcientiæ erroneæ potuit peccare graviter, non vi voti; quia materia eſt incapax obligationis gravis; hinc ne pergat peccare graviter, mo-

(a) *Vid. Num.* 46. (b) *Vid. Num.* 47.

nendus eſt a Confeſſario. *Ad* 3. quoad primam Miſſam ſi factum ſit ex naturali oblivione ſecluſa pigritia peccavit tantum venialiter; nullum enim ſequitur damnum. Aliud eſt de Miſſa pro certo defuncto; quia forte ipſe in purgatorio indiget. *Ad* 4. rogando ſimpliciter Patrem, aut veris rationibus perſuadendo, ut diſſentiat, probabiliter non peccavit; quia non cenſetur ſe obligaſſe ad non rogandum Patrem, & utitur jure ſuo (a): fornicando autem peccavit ſimul contra votum; quia virtualiter ſe obligavit ad cooperandum divinæ gratiæ per aliquem ſaltem conatum; & vovens conditionate obligat ſe tacite ad non impediendam modo illicito impletionem conditionis · ſicut lex obligat ad non ponendum modo illicito impedimentum: attamen probabilius non tenetur religionem ingredi; ſiquidem jam matrimonium contraxit, & conſummavit: ex hoc autem matrimonio oritur vinculum indiſſolubile, atque ideo huic ſtare tenetur.

Caſus XVI. Titius Braxator dives in cella ſua habens cereviſiam triplicis ſortis vovit 1. unam ahmam dare cuidam hoſpitali, modo vult dare tenuiorem. 2 vinum pro ſacrificio Miſſæ dare religioſis onere perpetuo in teſtamento ad hæredes transmiſſo; illi, ut fieri ſolet, non dant, niſi vinum infimæ ſortis. Q. *An bene?*

℞. *Ad* 1. Titius ſatisfacit, ſi voverit dare ad quotidianos uſus, non ſi pro recreatione aliqua ſingulari pauperum. ℞. *Ad* 2. Hæredes non ſatisfaciunt voto defuncti, niſi dent vinum dignitati ſacrificii ſaltem congruum, ideoque ad minus mediocre (b).

Caſus XVII. Studioſus vovit ingredi Religionem, quod per aliquot annos differt: *dein* inſtat pro admiſſione, ſed ob aliquem defectum non eſt

(a) *Vid. Num.* 51. (b) *Vid. Num.* 48.

eſt admittendus ut Clericus, aſt qua Laicus; ſed hoc ipſi non placet. Alter poſt votum Religionis contraxit matrimonium, ſed non diu poſt uxor moritur. Puella, ut ſpecialem (de qua audierat) obtineret in cælo laureolam, B. Virgini ſuam conſecravit virginitatem, ſed modo valde tentata rogat Confeſſarium, an poſſit nubere; non enim pro tunc ſcivit, quid ſit tentatio, & quam grave onus virginitatis. *Q. Quid de his judicabit Confeſſarius?*

℞. 1. Primus ſi vovit Anno ætatis 15to, vel 16to non videtur peccare mortaliter per tres annos differendo, ſi id fiat ex gravi, & rationabili cauſa: ſecus ſi poſt annnum 20mum & ultra; quia reſpectu prioris tres anni de ſervitio Dei detracti non videntur materia gravis, non ſic in ſecundo (a). ℞. 2. Non tenetur ingredi qua laicus; quia eſt notabilis mutatio: unde ceſſat voti obligatio (b). Interim ſi vovit religionem in genere, tenetur alibi aliquot inſtantias facere. ℞. 3. Alter tenetur ingredi; quia nuptiæ ſacrilege celebratæ non ſuſtulerunt vinculum voti. ℞. 4. Puella examinetur 1. an illud votum fecerit cum plena deliberatione, animo ſe obligandi &c. 2. An ſciverit differentiam inter virginitatem & caſtitatem. 3. An tantum intenderit ſervare clauſtrum virginitatis; licet enim communiter vovendo virginitatem ſimul voveant integram caſtitatem, cum tamen intenderit laureolam virginum, prudenter dubitatur, quod tantum virginitatem intenderit: & 4. modeſte tunc interrogetur, an ſemper ſervaverit illæſum; & ſic indiget diſpenſatione, non ſi læſum ſit (c); quia votum eſt de materia non amplius poſſibili. *Denique* ſi integram caſtitatem B. Virgini voverit, ſine ulla omnino ad Deum reflexione, votum non eſt reſervatum; quia non eſt certo proprie votum.

Caſus

(a) *Vid. Num.* 50. (b) *Vid. Num.* 52.
(c) *Vid. Num.* 47. *Reſ.* 5.

Caſus XVIII. Puella undecim annorum vovit perpetuam caſtitatem, quod votum ex poſt ſæpe renovavit: modò data occaſione vellet nubere. 2. Frater ejus graviter infirmus vovit amplecti ſtatum Clericalem, ſi reconvaleſcat: ſed poſtea graviſſimos ſentiens carnis ſtimulos judicat matrimonium ſibi magis conducere. *Q.* 1. *Quis poſſit vota irritare?* 2. *quis diſpenſare?* 3. *an & qualiter hi ſint juvandi?*

℞. *Ad* 1. Directe irritare poteſt, qui habet poteſtatem dominativam in voventem, etſi jurata ſint, & in favorem tertii: indirecte, ſi non perſona voventis, ſed materia voti ſubjecta ſit, ut de ea diſponere ſine conſenſu non poſſit (a). *Ad* 2. Diſpenſare in omnibus poteſt Papa: in non reſervatis Epiſcopus; an Religioſi mendicantes? dubitatur: Benedictus XIII. *Conſtit. Pretioſus* Privilegia S. Ordinis Prædicatorum amplificans, & facultatem, quam ſemper votorum relaxatione concedit, declarans, de ſola commutatione votorum loquitur (b). *Ad* 3. Votum primum poterat irritare Pater; manebat enim ſemper votum impuberis. *Nec obeſt*, quod ex poſt renovarit; quia ut ratificaſſet, debebat eſſe conſcia irritabilitatis prioris voti, & voluiſſe ſe de novo obligare, ac ſi nunquam obligata fuiſſet (c), quod non ſupponitur. Secundum votum Clericandi potuit diſpenſari per Epiſcopum: non enim erat votum perpetuæ caſtitatis, ſed ſtatus, cui hæc erat annexa; *dein* (d), ex amore ſanitatis non caſtitatis emiſſum, eratque ſufficiens cauſa diſpenſandi, vel potius commutandi (e). Aliud eſt de voto apparenter tantum conditionato, V. G. voveo ingredi religio-

(a) *Vid. Num.* 52. & 53. (b) *Num.* 54. & 57.
(c) *Num.* 43. (d) *Num.* 46. (e) *Num.* 55.

ligionem, ſi Pater meus obierit; hoc enim eſt reſervatum.

Caſus XIX. Titius habet conſuetudinem jurandi ſæpiſſime per diem. Q. 1. *Quid ſit juramentum? 2. an & quando licitum? 3. qualiter peccet, & ad quid teneatur Titius?*

℟. 1. Juramentum eſt *invocatio divini nominis in teſtimonium alicujus rei*, vel explicite, vel implicite jurando per creaturas, in quibus ſpecialiter relucet Dei perfectio (a). ℟. 2. Licitum eſt, ſi adſint tres conditiones: *veritas*, quod certo credat rem ſic ſe habere, *judicium* ſeu neceſſitas vel utilitas, & *juſtitia*, ſcilicet res honeſta & licita (b). ℟. 3. ſi ſollicitus ſit, ut non juret falſum, non peccat juxta aliquos T. T. per ſe conſuetudinem illam non extirpando, licet ſubinde juret falſum ex inadvertentia; quia non exponit ſe periculo ſaltem proximo pejerandi: attamen in ſententia probabiliore ob ſcandalum & contemptum ſerio extirpanda eſt conſuetudo. Modum docet S. Auguſtinus his verbis: *Non fiat juramentum hodie, ægrius fiet cras, ſi & cras non fuerit, minus laborat qui cuſtodit, adjuvatur enim conſuetudine prioris diei, triduo moritur peſtis de qua liberatur.* Idem valet de quacunque alia conſuetudine. ℟. 4. Si conſuetudinem non curet eradicare, & juret ſine reflexione, an verum an falſum, peccat graviter peccato omiſſionis, quoties memor ſuæ conſuetudinis illam extirpare non curat: quia eſt ipſi occaſio proxima pejerandi, ideoque non poteſt abſolvi. Confeſſiones durante tali conſuetudine voluntaria factæ ſunt nullæ; ergo repetendæ. ℟. 5. Si conſuetudinem ſerio retractaverit, conetur que extirpare, non peccat jurando inadvertenter falſum (c).

Caſus

(a) *Vid. Num.* 61. (b) *Num.* 62.
(c) *Vid. Part. I. Tract. I. Diſſ.* 1. *Q.* 5.

Caſus XX. Cajus ſartor 1. jurat ſe veſtem ſibi commiſſam confecturum intra octiduum, cum tamen ſciat ſe vix poſſe, aut ſaltem dubitet: 2. vendendo merces dicere ſolet: in veritate merces meæ ſunt optimæ, per animam meam tanti conſtant mihi, aliter vendere nequeo: 3. dum uxor ei debitum conjugale negat, ex odio contra illam dicit: puniat me Deus, non veniam ex hoc loco, ſi non peccavero cum prima perſona, cum qua potero. *Q. Qualiter in his peccet Cajus?*

℞. *Ad* 1. Si cum intentione vocandi Deum in teſtem, peccat mortaliter; jurat enim ſe habere ſincerum animum faciendi, quem habere non poteſt; ſi autem bona fide putaret ſe poſſe facere, & haberet animum præſtandi tempore ſtatuto, per ſe loquendo peccat tantum venialiter; deeſt enim neceſſitas. Interim ſi ſimiles ſua culpa negligant determinato die conficere opus promiſſum, tenentur de damno: quod dicendum illis, qui plures labores aſſumunt, quam abſolvendis ſufficiant. ℞. *ad* 2. Prima verba non continent juramentum, ſecunda continent, ſed interrogandum: qua mente protulerint, & inſtruendi ſunt ſimiles, ut dum conſuetudinem jurandi deponere nequeunt, jurando ſe non poſſe minoris vendere ſubintelligant (prout ſatis ſciuntur, ut ſuppono, ſubintelligere) cum honeſto lucro, aut ſibi pluris conſtare, computando expenſas, laborem, pericula, &c. quæ juſte veniunt nomine pretii; ſi tali ſenſu vera non ſint, perjurium admittunt, & interrogandi ſunt: an vere & conſiderate intenderint Deum vocare in teſtem. ℞. *ad* 3. Varia committit mortalia ſpecie diſtincta: odii contra uxorem, adulterii contra juſtitiam, contra charitatem erga ſe ipſum, gravis irreverentiæ contra religionem; dum Deum vult quaſi patronum ſuæ malitiæ

litiæ (a) : aliud ſpeciei innominatæ, dum ad quamcunque perſonam eſt indifferens.

Caſus XXI. Titius Cajæ jurato atteſtatur ſuum in ipſam amorem, hæc viciſſim jurat ſe ipſi nupturam, etſi vellent id impedire parentes, Berta jurat, quod non amplius velit ingredi domum Caji, a quo tentata ſæpe lapſa eſt, & omne ipſius conſortium vitare : expoſt mittitur a Patre ad domum illam, qui & vult, ut Cajo nubat, illa vero timet juramentum. Q. 1. *An & qualiter peccaverit Titius? 2. an Caja vi juramenti teneatur ei nubere? 3. an Berta poſſit ingredi domum Caji & ei nubere?*

℟. *Ad* 1. Si ex bono fine, V. G. in ordine ad honeſtum matrimonium, non peccavit ſaltem graviter, ſi, ut ad peccatum mortale induceret, certo ſimul peccavit graviter contra religionem, & probabilius etiam, ſi, ut ad veniale tantum (b). ℟. *Ad* 2. Non tenetur, ſi parentes habeant gravem cauſam contradicendi ; quia non potuit ſe obligare ad contrahendum illicite (c), ſive contra rationabilem voluntatem parentum. Econtra ſi ſint inviti irrationabiliter, tenetur ; ſi enim præſumitur voluiſſe ſe obligare, cum delicta non præſumantur, & omnis actus interpretari debeat, ut potius valeat, quam non valeat. *Lege* 21. *ff. de rebus dubiis. Ad* 3. Poteſt non obſtante juramento ingredi in illis circumſtantiis, in quibus prævidet ſe non incurſuram periculum lapſus : ſecus ubi periculum illud prævidetur; ad hoc enim vi juramenti ſe obligaſſe præſumitur. Si periculum ſit proximum, non poteſt obedire parenti: ſi ſit remotum, tenetur; in juramento enim ſubintelligitur : *ſalva authoritate ſupe-*

(a) *Vid. Num.* 62. (b) *Vid.* 62.
(c) *Vid. Num.* 65.

ſuperioris. Poteſt & licite ei nubere ; quia juramentum non potuit ſe extendere ad fugam omnis conſortii etiam honeſti ; alias præſumitur factum ex paſſione inordinata, adeoque nullum.

Caſus XXII. Duo captivi ſunt in carcere arcte incluſi, & vinculis ligati, unus innocens, alter reus, petunt a Magiſtratu mitius ligari, & plus libertatis, ne duplici morte puniantur: annuit Magiſtratus, ſi jurent, quod nolint fugere, ſique exitus aliquis permittatur, quod velint redire; hæc captivi jurato promittunt. Q. *An ambo tenentur ſervare juramentum ?*

℟. Communior opinio cenſet, teneri redire, quia tale juramentum impleri poteſt absque peccato ; exponere enim ſe periculo mortis ſæpe laudabile eſt: hic excuſat reverentia juramenti, unde reditus eſt actus egregiæ fortitudinis & religionis. Attamen hoc juramentum, ſi fuerit injuſte poſtulatum, relaxari potuit ab Epiſcopo. Si autem quis injuſte captus ab infidelibus juraſſet ſe rediturum, aut miſſurum pretium redemptionis, non poſſet relaxari: quia ejus neglectus cederet in deſpectum religionis Chriſtianæ.

Caſus XXIII. Cajus Eccleſiæ S. Petri Canonicus, dum poſſeſſionem Præbendæ caperet, juravit, quod velit ſervare omnia ſtatuta illius Eccleſiæ, expoſt in multis anxius conſulit Confeſſarium, quomodo peccet non ſervando ſtatuta? Q. *Quid reſpondendum ?*

℟. Hoc juramentum *primo* extendit ſe ad ſtatuta honeſta, & quæ non abierunt in legitimam deſuetudinem, non ad futura, niſi jurans id intenderit, vel in

for-

forma juramenti ſit expreſſum; cum enim materia ſit odioſa, eſt reſtringenda, quantum patitur verborum proprietas: futura tenetur ſervare, ſed non vi juramenti. *Secundo* intelligendum eſt ſecundum differentiam ſtatutorum, intentionem legislatoris, loci conſuetudinem, & communem interpretationem, ita ut ſi ſint gravis momenti, & accipiantur communiter, quaſi ſub mortali obligent, transgreſſio juramenti ſit gravis, alias venialis: & ſi ſub pœna tantum, nullius ſit culpæ, modo paratus ſit pœnam luere. Idem eſt de aliis ſtatutis Collegii, Univerſitatis &c. Abrogari deberent per Superiores ſimilia juramenta, ſicut & quæ in Magiſtratibus & in Academiis fieri ſolent, dum ſciuntur paſſim non obſervari, vel eſſe falſa, eſtque hæc obligatio gravis non minus, quam obligatio impediendi alia peccata ſubditorum gravia. Cautiſſimi pariter debent eſſe judices in deferendis, imo permittendis juramentis, dum attenta perſonarum, aut negotii qualitate prudenter timent futurum perjurium.

Caſus XXIV. Titius Receptor vectigalium ex mandato Principis cogitur promiſcue exigere juramentum ab omnibus, prævidet autem aliquos defraudatores pejeraturos, hinc hæret, an juramentum exigere poſſit. *Q. Quid ſit reſolvendum?*

℟. Poteſt nomine, & juſſu Principis juxta S. Thomam 2. 2. q. 98. a. 4.; quia ex una parte exigit actionem, quæ bene fieri poteſt, & ex altera parte juſtam habet cauſam exigendi, ut obediat ſuo Principi, & rite fungatur officio. Cæterum non licet homini privato exigere juramentum ab eo, qui creditur pejeraturus; quia nulla utilitas ſperari poteſt ex tali juramento, cum contra ipſum poſtulantem ſit præſtandum. Unde me-

lius eſt, ut tua pecunia, quam alter tibi debet, careas, quam illa carendo eum ad perjurium inducas.

Caſus XXV. Titius Religioſus, dum ante electionem Provincialis jubetur cum aliis jurare in digniorem eligendum, cum aliis quidem pectori manum admovet, ſed jurandi animum non habet, eligitque minus dignum, quem & tale officium ambiiſſe novit. *Q. An ſit perjurus, & qualiter peccet?*

℞. 1. Quamvis non ſit proprie perjurus; non enim invocat Deum in teſtem falſitatis, cum non habeat animum jurandi, peccat tamen graviter 1. contra obedientiam in re gravi, qualis eſt electio dignioris. 2. Contra religionem externe jurando, quod Sacerdotes faciunt, dum manum pectori admovent, ſine interno animo jurandi (a). ℞. 2. Peccat graviter eligendo notabiliter minus dignum; eſt autem dignitas ſumenda non ex majori doctrina, probitate morum, vitæ &c., ſed ex omnibus animæ, & corporis dotibus, ita ut omnibus conſideratis credatur regimini utilior cæteris; non peccaret graviter, ſi modicus tantum eſſet exceſſus. ℞. 3. Non prohibetur eligere quemcunque aſpirantem, ſed quem ſcit aſpirare inordinate, mediis illicitis &c.

Caſus XXVI. Cajus mutuo accepit a Titio 100., quos cum hic ante mortem donaſſet, urgente hærede Titii coram Judice jurat ſe non accepiſſe mutuum. Caja ſæpe carnaliter peccavit cum Cajo divite contractis occulte ſponſalibus: ſemel circa idem tempus cum alio paupere, expoſt impræ-gnata coram Judice jurat Cajum eſſe patrem, ſed quia hic

(a) *Vid. Num. 66.*

hic novit copulam ſuam nunquam fuiſſe perfectam, jurat ſe nunquam cum ea habuiſſe copulam, nunquam contraxiſſe ſponſalia. *Q. An, & qualiter hi peccent?*

℞. 1. Ante reſolutionem probe notandæ ſunt propoſitiones illæ, quas Innocentius XI. Sicut jacent, *ut minimum tanquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas* jure merito damnavit; ex his 1*ma* ordine 25. hunc habet verborum tenorem. *Cum cauſa licitum eſt, jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.* Altera ordine 26. eſt hæc: *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine juret, ſe feciſſe aliquid, quod revera non fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.* Tertia ordine 27. ita ſonat: *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Quarta ordine 28. eſt ſequens: *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis: quia non tenetur fateri crimen occultum.* Propter has propoſitiones damnatas, quæ omnem vere uſum reſtrictionum etiam non pure mentalium excludunt, dicitur ad 1. Cajum peccaſſe graviter; tum quia ſi quis juridice interrogatus æquivoce, atque in alio ſenſu poſſet jurare, facile omne perverteretur judicium. Tum etiam quia juridice interrogatus tenetur obedire judici, ſicque jurare in ſenſu ab eodem

intento. Quinimo etiam graviter peccat, qui etiam injuſte coactus ad jurandum, jurat verbis æquivocis, ſeu amphibologicis, licet juſtam habeat cauſam ad occultandam alteri veritatem, uti ex Propoſit. 27. patet. Nam proximi deceptio per verba jurata a Scripturis, a Patribus, ab ipſo jure naturali, & a Sede Apoſtolica in allatis propoſitionibus damnata eſt: ſub juramento autem æquivoco, ſeu amphibologico latet deceptio proximi. Hinc patet reſponſio ad 4. de Cajo, qui juravit, ſe nunquam habuiſſe copulam cum Caja.

℟. 2. Judex ad nudam aſſertionem Cajæ non potuit Cajo deferre juramentum, niſi aliæ probæ adſint, minus potuit deferre Cajæ aſſerenti; quia nemo eſt teſtis idoneus in re ſua, neque admittitur juramentum ſuppletorium, dum agitur de proprio intereſſe, ſingularis & nuda aſſertio quamvis jurata mulieris non eſt probatio. ℟. 3. Caja peccavit graviter & contra juſtitiam, & religionem jurando Cajum eſſe patrem, cum de hoc certa non erat.

TRA-

TRACTATUS III.
DE
JURE, ET JUSTITIA.

DISSERTATIO I.
DE
JURE, ET DOMINIO.

QUÆSTIO I.
(1) *Quid, & quotuplex ſit Juſtitia, & Jus?*

D. 1. JUSTITIA, quantum ad præſens, & ut eſt una ex virtutibus Cardinalibus, definitur *ab Ulpiano: Conſtans, & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi* (a). Definitionem hanc communiter admittunt Theologi. *dr. voluntas*, intellige non ipſam potentiam, ſed habitum vel etiam actum; ponitur que cauſa pro effectu. *Dr. conſtans & perpetua*, tum ex parte habitus virtutis, qui permanenter ineſt, quantum eſt de ſe, & dirigit, non ad tempus, ſed perpetuo & conſtanter: tum ex parte objecti, ut non tantum circa unam aut alteram materiam, ſed circa quæcunque pro quocunque tempore, reſpectu cujus-

(a) *L. 10. ff. de juſt. & jur.*

cunque in affectu parata ſit operari juſte. *dr. tribuendi;* vel *poſitive*, V. G. ſolvendo debitum, vel *negative*, omittendo omnem actum injurioſum. *dr. jus ſuum;* ubi jus ſumitur pro juſto, ſeu commenſurato juri alterius ſtricte dicto. Brevius definiri poteſt: *Habitus inclinans ad ponendam æqualitatem inter jus activum unius, & paſſivum alterius;* quæ æqualitas conſiſtit in hoc, quod alteri tantum præſtetur, quantum juſte exigi poteſt.

(2) *Reſ.* 1. Objectum *materiale proximum* juſtitiæ ſunt actiones vel omiſſiones alteri præſtandæ; has enim juſtitia imperat, ut quisque ſuum obtineat: *remotum* eſt ipſa res debita. *Formale quod* ſeu principaliter intentum eſt jam dicta commenſuratio, ſeu æqualitas: *Formale quo* ſeu ratio formalis motiva juſtitiæ, eſt honeſtas ſpecialis relucens in hoc, quod cuique tribuatur ſuum; omnis enim virtutis moralis motivum formale eſt honeſtas, relucens in ejus objecto materiali. Qui ex tali honeſtate operatur, dicitur operari formaliter juſte; ſi ex alio fine, tantum materialiter.

Ob. 1. Qui pro equo ablato reddit ejus pretium, ponit æqualitatem: & tamen non ſatisfacit juſtitiæ. Econtra 2. pauper reddens 10. pro 100., ponit actum juſtitiæ, non æqualitatem. 3. reddens depoſitum, reddit idem, non æquale; ergo æqualitas non eſt objectum formale juſtitiæ. ℞. *ad* 1. Ponit æqualitatem inter equum & pretium *c.* inter ſuum debitum & jus activum domini. *n.* nam hic habet jus in equum in individuo. *Ad* 2. *d.* Non æqualitatem materialem, quam non poteſt ponere, & ideo non tenetur. *c.* formalem, quam hic & nunc ponere poteſt. *n.* vel ponit æqualitatem inchoative. *Ad* 3. *n. aſſ.* Ponit enim æqualitatem inter ſuum debitum, & jus deponentis.

(3) *Reſ.*

(3) *Reſ.* 2. Ad juſtitiam rigoroſam tres communiter requiruntur conditiones: 1. Ut ſit ad alterum: intellige: *moraliter*, quoad jus; cum enim juſtitia intendat æqualitatem juris paſſivi cum activo, neceſſario ſupponit diverſitatem jurium. 2. Ut ſit verum debitum legale. 3. Ut conſtituat æqualitatem ſimpliciter inter jus activum unius, & paſſivum alterius. Hinc

Reſ. 3. Non datur juſtitia ſtricta inter patrem & filium non emancipatum, maritum & uxorem, Dominum & ſervum qua tales; nam qua tales non habent jura diſtincta, ſed ſunt moraliter & legaliter una perſona. *Dixi: qua tales;* ſi enim ſumantur materialiter, ut homines, poteſt dari ſtricta juſtitia; nam ſinguli habent jus ſtrictum contra quemcunque, ne lædantur in fama, vita, & bonis fortunæ, ſi quæ habeant propria: V.G. filius bona Caſtrenſia: ſimiliter inter maritum & uxorem in ordine ad debitum conjugale eſt ſtricta juſtitia: quia quilibet habet jus ſtrictum in corpus alterius.

(4) *D.* 2. Juſtitia dividitur in *Legalem, Diſtributivam*, & *Commutativam. Legalis* eſt virtus inclinans partes communitatis qua tales ad præſtanda illa, quæ neceſſaria ſunt ad bonum totius conſervandum, vel reſtaurandum. *dr. Legalis;* quia curat ea, quæ ſunt legibus ſtatuta in ordine ad bonum commune, quod leges principaliter intendunt. Eſt *virtus ſpecialis;* quia eſt ſpecialis honeſtas in eo, quod pars communitatis fruens illius commodis præſtet, quæ ipſi ſunt debita: *dr.* tamen *virtus generalis;* quia generaliter dirigit actus etiam aliarum virtutum, in quantum neceſſarii ſunt ad conſervationem boni communis. *Diſtributiva* eſt virtus inclinans eum, qui curam communitatis habet, ad diſtribuenda bona communitatis in ſingulas partes ſecundum proportionem debitam dignitatis vel meriti: in quo iterum eſt ſpecialis ho-

neſtas. *Dixi: bona;* quia diſtributio onerum ſecundum proportionem facultatis cujusvis imitatur quidem juſtitiam diſtributivam, pertinet tamen ad commutativam: quia nemo jus habet ad illa onera, ſed jus ſtrictum, ne gravetur improportionate ad alios. *Commutativa* eſt virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigoroſum ſecundum proportionem arithmeticam. Si quandoque integra communitas contrahat cum alia communitate, V. G. unus pagus cum alio, vel cum particularibus, habent ſe per modum privati. Additur juſtitia *Vindicativa*, quæ tamen reducitur partim ad commutativam: in quantum Judex V. G. habet ſtrictam ex officio obligationem erga rempublicam, puniendi delinquentes, & erga hos, ne ultra condignum puniantur: partim ad diſtributivam, ut pœnas imponat pro ratione ſtatus perſonarum: ſic adulterium in plebeis alicubi punitur ſtatione ante fores Eccleſiæ: in nobilioribus mulcta pecuniaria. *Denique* rationem juſtitiæ aliqualiter participant *Pietas*, *Religio*, *obedientia*, *liberalitas* & aliæ virtutes, quæ ſunt ad alterum.

(5) *D.* 3. Jus in præſenti eſt *libera & legitima poteſtas ad aliquam rem, actionem, aut omiſſionem actionis obtinendam, cui ſi contraveniatur, ſit injuria hoc jus habenti.* Hæc poteſtas vocatur *jus activum:* V. G. ego habeo jus eundi per viam publicam; qui jam me impedit, facit mihi injuriam. *dr. libera;* ſicut enim ſola creatura rationalis eſt libera, ſic & ſola capax juris. *dr. legitima;* hoc eſt: a lege conceſſa, vel cui lex aſſiſtit, ſaltem permittendo; hinc non ſufficit ſola potentia phyſica, quam V. G. habet fur. *dr. poteſtas* vel *activa* ad agendum, aut retinendum aliquid, vel *paſſiva* ad recipiendum V. G. alimenta: vel *reſiſtiva*, ut in jure, quod quis habet, ne V. G. vicinus aperiat feneſtras. Huic juri activo correſpondet *jus paſſivum:*

&

& eſt obligatio aliquid faciendi, vel omittendi; hæc enim directe correſpondet juri activo alterius. Debitum, vel Juſtum ex D. Thoma aliud eſt *legale & juris ſtricti*, ſic ut alter poſſit illud tanquam ſibi debitum exigere in judicio. Aliud *mortale*, quod quis alteri debet ex ſola honeſtate virtutis, ut ſunt debita charitatis, gratitudinis erga benefactores, reverentiæ erga ſuperiores, parentes &c.

(6) *D.* 4. Potiſſima Juris diviſio eſt in *jus in re, & jus ad rem: jus in re* eſt poteſtas obtinendi actiones, vel omiſſiones immediate circa ipſam rem. Hoc jus parit actionem realem, quæ vocatur *vindicatio*, qua poſſum ipſam rem immediate convenire, eam mihi vindicando, ubicunque reperio. *Jus ad rem* eſt poteſtas circa perſonam, quæ obligata eſt ad aliquid præſtandum; hoc fundat actionem tantum perſonalem, quæ vocatur *Condictio*, qua cogere poſſum perſonam, ut mihi ſatisfaciat. Res fiet clarior in exemplo: ſi Titius mihi furetur equum & triticum, equum habeat inter ſuos, vel vendat alteri bona fide ementi, & triticum miſceat cum ſuo, per mixtionem tritici acquirit ejus dominium; *de quo infra:* jam ego retineo jus in re reſpectu equi, & competit mihi actio realis, qua poſſum equum immediate apprehendere, ubicunque invenero, & ducere domum: econtra reſpectu tritici habeo tantum jus ad rem, & actionem perſonalem, qua cogam Titium ad compenſandum, intellige: ſi ſit aliqua perſona, quæ rem extradere debeat; alioquin habeo jus ad triticum, quod creſcet in agro meo: hoc jus actionem perſonalem non parit.

Obſ. Ad acquirendum jus in re requiritur *rei exiſtentia, legitimus titulus*, V. G. emptio, donatio, & ordinarie *rei traditio*. Dico *ordinarie;* quia in aliquibus leges non requirunt traditionem V. G. in ſucceſſione hæreditatis, collatione beneficii, modo adſit accep-

 tatio;

tatio; ad acquirendum jus ad rem ſufficit titulus legitimus V. G. donatio ante traditionem.

QUÆSTIO II.

(7) *Quid, & quotuplex ſit Dominium?*

D. 1. Dominium eſt *jus in re gubernandi, vel diſponendi de re aliqua tanquam ſua: dr. jus in re;* dominium enim eſt ſpecies præcipua juris in re. *dr. gubernandi vel diſponendi,* ut abſtrahatur a dominio jurisdictionis & proprietatis. *dr. tanquam ſua,* hoc eſt: proprio nomine & authoritate, quod ad dominium requiritur.

(8) *D.* 2. Dominium *jurisdictionis* eſt jus gubernandi ſuos ſubditos in ipſorum principaliter commodum. *De quo, ubi de legibus.* Dominium *proprietatis* eſt jus diſponendi de re aliqua tanquam ſua in proprium commodum; hinc a dominio proprietatis excluditur 1. jus uſuarii, hypothecarii, qui etſi habeant jus in rem aliquam, non tamen tanquam ſuam. 2. Jus tutoris, qui jus habet diſponendi de rebus ſuis, nec in proprium, ſed pupilli commodum.

D. 3. Dominium proprietatis aliud eſt *perfectum* ſeu plenum, & eſt jus diſponendi de re ad omnem uſum, niſi lege vel conventione prohibeatur, adeoque complectitur proprietatem, uſum fructum, & commoda rei. Aliud *imperfectum*, quod dicit vel ſolam rei proprietatem, vocaturque dominium *directum;* & talis dominus vocatur proprietarius: vel ſolum uſum, aut commodum rei ſine proprietate, vocaturque dominium *utile;* non autem diſtinguitur directum ab utili, quaſi illud careret omni utilitate: accipit enim canonem vel laudemium: ſed quia caret fructibus, & emolumentis a re propria provenire ſolitis. Dixi: *ad omnem uſum*, hoc eſt, alienando, deſtruendo &c.

Dixi:

Dixi: *niſi lege &c.* alioquin eſt dominium impeditum, quale habet V. G. pupillus, qui non poteſt diſponere de rebus ſuis ſine authoritate tutoris: ſic dominium pignoris manet penes debitorem, ex ſpeciali tamen conventione cum creditore non poteſt illud alienare.

D. 4. Dominium proprietatis aliud eſt *altum*, quod habet Princeps in bona ſubditorum, Magiſtratus in bona civium in ordine ad bonum commune pro caſu publicæ neceſſitatis; ſi tamen ad hunc finem ager, domus, vinea privati auferatur, ex communi ærario vel aliunde debet compenſari, ne hic ultra ſuam quotam gravetur. Aliud *baſſum*, quod habent ſingula reip. membra in bona ſua, ſaltem extra caſum publicæ neceſſitatis.

(9) *D.* 5. Communiter 6. enumerantur ſpecies dominii utilis, de quibus ſcitu neceſſaria Theologo ſequentibus breviter exponuntur. *Uſusfructus* proprie eſt jus utendi, & fruendi re aliena, ſalva rei ſubſtantia. *Dr. Jus utendi*, ut excludatur depoſitarius, hypothecarius; nam depoſitarius V. G. non poteſt uti re depoſita, & ſi invito domino utatur, tenetur uſum compenſare. *Dr. fruendi*, ut diſtinguatur a nudo uſu, quo uſuarius poteſt re uti, non tamen percipere ex ea fructus. *dr. re aliena;* quia definitur uſusfructus formalis, non cauſalis, qui eſt conjunctus cum dominio directo, a quo cauſatur. *dr. ſalva rei ſubſtantia*, hoc eſt: ut res non corrumpatur, neque phyſice per deſtructionem, neque moraliter per venditionem, alienationem &c.

Uſus, ut eſt ſpecies dominii, eſt jus utendi tantum re aliena, ſalva ejus ſubſtantia: *dr. Jus*, per quod uſus juris diſtinguitur ab uſu puri facti, ſeu mera licentia utendi re aliena ad nutum concedentis revocabili. *dr. utendi tantum:* nam qui habet tantum uſum

juris,

juris, non poteſt ex re percipere alios fructus. Pr
his

(10) *Reſ.* 1. Ille dicitur *uti tantum*, cui convenit uſurpatio rei, & utilitas, quæ præciſe habetur uſurpatione, non autem competunt præcipui fructus rei. Ille dicitur *frui tantum*, cui non competit rei uſurpatio, competunt tamen præcipui fructus. Ille dicitur *uti*, *& frui*, cui utrumque competit. V. G. ſi Petro concedatur equa, ut poſſit equitare, arare, dicitur uti: ſi concedatur, ut poſſit accipere pullos, quos gignet, dicitur frui: ſi utrumque, dicitur uti & frui. Qui habet uſum tantum, dicitur *uſuarius*, qui fructum, *fructuarius*, qui utrumque, *uſufructuarius*.

Reſ. 2. Uſus juris proprie non eſt eorum, quæ unico uſu conſumuntur, ut ſunt panis, vinum &c. imo pecunia, quæ ipſo uſu conſumitur non phyſice, ſed moraliter, inter res uſu conſumptibiles reputatur.

Reſ. 3. Nomine fructuum intelligitur, quidquid ſalva ſubſtantia ex re eſt perceptibile: ſic in animalibus ſunt lac, lana, fœtus &c. in fundo ſunt fœnum, frumentum, vinum, poma &c. item virgulta, arbores cæduæ, hoc eſt: minantes ruinam, & quæ ſuccidi, & renaſci ſolent, non tamen frugiferæ, vel conſitæ recreationis gratia. Imo nec infrugiferæ, quæ ſolum ad opera fabrilia deſtinantur: lapicidinæ, gypſum, aliæque materiæ, quæ extrahuntur, ſunt loco fructuum; ſi tamen per extractionem ager patiatur detrimentum, compenſandum eſt proprietario; in hominibus fructus ſunt opera, & merces propter opera; *denique* alii dicuntur fructus *civiles*, V. G. penſiones ex locatione, cenſu &c.

Reſ. 4. Uſufructuarius, quamprimum fructus colligit V. G. poma, acquirit eorum dominium, & non

prius;

prius; nam dum adhærent rei V. G. arbori, cenſentur eſſe pars illius; hinc ſi, antequam fructus etiam maturos collegerit, pereat uſusfructus, vel moriatur uſufructuarius, tranſeunt ad proprietarium, non ad hæredes uſufructuarii; ſufficit tamen lignum, frumentum &c. eſſe deciſum, licet adhuc humi jaceat.

Reſ. 5. Qui habet nudum uſum pecorum, nec lacte nec fœtibus uti poteſt, niſi in quantitate modica ad victum quotidianum neceſſaria; fimus ei conceditur ad ſtercorandos agros proprios, non alienos; qui habet uſum fundi, poteſt uti oleribus, fœno, lignis ad quotidianum uſum ſuæ familiæ, etiam facta proviſione annua; non tamen poteſt hæc aliis vendere, donare, quod poteſt uſufructuarius, qui poteſt omnes fructus rei percipere, & eis uti ad quæſtum invito domino fundi.

(11) *Reſ.* 6. Uſufructuarius tenetur uti re, ſicut bonus paterfamilias utitur re ſua; hinc debet rem in ſuo eſſe conſervare, debet modice reparare, ſi patiatur, modicas expenſas facere ad conſervanda ſarta tecta domus &c.; ad magnas expenſas non tenetur, poteſtque eas repetere a domino directo; tenetur in conſcientia ante ſententiam de damnis ex ſua negligentia ſecutis: tenetur fundum retinere in bona cultura, agrum ſuis temporibus impinguare, loco arborum emorientium ſubſtituere alias, idem eſt de vineis, & ſimilibus, niſi extraordinarie vi tempeſtatis V. G. evellantur: tenetur loco capitum demortuorum, aut inutilium in grege tot ex fœtu ſubſtituere, ut grex integer maneat, licet culpa non interceſſerit, quæ ſic fiunt proprietarii; tenetur uti ſervitutibus activis, ne non uſu amittantur, impedire novas ſervitutes paſſivas, ne præſcribantur. Denique non poteſt niſi cum conſenſu proprietarii uſumfructum alteri concedere, alias cadit in commiſſum, hoc eſt: perdit uſumfructum; poteſt

poteſt; tamen alteri concedere, ut nomine ſuo fructus percipiat; tenetur etiam ad penſiones, tributa, & ſimilia onera; qui enim ſentit commodum, ſentiat & onus, licet onera ſupervenerint poſt inſtitutum uſumfructum.

(12) *Reſ.* 7. Uſusfructus ordinarie tamdiu durat, quamdiu uſufructuarius vivit; ſi concedatur Monaſterio, Collegio, civitati, vel alteri perſonæ fictæ, & immortali, ut vocant, durat 100. annis (a); quia eousque longiſſima hominis vita durare cenſetur. Finitur 1. per lapſum termini. 2. Per mortem civilem. 3. Per profeſſionem religioſam uſufructuarii in religione bonorum incapaci: alias manet Monaſterio ad vitam profeſſi. 4. Si per culpam uſufructuarii res notabiliter deterioretur. *Denique* ſi tota pereat. Si uſusfructus concedatur pluribus conjunctim, uno moriente accreſcit alteri, non vero proprietario. Hæc omnia habentur in legibus apud Authores, ſi placet, videndis.

Reſ. 8. Qui habet uſum equi V. G. conducti, & nimia agitatione eſt cauſa, cur corruat, vel damnum patiatur, peccat graviter cum onere reſtitutionis; tenetur enim ita re uti, ut conſervet rei ſubſtantiam, & ut bonus paterfamilias. Idem facile applicatur aliis caſibus practicis.

(13) *Habitatio* hic eſt jus ad tempus vitæ inhabitandi, aut etiam elocandi domum alienam ſalva ejus ſubſtantia. *dr. ad tempus vitæ;* per quod diſtinguitur a locatione. *dr. aut elocandi;* quo differt ab uſu: nam uſuarius poteſt tantum per ſe inhabitare, aut aliquem pro hoſpite ſecum admittere, non vero alteri elocare, nec alios fructus annexos percipere, quod poteſt inhabitator.

(14) *Servitus* hic ſumitur vel *active*, ſive ex parte illius, cui debetur: & eſt jus re aliena aliquo modo utendi,

(a) *L.* 8. *ff. de uſu.*

utendi, vel aliquid circa eam impediendi. Vel *paſſive;* eſtque ipſa obligatio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius ſalva rei ſubſtantia, V. G. ſi habeam jus per agrum tuum ducendi aquam in agrum meum: eſt ſervitus, quia ager tuus ſervit meo; ſi habeam jus, ne in domo mei vicini aperiatur feneſtra, qua in hortum meum datur proſpectus. Hæ dicuntur ſervitutes *reales;* quia immediate adhærent rei, tranſeuntque ad ſucceſſores. Servitus *perſonalis* immediate debetur perſonæ, cum qua exſpirat.

(15) Quinta ſpecies eſt *Hypotheca.* 6. *Pignus,* eſtque jus detinendi rem debitoris in ſecuritatem debiti, & ſi debitor non ſolvat, inde accipiendi ſolutionem; ſi res hæc ſit immobilis, dicitur *hypotheca;* ſi mobilis, *pignus.*

Ad Dominium utile adhuc reducitur jus *feudale,* quod quis habet in re aliena immobili conceſſum a Domino directo ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis. Item jus *Emphyteutæ*, quod quis habet in re aliena immobili ad 10. vel plures annos, ſub onere penſionis realis. Item *jus libellarii*, eſtque jus percipiendi emolumenta ex bonis emphyteuticis, vel feudariis ab ipſo emphyteuta, vel vaſallo conceſſum. *Denique* jus *ſuperficiei*, eſtque jus in ſuperficie ſoli alieni ad plantandum, vel ædificandum, de quibus juriſtæ. Dominio annexa eſt poſſeſſio; ſine qua regulariter non acquiritur: hinc pro claritate ſequentium ſit.

QUÆSTIO III.

(16) *Quid de Poſſeſſione?*

Poſſeſſio hic ſumitur *formaliter*, pro illo, a quo quaſi a forma aliquis dicitur poſſeſſor, eſtque duplex; *facti*, & *juris.*

D. I.

D. 1. Poſſeſſio *facti* eſt *detentio rei corporalis corporis*, *animi*, *& juris adminiculo. dr. detentio;* quia ad hoc, ut quis fiat poſſeſſor rei, debet illam aliquo modo apprehendere, ſeu detinere ſive per ſe, ſive per alium, ſuo tamen nomine. *dr. rei corporalis*, apud juriſtas enim rerum incorporalium non datur poſſeſſio, ſed quaſi poſſeſſio; Theologi communiter dicunt: aliquem eſſe in poſſeſſione beneficii, officii &c. *dr. corporis* &c. nam 1. Ad poſſeſſionem ſaltem inchoandam ordinarie requiritur, ut res actu aliquo corporali V. G. pedibus aut manibus apprehendatur. 2. Ut fiat animo poſſidendi, hoc eſt: rem ſibi acquirendi; hinc depoſitarius V. G. non dicitur proprie poſſidere depoſitum. *dr. juris adminiculo;* non quod detentio debeat eſſe juſta, non enim excluditur poſſeſſor malæ fidei: ſed quod jus non debeat impedire, ne tali apprehenſione comparetur poſſeſſio, ſicut impedit in laico reſpectu rei ſacræ.

(17) *D.* 2. Poſſeſſio *juris* eſt jus inſiſtendi rei tanquam ſuæ. *dr. jus;* ut excludatur ſola poſſeſſio facti. *dr. inſiſtendi* hoc eſt rem pacifice tenendi, & contra turbantes tuendi modis, a jure conceſſis. *dr. tanquam ſuæ;* hinc V. G. colonus, qui nomine domini poſſidet, non habet poſſeſſionem juris. Poſſeſſio facti alia eſt *naturalis*, qua quis corpore & animo inſiſtit rei: alia *civilis*, qua adeptus naturalem poſſeſſionem animo ſaltem habitualiter inſiſtit. Solet addi poſſeſſio *civiliſſima*, qua ex ſola juris diſpoſitione ſine corporis, aut animi adminiculo rem poſſidet.

Reſ. 1. Poſſeſſio naturalis ſeparari poteſt a civili, V. G. ſi me abſente & ignorante fundum meum per injuriam invadas animo tibi acquirendi, incipis poſſidere naturaliter, ego adhuc civiliter poſſideo.

Reſ. 2. Poteſt aliquis per ſe civiliter aliquid poſſidere, & per alium naturaliter: ſic dominus directus

poſſi-

poſſidet villam civiliter per ſe, per villicum naturaliter.

Reſ. 3. Ad acquirendam poſſeſſionem naturalem ſufficit, ut apprehendatur pars rei: ad retinendam, quod ſim in conſpectu rei meæ, vel ita prope, ut, ſi opus ſit, ſtatim adeſſe poſſim.

Reſ. 4. Sufficit rem apprehendi in aliquo ſibi conjuncto, V. G. equum per capiſtrum.

(18) *D.* 3. Poſſeſſio tribus præcipue modis acquiritur: 1. *Apprehenſione vera*, ſi manu vel pede apprehendam. 2. *Apprehenſione ficta*, dum dominus rei facit aliquem actum, quo juris æſtimatione cenſetur tradere rei poſſeſſionem V. G. tradit claves domus, vel inſtrumentum, in quo jus ad illam continetur. 3. *diſpoſitione juris* in quibusdam caſibus ſine omni apprehenſione.

(19) *D.* 4. Poſſeſſio amittitur 1. ſolo animo non poſſidendi exterius manifeſtato. 2. Si res immobilis abſente poſſeſſore ab alio naturaliter ſit poſſeſſa, & prior id reſciens, & volens ingredi poſſeſſionem non admittatur, vel deſperans ſe obtenturum non aggrediatur. 3. Si res mobilis ab alio apprehendatur V. G. a fure, animo poſſidendi, licet dominus neſciat eſſe ablatam, perdit poſſeſſionem, niſi in continenti ſtatim reſiſtat. 4. Si res mobilis perdatur, licet a nemine ſit occupata; non tamen, ſi V. G. lateat in angulo domus. *Denique* Poſſeſſio animalium V. G. bovis, ſi cuſtodiam noſtram evaſerint, & diligenter inquiſita non reperiantur. Poſſeſſio feræ a nobis captæ amittitur, dum ſuæ libertati eſt reſtituta.

(20) *D.* 5. Commoda poſſeſſionis præcipua ſunt: 1. Quod quandoque pariat præſcriptionem, & hæc dominium, *de quo infra.* 2. Quod in dubio melior ſit conditio poſſidentis: ideo, ſi adhibita morali diligentia maneat dubium, licite retinet poſſeſſor bonæ fi-

dei. 3. Poſſeſſor poteſt ſe tantum defendere, nec tenetur probare rem eſſe ſuam, & in dubio Judex debet ferre ſententiam pro poſſidente. 4. Poteſt etiam ſe tueri armis, & ſi res ſit magni momenti, armis repetere, modo ſtatim in continenti fiat V. G. fur rem auferens fugit. Item ſi te abſente ſit occupata poſſeſſio, & rediens a detentore repellaris, potes illum armis expellere, convocatis ad hoc auxiliis neceſſariis.

QUÆSTIO IV.

(21) *De Subjecto, & Objecto Dominii.*

Suppono. Angeli habent Dominium in actus ſuos liberos, in famam & honorem, ideo poſſunt a nobis inhonorari, non tamen in res corporeas, ſuper quas habent quandam præſidentiam ex diſpoſitione divina; hinc ſagæ vel magi non acquirunt dominium pecuniæ a dæmone acceptæ; niſi fuiſſent res vacantes, aut plane derelictæ V. G. ex fundo maris allatæ; tunc enim licite retinerent, quamvis graviſſime peccaverint acceptando.

(22) *D.* 1. Omnis homo eſt capax dominii ſaltem in actu primo, etiam parvuli, & perpetuo amentes; hi enim ſuccedunt in bona parentum: acceptant autem per Remp. vel tutores, in quorum arbitrio ipſorum voluntates authoritate publica ſunt incluſæ, & ideo, quod iis invitis fit, cenſetur ipſis invitis fieri, adeoque vere patiuntur injuriam.

D. 2. Homo habet verum dominium 1. in *bona animi*, de quibus tanquam de re ſua in ſuum commodum libere diſponit. 2. *In famam, & honorem*, utpote quæ ſibi acquirit, & auget per actus proprios, quod enim ex re noſtra naſcitur, noſtrum eſt; hinc poteſt ſe ipſum ex rationabili cauſa infamare revelando crimen ſuum occultum ob humiliationem, conſilium,

ſeclu-

ſecluſo ſcandalo: poteſt injuriam ſibi in honore & fama illatam remittere *per ſe loquendo;* alias ſe ipſum ſine rationabili cauſa infamare per ſe eſt veniale prodigalitatis: per accidens etiam mortale contra juſtitiam, ſi ejus infamia redundet in tertium, ut infamia Religioſi in Ordinem, patris in filium innocentem, complicis in complicem, vel ſi bona ejus fama neceſſaria ſit ad rite præſtandum munus ſuum, ut V. G. eſt in Parocho, vel Prælato ad bene regendum ſubditos. 3. Homo habet dominium in *bona externa fortunæ* V. G. agros, flumina, metalla, beſtias &c. quantum de illis occupat. Patet ex illo (a): *præſit piſcibus maris* &c. Non eſt tamen proprie dominus *cælorum, aſtrorum*, quæ, licet condita ſint ad noſtram utilitatem, non ſunt tamen ita ſubjecta, ut poſſimus de illis pro libitu diſponere; ſi autem loquamur de commoditatibus inde provenientibus V. G. lumine, calore &c. horum homo eſt jure naturæ dominus, poteſt enim illis uti in ſuum commodum; hinc in jure datur actio contra illos, qui per ædificia vel alio modo privant domum vicini lumine ſolis. Spectato jure naturæ ſolo, quilibet homo eſt omnium rerum ſublunarium dominus; quia nulli ſunt jure naturæ appropriatæ: attamen permittente jure naturæ, & dictante recta ratione ad conſervandam pacem, & bonum commune jure Gentium facta eſt bonorum diviſio.

D. 3. Homo poteſt habere aliquale dominium proprietatis in alium hominem; licet enim homo jure naturæ permiſſivo ſit liber: attamen jus Gentium & civile introduxit ſervitutes etiam hominum, quæ tolerantur, & approbantur. *Dixi: aliquale:* quia dominium in mancipium non eſt perfectum, ſicut V. G. in equum; non enim licet occidere, vel mutilare absque illius delicto, quamvis vendi non poſſit: poteſtque man-

(a) *Gen.* 1. *v.* 26.

mancipium licite fugere, ſi dominus ſit nimis crudelis: & fugere tenetur, ſi ibi ſit in periculo proximo peccandi. Servitus acquiritur 1. *jure belli*, ſi infideles in bello juſto capiantur; melius eſt enim illi, qui juſte poteſt occidi, ſi perdat libertatem, quam vitam. 2. *Nativitate*, ſi quis naſcatur a ſerva; quia partus ſequitur ventrem, ideo non, ſi naſcatur a ſervo. 3. *Juſta condemnatione* ad ſervitutem. 4. *Emptione.*

(23) *D.* 4. Solus Deus habet dominium in vitam & membra hominis. Patet ex illo (a). *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem.* Hinc 1. ipſe homo non eſt dominus vitæ ſuæ, corporis, membrorum, vel ſanitatis, ideoque, ſi hæc deſtruat, vel ſanitatem V. G. per potum notabiliter lædat, peccat graviter, facitque Deo injuriam: eſt ergo homo tantum cuſtos, & quaſi uſufructuarius horum; ideoque qui hominem occidit vel mutilat &c. facit ipſi injuriam, privans eum bono nullo pretio æſtimabili. 2. Princeps occidit malefactores non vi dominii, ſed vi poteſtatis a Deo conceſſæ ad conſervandum bonum commune; eſt enim miniſter DEI, & cuſtos boni publici: Deus autem poteſt pro libitu occidere etiam innocentem, ſicut nos occidimus animalia, quorum domini ſumus. 3. Ad vitam conſervandam licite quis ſibi, vel alteri de ejus conſenſu reſecat membrum putridum, vel etiam ſanum. Ex his pro praxi

(24) *Reſ.* 1. Secluſo mandato, aut inſtinctu divino nunquam licet ſe ipſum directe occidere, & ſuicidium, ut vocari ſolet, eſt intrinſece malum; quia non licet authoritate propria diſponere de re, cujus aliquis non eſt dominus; hinc peccat mortaliter, qui loco alterius juſte vel injuſte decollandi ſe ad mortem præſentat. Aliud eſt, ſi commiſſo gravi crimine offerat ſe Judici puniendum ex motivo juſtitiæ; quia tunc cenſetur debitam

(a) *Sapient.* 16. *v.* 13.

bitam crimini pœnam exigere, quod eſt actus virtutis.

Reſ. 2. Peccat graviter mater, ſi certo moritura ex vulnere permittat ſibi inciſionem, ut baptizetur infans, quod tantum eſt licitum, ſi appareat ſpes evadendi.

Reſ. 3. Non eſt permiſſum ſuicidium ad vitandum ſtuprum; quia pudicitia eſt virtus animi, quæ oppreſſo corpore non amittitur, ſi mens non conſentiat, *ait S. Auguſtinus*, & ſuicidium eſt intrinſece malum.

Reſ, 4. Qui paulatim vino adulto mortem ſibi infert, eſt in continuo ſtatu peccati mortalis, nec abſolvi poteſt, niſi efficaciter reſipiſcat, peccatque mortaliter toties, quoties ſumit in magna copia; quod additur; quia jam aſſuetis non debet totaliter interdici, ſed paulatim quantitas minui juxta præſcriptum prudentis Medici. Idem eſt de illis, qui ſæpe exceſſus graves faciunt in vino, aut ſimili liquore, ac per hoc ſe periculo podagræ, calculi, pthiſis, aut alterius gravis mali exponunt.

Reſ. 5. Suicidii rei ſunt, qui levibus de cauſis ſe injiciunt in diſcrimen mortis, ut ſunt V. G. funambuli non ſatis periti, circulatores, qui ſe vulnerant, aut venena ſumunt, niſi per longam experientiam in brutis V. G. factam certi ſint de remediorum ſuorum efficacia.

(25) *Ob.* S. Hieron. (a) ait: *in perſecutionibus non licet propria perire manu absque eo, ubi caſtitas periclitatur;* ergo ad tuendam caſtitatem licet ſe occidere. 2. Samſon columnas templi concutiens ſe ipſum cum Philiſtæis occidit, & in hoc laudatur. S. Apollonia ſe in rogum injecit: ſimile fecerunt aliæ fæminæ ſanctæ. 4. De Razia (b) dicitur: *gladio ſe petiit, eligens nobiliter mori, quam ſubditus fieri peccatoribus.* Et Eleaza-

T 3 rus

(a) *in cap.* 1. *Jonæ.*

(b) 2. *Machab. c.* 14. *v.* 41. & 42.

rus (a) Elephantem occidendo, cui putabat Regem inſidere, ſe ipſum occidit. Lucretia Romana dolore violatæ pudicitiæ ſe ipſam occidit, & ab omnibus celebratur. *Denique* idem videtur non conſervare vitam propriam, ac eam ſibi auferre, ſed ſæpe licet eam non conſervare, ergo, ℟. *Ad* 1. S. Hieron. loquitur, ſi fiat ex inſtinctu Dei, vel ly *abſque eo* ſumit copulative, ut ſenſus ſit; etiam ubi caſtitas periclitatur, juxta illud (b) *abſque eo, quod intrinſecus latet.* Cæterum non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, nec malum certum, & gravius eligendum, ut vitetur incertum, & minus grave; incertum eſt autem, quod mulier violata conſentiat: nam, ut ait D. Thomas, potens eſt Deus hominem quacunque tentatione ſuperveniente liberare a peccato: quodſi etiam conſentiat, dum violatur, minus peccatum committit, quam ſi ſeipſam occidat. Samſon excuſatur, quod fecerit ex inſtinctu Spiritus Sancti, qui per ipſum miracula faciebat. Idem eſt de S. Apollonia, & aliis fæminis; vel fecerunt ex ignorantia invincibili, qua putabant id licere ad conſervandam V. G. caſtitatem; ſi neutrum intervenerit, male fecerunt. *Ad* 4. ℟. Fuiſſe nobilius ſecundum æſtimationem hominum, non ſecundum virtutem: hinc eundem vituperat *S. Auguſtinus.* Eleazarus ſe occidit indirecte, eratque ſpes evadendi. Lucretia ex S. Auguſtino male fecit. *Adult. n. M. vel d.* eſt idem, quando quis poteſt & debet vitam conſervare *c.* abſolute *n.* pro quo

Reſ. 6. Ex juſta cauſa licitum eſt multa facere, & omittere, ex quibus creditur mors certo, aut quaſi certo ſecutura, dummodo ſit aliqua ſpes, licet incerta, evadendi; quia licet homo non ſit dominus vitæ, nullibi tamen prohibetur ex gravi cauſa vitam periculo exponere. Hinc

Reſ.

(a) 1. *Mach. c.* 6. *v.* 46. (b) *Cant.* 4. *v.* 1.

Reſ. 7. Poteſt, & debet Parochus tempore peſtis Sacramenta infectis miniſtrare.

Reſ. 8. Poteſt uxor ad ſolatium mariti peſte infecti aſſidere ejus lecto, ſicut & amicus vel Religioſus, ſi ſperetur aliquis fructus V. G. ejus pœnitentia.

Reſ. 9. Miles non obſtante certo mortis diſcrimine tenetur ſtationem non deſerere, muros civitatis conſcendere, hoſtem aggredi.

Reſ. 10. Reus certo occidendus poteſt non fugere, licet carcer ſit apertus; quod (excepto martyrio) non poteſt, ſi carceratio ſit injuſta.

Reſ. 11. Exiſtens in parte Superiori domus, poteſt ad evitandum vivicomburium ſe per feneſtram projicere cum certiori mortis periculo, quod ipſa natura docuit animalia etiam irrationalia: non tamen poteſt ad evitandos dolores incendii gladio ſe confodere, quia hoc eſt directe occidere; quod ſemper fit, dum mors intenditur tanquam finis aut medium, prout hic contingeret; econtra qui ſe præcipitat, non intendit mortem, & ſi forte mors non ſequeretur, prout aliquando fit, adhuc evaderet incendium.

Reſ. 12. Poteſt aliquis ſuffodere turrim cum magno periculo oppreſſionis: attamen ſi certiſſime ſecutura ſciatur, difficile eſt talem excuſare a directa ſui occiſione, uti & illum, qui ignem injicit in pulverem tormentarium, unde navis cum exiſtentibus in ea pereat, ſi nulla appareat ſpes evadendi; tales proin rei videntur ſuicidii.

(26) *Reſ.* 13. Non tenetur homo omnibus mediis etiam licitis vitam longiorem quærere; hinc non tenetur ad aerem ſalubriorem tranſire, medicinas extraordinarias procurare &c. licet per hæc vita ad aliquod tempus prolongaretur; non enim vult Deus, ut de longa vita ſimus adeo ſolliciti.

Reſ. 14. Peccat tamen graviter, qui in infirmitate gravi ordinarias medicinas ſecundum prudentis Medici judicium ſumere renuit; ſiquidem *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa*, inquit Sapiens (a).

Reſ. 15. Non ſunt culpandi, ſed laudandi, qui ex motivo virtutis corpus abſtinentiis, vigiliis, & aliis auſteritatibus affligunt, quamvis præter intentionem ideo vita forte abbrevietur; adeſt enim motivum honeſtum. *Dixi: forte;* quia auſteritates moderatæ ſæpe vitam prolongant potius, quam abbreviant, ut docet experientia, modo tamen hæ diſcrete fiant ad corporis caſtigationem, non deſtructionem; quia ſi quis per illas indiſcrete factas graviter noceat ſanitati, ſeque paulatim interimat, peccat graviter.

Reſ. 16. Non tenetur quis nubere, licet in cœlibatu ideo mori debeat; hinc laudat Eccleſia S. Caſimirum Regem, qui maluit virgo mori, quam alias vivere.

Reſ. 17. Carthuſianus debet manducare carnes, ubi alioquin deberet præ fame mori; poteſt tamen ab illis abſtinere in infirmitate etiam extrema, ſi adſint alii cibi ad vitam ſufficientes. *Ratio eſt:* quia in primo eſt lex naturæ de conſervanda vita prævalens omni conſtitutioni humanæ: in ſecundo tantum exponit vitam periculo, quod quandoque licet pro bono virtutis & obſervantiæ communis, ſicut licet pro bono patriæ.

Reſ. 18. Extra caſum neceſſitatis illicitum eſt ſe ipſum mutilare, ſive membro aliquo privare, ſive per ſe, ſive per alium fiat; quia nemo eſt membrorum ſuorum dominus, ſed cuſtos, & uſufructuarius; neceſſitas tamen mutilationem excuſat: ſi V. G. fiat ad ſalvandum totum corpus alias periturum, licet membrum ſit nocivum tantum extrinſece, V. G. alligatus es

(a) *Eccli.* 38. *v.* 4.

es catenæ, & niſi abſcindas manum, es igne comburendus, vel aliter necandus; hinc poteſt quis, non tamen tenetur permittere abſcindi ſibi V. G. pedem, quamvis alioquin moriturus, ſi hoc fieri non poſſit ſine magnis doloribus; quia non tenemur per tam extraordinaria media vitam conſervare; nec videtur poſſe hoc præcipere Prælatus ſubdito Religioſo *per ſe loquendo*. *Vide infra de occiſione innocentis*.

QUÆSTIO V.

(27) *De Dominio Conjugum.*

N. Uxori competunt varia bona: *dos*, vel *dotalia*, quæ ipſa adfert marito ad ſuſtinenda onera matrimonii, ſeu ad alendam uxorem, proles, familiam &c. quæ cura proprie incumbit marito. 2. *Paraphernalia*, quæ uxor præter dotem affert, & ſibi reſervat; item quæ acquirit per induſtriam, aut laborem ultra eum, quem familiæ debet: item quæ ipſi donantur citra mariti cooperationem, vel ab ipſo marito. 3. *Antiphernalia*; quæ maritus aſſignat uxori in compenſationem reciprocam dotis. 4. Bona *communia*; quæ durante matrimonio acquiruntur ex labore, vel induſtria communi.

(28) *D.* Circa bona conjugum generaliter ſtatuitur: 1. Uxor retinet dominium in *bona dotalia*, ſed maritus habet eorum uſum fructum & adminiſtrationem. Si tamen detur in dotem res taxata pretio V. G. domus taxata ad mille florenos, cenſetur a marito empta: item ſi detur res numero pondere & menſura conſtans V.G. 50. plauſtra vini, cenſetur mutuo data; hinc dominium habet maritus, ſed cum onere reſtituendi rem, vel pretium in valore, quem habebat tempore traditionis, ideoque & omne periculum etiam caſuale dotis tunc ad maritum,

qua dominum, ſpectat, quod alias eſt penes uxorem; ſoluto itaque matrimonio per mortem mariti vel uxoris dos redit ad uxorem ſuperſtitem, vel defunctæ hæredes immediatos, utpote proles, parentes &c. 2. Uxor habet dominium, & liberum uſum *paraphernalium;* in his enim ſpectatur ut perſona diſtincta a marito: attamen in quibusdam locis aliter ſtatuitur, maxime ſi non attulerit dotem ſufficientem. 3. *Antiphernalium* dominium, & uſum habet ſolus maritus; quia tamen ea obligat in aſſecurationem dotis; illa non poteſt alienare, niſi aliunde habeat ſufficientia. 4. Dominium, & uſusfructus *bonorum communium* eſt partim mariti, partim uxoris; nam æquum eſt, ut, quod communi labore acquiritur, in utriusque cedat dominium & fructum, licet adminiſtratio ad virum potiſſimum pertineat, cum ſit caput mulieris, & præſumatur hujus magis capax.

(29) *Reſ.* 1. Maritus peccat graviter contra juſtitiam cum onere reſarciendi damna, ſi bona uxori propria diſſipet, dilapidet, negligat &c. ob gravem, quam ei infert, iujuriam.

Reſ. 2. Quoad bona communia licet multo plus liceat marito utpote adminiſtratori, quam uxori, ideoque poſſit aliqua ad honeſtum V. G. luſum exponere: ſi tamen crebris donationibus, compotationibus, luſibus rem familiarem diſſipet: graviter negligat, peccat graviter cum obligatione reſtituendi ex bonis propriis, poteſtque uxor occulta compenſatione ſibi, ac prolibus providere. Similiter ſi maritus dotem absque ſpe recuperationis dilapidet, vel negligat, poteſt uxor ex bonis mariti ſibi mature providere de indemnitate; quæ etiam de jure habet hypothecam privilegiatam in omnia bona mariti ad aſſecurandam dotem præ omnibus creditoribus.

(30) *Reſ.*

(30) *Reſ.* 3. Si uxor ex bonis, quæ mariti dominio, vel adminiſtrationi ſubſunt, ipſo rationabiliter & ſerio etiam quoad ſubſtantiam invito aliquid notabile auferat, peccat graviter, cum eodem onere vel ex bonis propriis, ſi habeat, vel ex dote aut aliunde acquiſitis marito, vel poſt mariti mortem ejus hæredibus reſtituendi. *Ratio eſt*, quia maritum injuſte privat dominio, uſu, aut adminiſtratione.

Reſ. 4. Poteſt uxor ex bonis communibus facere moderatas donationes, eleemoſynas, & ſimilia ſecundum ſuum ſtatum; non enim poteſt maritus in his eſſe rationabiliter invitus: ſi autem faciat extraordinarias ſine conſenſu ſaltem tacito, aut rationabiliter præſumpto mariti, peccat graviter cum onere reſtitutionis ex bonis propriis, vel ſaltem per diligentiorem laborem.

(31) *Reſ.* 5. In pluribus excuſatur uxor, ut 1. ſi maritus expreſſe aut tacite conſentiat. 2. Si accipiat neceſſaria ſibi vel familiæ pro veſtitu, victu, medicamentis, vel quæ ex conſuetudine locorum paſſim accipere ſolent ejusmodi fæminæ ad eleemoſynas, recreationes, donationes &c.; in his enim maritus nequit eſſe invitus rationabiliter, niſi ſtatus rei familiaris aliud exigeret. 3. Si ob abſentiam, vel impotentiam mariti ad uxorem devolvatur adminiſtratio. 4. Si maritus ſit prodigus vel decoctor, aut bona etiam communia diſſipet. 5. Si parentes aut proles uxoris ex alio matrimonio, vel etiam fratres & ſorores graviter indigeant; tunc enim ſi illis non poſſit ſuccurrere ex propriis, poteſt, ſed moderate, & ex conſilio Confeſſarii ex dotalibus, vel etiam communibus; quæ tamen juxta aliquos in diviſione hæreditatis ſunt conferenda; poteſt autem in hunc finem congregare eleemoſynas, quas dare poſſet extraneis.

Reſ.

Reſ. 6. Uxor licite retinet, quæ per parſimoniam reſervavit, ex iis, quæ maritus pro veſtitu, vel familiæ ſuſtentatione, recreatione, & cæteris conceſſit; quia reputantur fructus induſtriæ.

Reſ. 7. Non peccat uxor, ſi accipiat aliqua, quæ maritus certo concederet, ſi rogaretur; quia adeſt licentia præſumpta, & plerumque juſta cauſa non petendi, ne ſe oſtendat ancillam potius, quam adjutricem. Sic etiam poſtquam injuſte aliquid accepit, excuſari poteſt a reſtitutione, ſi illam maritus prudenter, prout ſæpe fit, præſumatur non velle. Interim non expedit ſemper ſimilia uxoribus dicere, ne abutantur: ſed potius conſulendum, ut pro meliori pace faciant omnia marito conſentiente, & ſuadendum viro, ut non ſit nimis rigidus.

Reſ. 8. Si maritus etiam malitioſe dilapidet bona communia ſaltem illa, ad quæ non concurrit uxoris labor vel induſtria, conſuetudo eum excuſat ab onere reſtitutionis. Sic nullus eſt ex ſutoribus, ſartoribus, muſicis, & ſimilibus, qui credit ſe contra juſtitiam peccare, ſi dilapidet, quæ ſua arte vel opificio comparavit, modo ſubminiſtret uxori & prolibus neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem, & provideat illis etiam pro futuro tempore, quantum æquitas poſtulat.

QUÆSTIO VI.

(32) *De Dominio Filiorum - Familias.*

N. 1. *Filius-familias* dicitur (idem eſt de filia) qui cum ſit legitimus, adhuc eſt ſub patria poteſtate conſtitutus; eſt autem *patria poteſtas* hic ſpeciale jus, quo proles legitima ſoli patri ſubjicitur in ordine ad certos effectus jure civili introductos. *dr. proles legitima*, etiam adoptata vel aſſumpta; excluduntur autem ſpurii, item illegitimi, niſi per ſubſequens

quens matrimonium, vel reſcriptum Principis legitimentur. *dr. ſoli patri*, vel ejus loco etiam avo, proavo, non autem matri; licet enim jure naturæ etiam matri competat poteſtas aliqua in filium V. G. illi præcipiendi, eundem puniendi, non tamen competit poteſtas patria, ut jure poſitivo eſt introducta; hanc perdit pater in multis caſibus V. G. ſi filius profiteatur in Religione, fiat Epiſcopus. Conſuetudo etiam introduxit, ut filius per matrimonium cenſeatur tacite emancipatus: ſaltem ſi ſeorſim habitet.

(33) *N.* 2. Filio-familias ex jure competunt bona quadruplicia: 1. *Caſtrenſia*, quæ acquirit qua miles, ſeu quæ accipit in ordine ad bellum, vel occaſione illius, ex famulitio Principis &c. 2. *Quaſi caſtrenſia*, quæ ex diſpoſitione juris habentur, quaſi eſſent caſtrenſia, & ſunt, quæ acquirit ex profeſſione artium liberalium, publico officio, vel beneficio Eccleſiaſtico, ex Regis liberalitate. 3. *Adventitia*, quæ ei obveniunt aliunde, quam a patre, vel intuitu patris, ſcilicet quæ acquirit per alias artes mechanicas, per hæreditatem ex linea materna, donationem, fortunam &c. 4. Sunt bona *Profectitia*, quæ ei proveniunt a patre, vel rebus paternis, vel intuitu patris donantur, quod in dubio non præſumitur.

(34) *D.* Dominium *caſtrenſium* & *quaſi-caſtrenſium* omnimode ſpectat ad filium, ſicut & ipſa adminiſtratio, ſi ſit pubes, hoc eſt, expleverit annum decimum quartum; nam ante hoc tempus non poteſt diſponere etiam valide tantum, nequidem cum conſenſu patris; hinc non peccat contra juſtitiam pubes, ſi hæc dilapidet: licet contra alias virtutes, ſi in dedecus familiæ, ſi cum afflictione parentum, ſi cum aliorum ſcandalo &c. Dominium *adventitiorum* quoad proprietatem ſpectat ad filium: quoad uſumfructum regulariter ad patrem. *Dico regulariter;* nam excipiuntur

in

in lege aliqui caſus: ſed ſunt ſpectandæ locorum conſuetudines. *Bona profectitia* ſimpliciter ſpectant ad patrem: poſt hujus mortem manent obligata æri alieno: hoc tamen commodum habet inde filius, ut, ſi bona patris ob crimen patris publicentur, hæc publicari non poſſint. *Denique* quæ pater dat filio pro titulo Ordinum, filiæ in dotem, vel illis ad nuptias, horum dominium, fructum, & uſum habent filius, & filia.

(35) *Reſ.* 1. Pater non poteſt alienare bona adventitia filii, minus caſtrenſia, & quaſi-caſtrenſia; nam uſufructuarius invalide alienat proprietatem rei. Si res ſit uſu conſumptibilis V. G. vinum, pecunia &c. ex cauſa licite conſumit pater, ſed cum onere reſtituendi in æquivalenti. Hinc

Reſ. 2. Si hæc pater notabiliter dilapidet, tenetur ad reſtitutionem; cum ſit alienæ rei injuſta uſurpatio.

Reſ. 3. Patre mortuo, licet mater ſit ſuperſtes, uſusfructus adventitiorum pertinet ad filium; quia eſt effectus patriæ poteſtatis; ergo ad matrem non extenditur.

(36) *Reſ.* 4. Peccat contra juſtitiam filius, ſi bona adventitia, & profectitia dilapidet; quia privat patrem dominio, uſufructu, aut ſaltem uſu.

Reſ. 5. Filius reſpectu bonorum paternorum habet tantum ſimplicem uſum facti dependenter a voluntate patris, ideoque illo invito ſi quid auferat, ſi male conſumat ea, quæ pro victu, veſtitu, libris emendis, aut alio fine accepit a patre aut matre, peccat contra juſtitiam, graviter aut leviter pro qualitate materiæ, *de qua infra.* Quod maxime verum eſt, dum parentes non ſunt adeo divites, & ſibi ſubtrahendo omnia ſua impendunt filio in ſtudiis ſub ſpe ſolatii habendi; tenetur ergo *per ſe loquendo* reſtituere ex propriis, ſi habeat,

habeat, vel deducere in diviſionem hæreditatis cum fratribus. *Dico: per ſe*; quia per accidens ſimiles ſæpe excuſantur a reſtitutione: ſi V.G. fratres ſimiliter ſint furati, ſi hi vel pater remittant, vel certo credatur remiſſurus, ſi rogaretur Pater, quem præ verecundia rogare non audent, aut ſi ſciant, nec ſatisfactionem petant, cenſentur condonare.

Reſ. 6. Si filius apud patrem lucretur bonis paternis negotiando *formaliter*, hoc eſt: nomine & periculo patris, lucrum eſt profectitium: ſi negotietur illis *materialiter*, hoc eſt: ſuo nomine & periculo, lucrum eſt adventitium poſt mortem patris ultra legitimam dandum, ſicut & ſtipendium, quod exigit ob extraordinarios labores in domo paterna, ſecus ſi non exigat; quia tunc cenſetur gratis amore patris feciſſe; poteſt quidem & tunc pater hunc laborem ſpecialiter compenſare ſine aliorum injuria: ad hoc tamen ex juſtitia non tenetur, nec poteſt filius uti occulta compenſatione, cum non ſit certo ex juſtitia debitum.

QUÆSTIO VII.

(37) *De Dominio Clericorum.*

N. 1. Quadruplicia ſunt Clericorum ſæcularium bona: 1. *Patrimonialia*, quæ poſſident titulo civili, non aliter ac ſæculares. V.G. ex hæreditate, induſtria, labore &c. 2. *Quaſi patrimonialia*, quæ acquirunt quidem ut Clerici, non tamen tanquam fructus benefici, ſed veluti mercedem laboris V.G. pro Miſſa, concione, cantu, funeralibus, & ſimilibus, quæ ſolent vocari *jura ſtolæ;* ad quæ reduci ſolent præſentiæ chorales. *Nec refert*, quod ſtipendia hæc ſæpe excedant opera; quia adhuc manent ſtipendia juſta laboris, quatenus hunc fideles libere volunt remunerare, ſicut ſi mihi pro Miſſa detur aureus, non minus

minus fio illius dominus, ac ſi daretur ſoldus. Hu
etiam reduci ſolent reditus Capellaniæ etiam perpetua
obligantis ad certas Miſſas, quod verum eſt, ſi non
multum excedant ordinarium ſtipendium Miſſarum
alias numerari debent inter fructus beneficiales; nam
capellania perpetua ſine dubio eſt verum beneficium
Nec obeſt, quod dentur intuitu laboris; nam & reditus beneficiorum non dantur omnino gratis. 3. Sunt
bona, quæ directe ſpectant ad ipſas Eccleſias, hoſpitalia, vel alia loca pia V. G. deputata ſunt ad fabricam, curandos infirmos &c. 4. Sunt reditus Eccleſiaſtici, ſeu bona, quæ aliquis accipit titulo beneficii
Eccleſiaſtici, vel penſionis annuæ; & horum aliqua
ſunt neceſſaria ad honeſtam ſui & familiæ ſuæ ſuſtentationem, alia ſunt ſuperflua, quæ ſuperſunt honeſtæ
ſuſtentationi.

N. 2. Certum eſt, quod bonorum ad Eccleſias
ſpectantium Clerici in particulari ſint nudi adminiſtratores; unde ſi ex his V. G. prædiis fructus loco ſtipendii accipiant, hi ſpectant ad quaſi patrimonialia;
dominium itaque talium bonorum eſt penes talem Eccleſiam ſpectatam in capite & membris, ſub onere
tamen non alienandi, niſi cum licentia Pontificis.

(38) *D.* 1. Eccleſiaſtici habent abſolutum dominium in bona patrimonialia, quaſi-patrimonialia, &
beneficii, in quantum reſpondent honeſtæ ſuſtentationi,
ideoque de illis ad uſus profanos V. G. ditandos conſanguineos licite diſponunt. *Ratio primi eſt:* quia
per hoc, quod quis fiat Clericus, non amittit libertatem, quam ex natura ſua habet; ergo poteſt de patrimonialibus non aliter, ac laicus diſponere absque
ullius præjudicio. *Ratio ſecundi eſt:* quia hæc dantur in ſtipendium laboris; nemo autem militat propriis ſtipendiis, & *dignus eſt operarius mercede ſua* (a).
Ex

(a) 1. *Timoth. c.* 5. *v.* 18.

Ex quo ſequitur 3. *pars :* nam & fructus beneficii ad ſuſtentationem neceſſarii ſunt juſtum ſtipendium, & æquum eſt, ut, qui altari ſervit, vivat de Altari.

(39) *D.* 2. Beneficiati tenentur ſub peccato mortali impendere in cauſas pias omnia, quæ ex fructibus beneficii ſuperſunt ſuæ congruæ ſuſtentationi, ſive ſit Canonicus, ſive alius Beneficiatus, Epiſcopus, Cardinalis ; etiam Papa. Eſt communis & certa omnium ſententia ; patet noviſſime *ex Trident.* (a) *Ratio etiam eſt :* quia eſt graviter indecens, & fundatorum intentioni contrarium, bona ad Dei cultum, & animarum ſalutem oblata in uſus profanos expendere, Hanc obligationem eſſe juſtitiæ, docet multorum valde probabilis ſententia, quæ utpote tutior in praxi ſuadenda eſt; ſed non omnes volunt ſequi tutiora nec ſemper tutius eſt, homines ad tutiora obligare ; hinc

(40) *D.* 3. Satis tuta & probabilis eſt ſententia communior, Beneficiatos acquirere verum dominium bonorum etiam ſuperfluorum, ac prædictam obligationem non eſſe juſtitiæ, ideoque bona ſuperflua poſſe valide, licet non licite, impendere in uſus profanos. Videtur omnino eſſe *D. Thomæ.* (b). *Prob.* 1. Jura abſolute iis tribuunt dominium, non diſtinguendo inter portionem neceſſariam, & non neceſſariam; ubi autem jura non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus. 2. Evidens eſt conſuetudine paſſim practicari hanc ſententiam : ergo ſi eſſet falſa, deberent infinitæ donationes & contractus facti a Clericis in cauſas profanas per ſuperiores reſcindi, qui ad hoc tenerentur ex munere ſuo, ſaltem in genere damnando hanc ſententiam, cum ſit in re tam gravi, & aliis damnoſa, ipſis-

(a) *Seſſ.* 25. *cap.* 1. *de Reformat.*

(b) *quodl.* 6. *q.* 7. *a.* 12. & 2. 2. *q.* 185. *a.* 7.

ipſisque incumbat cura pauperum; ſed hoc non fit; ergo dicendum eſt, quod hæ diſpoſitiones habeantur validæ. 3. Non eſt alicui imponenda obligatio juſtitiæ, niſi ex manifeſto jure aut ratione; ſed nec jus, nec ratio manifeſta imponens obligationem juſtitiæ datur; ergo. *M. p.* Quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, illique favent omnia jura, prout in materia juſtitiæ tenent omnes. *m. etiam eſt vera;* quia plurimi docti ac pii poſt diligentem inquiſitionem hanc obligationem negant; ergo ſaltem eſt dubia. Id quod ſatis agnovit Benedictus XIV., dum (a) dicit: urgeant Epiſcopi, & inculcent ſuis Clericis obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus &c. ſed adhuc latentem NB. hujus obligationis originem non inveſtigent. *Pro ſolutione objectionum*

(41) *Obſ.* 1. Dum SS. Patres, & Concilia bona Eccleſiaſtica vocant patrimonium Chriſti: bona pauperum; dum dicunt committi furtum, rapinam, ſacrilegium, ſi ſuperflua ad uſus profanos impendantur &c. ad hæc omnia reſponderi poteſt: vel loqui de ſuperfluis ante diviſionem, vel per quandam exaggerationem; ſic & laicos, de quorum dominio nemo dubitat, vocant pauperum homicidas, quando non dant eleemoſynam, ad quam tamen ex juſtitia non tenentur, vel denique loqui de bonis Eccleſiæ propriis.

Obſ. 2. Quamvis ab initio fideles bona ſua ideo Eccleſiæ vel Clericis obtulerint, ut ipſi inde ex una parte alerentur, & ex alia pauperes ſublevarent, non tamen cenſendi ſunt id feciſſe ex intentione ſtricte obligandi ex juſtitia, & in pactum deducta, quod foret neceſſarium: ſed potius præſumendum eſt, quod abſolute dederint, confidentes, Clericos charitatis officiis non defuturos; imo, quod majus eſt, non potuerunt velle ligare poteſtatem Papæ, quo minus per talem diſtri-

(a) *Lib. 7. de Synod. Cap. 2. Num. 14.*

diſtributionem poſſet facere, ut bona Clericis diſtributa illis appropriarentur; eoquod temporum ratio & perſonarum conditio ita exigeret; ſufficit ergo manere obligationem ex charitate, & ex ſtricto præcepto Eccleſiæ lato ex motivo religionis, ideoque & ex religione. Pro praxi

Reſ. 1. Beneficiatus, qui poteſt ex ſuo patrimonio vivere, licite reſervat ejus fructus, & vivit de reditibus Eccleſiaſticis; æquum enim eſt, ut, qui Altari ſervit, de Altari vivat; & eo ipſo, quod applicantur ad ſuſtentationem Miniſtrorum Eccleſiæ, ſatisfit intentioni fundatorum.

Reſ. 2. Qui ex aliis bonis in ſuam ſuſtentationem, vel opera pia impendit, poteſt mutata dein voluntate ex bonis ſuperfluis compenſare, ac pro libitu diſponere; quia ad hoc habet jus; poterat enim expendere ex fructibus beneficii.

(42) *Reſ.* 3. Suſtentatio congrua non conſiſtit in indiviſibili; ſed ſicut in juſto rerum pretio, ſic & hic datur infimum, medium, & ſupremum, & quidem in terminis paulo latioribus. Hinc non peccas, niſi excedas ſummum, quamvis ſuadendum, ut teneas medium; jam ſi nolis conſumere ſummum, potes quantitatem illam pro libitu impendere; es enim d-minus totius ſuſtentationis ſine onere juſtitiæ.

Reſ. 4. Hæc ſuſtentatio prudenter, non ſcrupuloſe eſt determinanda attenta conſuetudine timoratorum ſimilis conditionis, quæ eſt optima regula. Item attenta ratione loci, temporis, dignitate perſonæ: ſic V. G. plus licite impendit Decanus, quam ſimplex Canonicus. Huc etiam ſpectant honeſtæ recreationes, luſus, hoſpitalitas, moderata convivia, donationes etiam liberales, & alia ſtatui ſuo convenientia, expenſæ neceſſariæ in competentem ſibi familiam, medicinæ pro caſu ægritudinis, ea etiam, quæ ſervantur

in futuros caſus ſterilitatis, vel alterius infortunii quando hæc prudenter timentur: verbo, quidquid continetur intra limites competentis modi vivendi.

Reſ. 5. Quo Clericus eſt nobilior, notabiliter doctior, eo plus pro decenti ſuſtentatione licite impendit, intra limites tamen modeſtiæ Chriſtianæ; colligitur *ex Trident.* & quia tales regulariter plus proſunt Eccleſiæ, in cujus ſplendorem cedit habere Miniſtros doctos, & nobiles; non poterit tamen ex bonis Eccleſiaſticis ad conſervandum ſplendorem ſuæ nobilitatis tantum inſumere, quantum ex bonis patrimonialibus impenderet.

Reſ. 6. Qui habet plura beneficia, non poteſt ex ſingulis ſumere congruam ſuſtentationem; ſed ſi ad eam unius beneficii reditus ſufficiant, reliqua expendi debent in cauſas pias, niſi labor, aut dignitas perſonæ excuſent.

(43) *Reſ.* 7. Nomine cauſæ piæ non ſolum veniunt mendicantes ſtipem, ſed & non habentes media ſufficientia pro conſervando ſtatu ſuo; quales etiam ſæpe ſunt nobiles, item Religioſi, ſodalitates, hoſpitalia, Eccleſiæ, & quidquid ad Dei cultum, opera miſericordiæ ſpiritualia, vel corporalia per ſe ordinatur. Hinc

Reſ. 8. Poteſt ex ſuperfluis cognatos, ſicut & alios alere in ſtudiis, promovere ad doctoratum V. G. ſi parentes vel non poſſint, vel non velint; eſt enim de ſe opus pium, & in decorem Eccleſiæ, ac tunc promovendus indiget. Pariter poteſt conſanguineis dare, ut conſervent ſtatum ſuum, imo probabiliter, ut eleventur ad ſtatum, dignitatem talis Clerici non dedecentem V. G. ſi talis ex familia humili per ſtudia ſit promotus, quod intelligendum eſt de proxime propinquis; nam hoc ſuo modo eſt neceſſarium ipſi Cle-

rico

rico ad decorem ſtatus ſui, nec eſt proprie illos ditare, quod prohibet *Trident.*

Reſ. 9. Clericus habens filios ſive legitimos, ſive ſpurios, poteſt illis ex fructibus beneficii providere, ſi indigeant, nec habeat alia bona, quibus poſſit eis conſulere. Si aliunde non habeat, poteſt, & debet debita a ſe ſive in Clericatu, ſive ante contracta, ſolvere ex reditibus beneficii; quia tunc cenſetur pauper, ſolvere autem debita eſt opus pium; imo ſi ſint contracta tempore Clericatus ad habendam neceſſariam ſuſtentationem, vel ob cauſam piam, poteſt ea ſolvere ex ſuperfluis, licet habeat patrimonialia: ſi vero contraxerit propter exceſſum in alimentis, luſu, & ſimilibus, tenetur ſolvere ex patrimonialibus, aut proprio labore acquiſitis, vel parcius vivere ſervata ſtatus honeſtate, quantum ſufficit ad ſolvenda debita, quæ ſic culpabiliter contraxit.

(44) *Reſ.* 10. Clericus ex proventibus beneficii ſuperfluis licite emit prædia, ſi ea detineat in uſus pios, non ſi donet cognatis non indigentibus. Si autem male expenderit emendo bona ſive mobilia ſive immobilia, manet adhuc obligatus ad bona, quæ ſic comparavit, in uſus pios eroganda in æquivalenti; quia hæ res ſuccedunt in locum fructuum.

Reſ. 11. Non tenetur ſtatim erogare ſuperflua, ſed poteſt reſervare ad alium finem bonum V. G. ad piam fundationem ſuo tempore faciendam, modo deſit finis vanus elevandi familiam, non urgeat præſens pauperum neceſſitas, & abſit animus avaritiæ Clericis ſubinde familiaris, & valde dedecens; ſoletque facile oriri ſcandalum, ſi homines advertant, Clericum pecuniis congregandis ita intendere: debet etiam abeſſe periculum, ne poſtea ad uſus profanos deveniant.

Reſ. 12. Ad mortale hic requiritur multo major quantitas, quam in furto; interim non poteſt dari

regula certa: communiter vigeſima pars computatur gravis, ſi proventus ſuperflui excedant 100. florenos.

Reſ. 13. Beneficiatus non impendens ſuperflua in cauſas pias, peccat quidem graviter contra legem obligantem ad actum miſericordiæ vel religionis; non tamen tenetur ad reſtitutionem in hac ſententia. Interim niſi ſerio in hisce ſeſe emendet, abſolvi non poteſt, utpote manens in continuo peccato mortali. Perinde eſt, ait Bellarminus, ſive ex defectu charitatis, ſive ex defectu juſtitiæ, Beneficiatus ad infernum deſcendat.

(45) *Reſ.* 14. Recipiens a Beneficiato talia bona, non tenetur illa impendere in uſus pios; quia hoc præceptum afficit ſolos Beneficiatos. Difficultas autem eſt, an accipiens aliquid a Clerico donante ex ſuperfluis in uſum non pium accipiendo peccet: videtur, quod ita; nam videtur cooperari peccato Clerici male expendentis. Interim pro reſolutione

℞. 1. Peccat certo, ſi Clericum ad hoc inducat rogando V. G.; quia tunc eſt cauſa moralis peccati Clerici. ℞. 2. Acceptans non debet facile præſumere, ſi quæ ſibi a Clerico alias conſcientioſo donantur, eſſe ex ſuperfluis beneficii; quia non eſt præſumendum peccatum, ubi de eo non conſtat: poteſt ergo præſumere eſſe ex aliis bonis. ℞. 3. Si conſtet tibi eſſe ex ſuperfluis, adhuc ultro oblata licite acceptas, modo per hoc non reddatur impotens, ut ex aliis ſuis bonis expendat in uſus pios.

QUÆSTIO VIII.

(46) *De Dominio Religioſorum.*

D. 1. Communitates Religioſæ de facto habent dominium ſuorum bonorum temporalium etiam immobilium, exceptis Patribus de Obſervantia,

tia, & Capucinis. *Ratio ſufficiens habetur ex Trident.* (a) concedit enim ſacra Synodus, ut deinceps bona immobilia poſſidere liceat; poſſidere autem in ſenſu proprio dicit dominium, non adminiſtrationem tantum. *Deinde* communitas eſt perſona quædam fictione juris una & capax dominii; ergo cum communitates Religioſæ per diſpoſitionem Eccleſiæ non reddantur dominii incapaces, poſſunt illud habere; nec hoc obeſt perfectioni religioſæ; nam Chriſtus & Apoſtoli loculos habuiſſe leguntur: eſt tamen dominium vinculatum, quia non extendit ſe ad alienandas res immobiles, & mobiles pretioſas ſine licentia Papæ.

(47) *D.* 2. Nullus Religioſus ſolemniter profeſſus poteſt in particulari habere dominium alicujus rei temporalis. Eſt communis, & certa: habetur *ex Trident. cit.* *Ratio eſt:* quia ſolemni profeſſione per votum paupertatis abdicavit a ſe dominium proprietatis, imo & omnem uſum a voluntate ſuperioris independentem; unde eſt illud vulgare; *quidquid acquirit Monachus, acquirit monaſterio*, in quo non tranſeunter, ſed habitualiter moratur. *Dixi* 1. *nullus:* ideo nec Prælatus, œconomus, aliique adminiſtratores. Hinc, ſi ſuperior vel adminiſtrator quicunque rem quamcunque ſive Religioſo ſive extraneo largiatur, aut expendat aliter, quam Ordinis ſtatuta, legitima conſuetudo, aut rationabilis voluntas ſuperiorum poſtulant, peccat graviter contra paupertatem, & juſtitiam, ſi materia ſit notabilis, teneturque ad reſtitutionem; non enim eſt bonorum communium dominus, ſed adminiſtrator tantum. *Dixi* 2. *ſolemniter profeſſus;* nam qui in Societate JESU poſt biennium novitiatus faciunt vota ſimplicia, ſunt veri Religioſi, ut definivit *Gregoris XIII.* manent tamen Domini rerum antea habitarum, & acquirendarum, licet non poſſint ſine

U 4 Supe-

(a) *Seſſ.* 25. *cap.* 1.

Superiorum licentia diſponere licite; quia hoc per tale votum ſibi interdixerunt; *dico: licite;* quia probabilius valide, cum non detur lex irritans. *Dixi* 3. *rei temporalis*; Religioſus enim retinet jus & dominium in famam, honorem, jura eligendi, præcedendi &c. ad quæ acquirenda nomine ſuo agere non prohibetur: intellige, ex voto paupertatis; nam in ſimilibus contra votum obedientiæ peccare poteſt.

Obſ. 1. Religioſus, licet fiat Epiſcopus, non fit capax dominii in temporalia; quia nec ex natura ſtatus Epiſcopalis, nec ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ſolvitur ab obligatione votorum, licet non teneatur ad accidentales regulæ obſervationes, quæ ſtatui Epiſcopali non bene conveniunt.

(48) *Obſ.* 2. Incapacitas Dominii non oritur ex natura voti paupertatis; alioquin & ſimplex inhabilitaret, quod nemo dicit, & eſt contra vota Societatis: nec quia ſolemne eſt; nam votum ſolemne & ſimplex ex ſola ordinatione Eccleſiæ diſtinguuntur, quatenus Eccleſia votum ſolemne ea ratione per ſuperiores acceptat, ut omni dominio privetur profeſſus: ergo ſicut ſolemnitas voti eſt ex ordinatione Eccleſiæ (a) ita & incapacitas dominii. De cætero perfectio paupertatis religioſæ potiſſimum conſiſtit in abdicatione omnis uſus a voluntate ſuperiorum independentis: nam uſus magis avocat ab obſequio divino, quam dominium. Pro praxi

Reſ. 1. Religioſus peccat contra votum paupertatis pro quantitate materiæ, quoties rem aliquam pretio æſtimabilem, ſive ex bonis monaſterii, ſive aliunde acceptam abſumit, retinet, occultat, permutat &c. ſine expreſſo, tacito, vel prudenter præſumpto ſuperioris conſenſu (b). Inſuper hæ diſpoſitiones ſunt inva-

(a) *Cap. un. de voto. in ſexto.*

(b) *Part. I. Tract. II. Diſſ. 6. Q. 2.*

invalidæ, ideoque, qui acceperunt, tenentur ad reſtitutionem; quia Religioſus non habet dominium, & quidquid ſive per induſtriam, ſive per donationem, ſive per alium quemcunque titulum acquirit, non ſibi, ſed monaſterio acquirit. Pro quo

Reſ. 2. Conſenſus *Expreſſus* eſt, qui verbis, ſcripto, vel alio ſigno exprimitur. *Tacitus* eſt, dum ſuperior novit ſubditum aliquid accipere, retinere, expendere, & non prohibet, cum tamen facile poſſit. *Præſumptus* eſt, quem prudenter mihi perſuadeo, ſuperiorem daturum, ſi rogaretur, vel ſciret, eſtque differentia inter tacitum & præſumptum, quod præſumptus non ſupponatur de facto exiſtere, ſed extiturus, ſi peteretur, vocaturque etiam interpretativus; tacitus defacto exiſtit ſaltem implicite, vel quia in expreſſo continetur, vel quia ex circumſtantiis prudenter intelligitur. V. G. Superior dat licentiam proficiſcendi, nec providet de neceſſariis, hoc ipſo dat tacite licentiam accipiendi & expendendi ad hoc neceſſaria in via, dandi honeſtas, & moderatas eleemoſynas, exiguas donationes præſertim amicis &c.

(49) *Reſ.* 3. Optima eſt licentia expreſſa, ſufficit tamen tacita: ſic ſi ſit conſuetudo aliqua dandi vel recipiendi, & Superior non revocet, cum facile poſſit, adeſt conſenſus tacitus. *Dixi notanter: cum facile poſſit;* quia non excuſat Superiorum tolerantia, vel conſuetudo, quam Superior ſine gravi perturbatione, querela, murmuratione tollere non poteſt, aut quia hic & nunc non expedit contradicere.

Reſ. 4. Sufficit licentia præſumpta, ſi Superior adiri non poſſit, & res urgeat: item in rebus levioris momenti, & crebro occurrentibus: item in iis, quæ timorati practicant in Religionibus bene ordinatis, ſufficit conſenſus præſumptus, imo adeſt tacitus.

Reſ. 5. In rebus alicujus momenti præſente Superiore, aut non urgente neceſſitate non ſufficit licentia præſumpta; ſi enim hæc ordinarie ſufficeret, nunquam foret rogandus Superior, quod repugnat diſciplinæ regulari; vel enim credis daturum licentiam, ſi rogaretur, & jam habes præſumptam, ideoque non foret opus rogare: vel prudenter credis non daturum, & ſtulte rogas. Si tamen ſciatur, Superiorem non eſſe invitum quoad rem, eoquod rogatus facile concederet, licet aliquantulum ægre ferat non peti licentiam, talis uſus non excedit peccatum veniale, ut docent communius. Attamen ſi Superior ratione talis modi teneatur eſſe invitus, non ſufficit licentia præſumpta; tenetur autem vi officii etiam ſub mortali ſæpe ſic eſſe invitus, ne diſſolvatur diſciplina & obſervantia paupertatis; in rebus tamen ordinariis, ut ſunt parva munuſcula, eſculenta, tabacum &c. præſertim ſi accedat verecundia accedendi Superiorem, facile excuſabit licentia præſumpta. Hoc autem notandum, quod unus V. G. bene meritus, laborioſus, ſenex facilius præſumat, quam alius.

Reſ. 6. Religioſus ſine licentia ſui Superioris utens V. G. pecunia, cujus dominium relinquit apud extraneum, eſt proprietarius, non quod habeat dominium proprietatis, ſed quia habet vitium proprietatis utendo re illa independenter a voluntate Superioris (a).

Reſ. 7. Licentia debet eſſe obtenta ſine dolo; eſt autem *dolus*, ſi taceatur id, quo declarato non ſolet dari licentia, vel falſo exprimatur id, ob quod concedi ſolet. Aliud eſt, ſi taceantur, vel falſo exprimantur, quibus non obſtantibus ſolet dari, licet difficilius. Denique licentia Superioris debet eſſe rationabilis ex juſta cauſa non excedens paupertatem juxta modos ſuæ Reli-

(a) *Vid. Part. I. Tract. II. Diſſ.* 6. *Q.* 2.

Religionis, & dignitatem perſonæ (a). Interim dum Superior habetur vir prudens, & non apparet laxus, ſubditus ſupponere debet licentiam eſſe juſtam, niſi aliunde appareat contrarium.

(50) *Reſ.* 8. Religioſus profeſſus in Religione dominii capace non poteſt absque voluntate Superioris repudiare legatum, vel hæreditatem delatam; quia jus acceptandi vel repudiandi hæreditatem immediate acquiſitum eſt monaſterio. Aliud eſt de donatione, quam valide, imo quandoque licite & laudabiliter poteſt repudiare; quia per voluntatem præciſe aliquid donandi Religioſo, nullum adhuc jus translatum eſt in monaſterium: per legatum autem jam eſt jus quæſitum.

Reſ. 9. Religioſus nullam infert injuriam monaſterio, dum volenti ipſum vel monaſterium inſtituere hæredem id diſſuadet, & a propoſito revocat; quia ſupponitur nullum adhuc jus monaſterio acquiſitum, probabilius tamen per hoc peccat contra charitatem, ſi non habeat juſtam cauſam diſſuadendi.

Reſ. 10. Poteſt monaſterium adire hæreditatem, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, quamvis profeſſus poſt delatam, necdum tamen aditam hæreditatem moreretur; ſecus, ſi moreretur ante patrem, adeoque nondum delata hæreditate. *Ratio eſt*: quia in tantum monaſterio acquiritur jus adeundi hæreditatem, in quantum tempore delatæ hæreditatis repræſentat Religioſum ſecum moraliter eundem, cujus nomine ſuccedit tanquam hæres; ergo cum in priori caſu repræſentet ipſum tempore delatæ hæreditatis, non in poſteriori, habet in priori jus ſuccedendi, non in poſteriori.

DIS-

(a) *Vid. Part. I. Tract. II. Diſſ. 6. Q.* 2.

DISSERTATIO II.

DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

Duo ſunt generales modi acquirendi dominium alicujus rei ſcilicet *Occupatio*, & *Tranſlatio*: occupatione acquiritur dominium, ſi nullius: translatione, ſi alicujus ſit domini. Occupatio autem non eſt nudus rei conſpectus, ſed eſt apprehenſio quædam corporalis animo rem habendi ut ſuam; ad hanc ſpectat Venatio, Inventio &c. Translatio juris vel dominii ſit vel authoritate publica Principis, vel legis ſine conſenſu prioris domini, prout fit in Præſcriptione: vel authoritate, privata ſive cum voluntate prioris Domini V. G. in contractu.

QUÆSTIO I.

(51) *Quomodo acquiratur Dominium per Occupationem?*

D. Regula generalis eſt: res, quæ nullius eſt Domini, acquiritur per primam occupationem, niſi lex aliter diſponat. *Ratio eſt*: quia ſpectata rerum natura Deus ita ſubjecit creaturas inferiores homini, ut dederit jus faciendi ſuum, quod ab alio homine non eſt præoccupatum: nec ullus poteſt juſte conqueri de tali occupatione.

Obſ. Animalia quædam ſunt naturali indole manſueta, ut boves, oves, gallinæ domeſticæ &c. quædam ſunt fera & ſylveſtria, & ex his aliqua per hominum induſtriam ſunt cicurata, ut cuniculi, falcones &c. ſicut econtra quædam natura ſua manſueta, dum in ſilvis relinquuntur, efferantur, ut ſues, ca-

præ

præ &c. item quædam ſunt ſuæ naturali libertati relicta, ut feræ in ſilvis & montibus, piſces in fluviis. Alia ſunt concluſa, ut piſces in ſtagnis, feræ & aves in aliquo certo loco clauſæ. Pro his

Reſ. 1. Animalia domeſtica & natura ſua manſueta non fiunt capientis, licet egreſſa longius aberrent (a) *Ratio eſt:* quia hæc animalia, licet fugerint, cenſentur intra moralem poteſtatem ſui domini conſtituta propter indolem naturalem & conſuetudinem revertendi; hinc ovis V. G. longius aberrans etiam ex naufragio, ex faucibus lupi erepta, licet mortua, eſt domino ſuo reddenda.

Reſ. 2. Animalia cicurata tamdiu manent ſub dominio ſui domini, quamdiu habent conſuetudinem redeundi, vel quæſita facili negotio reduci poſſunt; amiſſa vero conſuetudine redeundi, & ſpe recuperandi fiunt primo capientis. *Ratio eſt:* quia in priori caſu non cenſentur extra moralem poteſtatem ſui domini, ſicut cenſentur in poſteriori; tunc enim naturalem libertatem recepiſſe creduntur. Quamdiu autem cenſeantur habere conſuetudinem redeundi, prudentum judicio ex circumſtantiis eſt definiendum.

Reſ. 3. Animalia ſilveſtria, quæ domino carent, fiunt primo capientis, & tamdiu in illius dominio maneat, quamdiu intra illius cuſtodiam coercentur. Cenſentur autem recepiſſe naturalem libertatem, quando vel oculos prioris domini effugerunt, vel licet ſint adhuc in conſpectu, tamen non eſt facilis eorum comprehenſio, V. G. ſi avis ex cavea in liberum aerem evaſerit. *Nec refert:* quod feræ capiantur in fundo alieno, dummodo aperto, etiam contra prohibitionem domini; nam dominus fundi poteſt quidem prohibere, ne quis ingrediatur ſuum fundum ad capiendas feras ob dominium, quod habet in fundum, ſed non

(a) §. *Gallinarum Inſtit. de rerum diviſ.*

non habet dominium in aves, vel feras ejus fundum ingreſſas; hinc qui contra mandatum ibi capit, ſibi capit, & tantum tenetur reſarcire damnum, ſi quod intulerit, non feras.

(52) *Reſ.* 4. Animalia e vivariis fugientia, ſi non ſit ſpes redeundi, vel ea recuperandi, fiunt primo capientis. Idem eſt, ſi ex alluvione, vel ex rupta crepidine piſces ex ſtagno vel piſcina in flumen tranſeant, ſi tranſcenſo muro cervi in ſilvam fugiant &c. tunc enim redeunt ad naturalem libertatem. Econtra peccat contra juſtitiam, & furtum committit, qui hæc animalia piſcinis, ſeptis, vivariis clauſa capit: ut ſic enim ſunt occupata, & habent pro domino illum, qui ea ibi clauſerat; hinc ſupra dictum eſt: *in fundo aperto.*

Reſ. 5. Si fera etiam ſponte e loco publico currat in tuum vivarium, ex quo exire nequeat, vel piſces e flumine influant in tuam piſcinam, in qua facile capi poſſunt, acquiris dominium; quia talia ſunt ex ſe ordinata ad ſimilem capturam, & ſemper adeſt animus capiendi, ſi adveniant.

Reſ. 6. Si primus lethaliter tetigeris feram, eamque inſequaris, & moraliter non poſſit te effugere, fera eſt tua, licet alius eam capiat, aut ultimo ictu proſternat: quia jam moraliter cepiſti.

Reſ. 7. Si unus laqueum poſuerit, alter feram irretitam eximat, videndum eſt, an facile eſſet evaſura ex laqueo, & tunc eſt eximentis: ſi non eſſet probabiliter evaſura, eſt ponentis laqueum; quia per laqueum ademerat illi libertatem, & occupaverat. Si in fundo alieno invito domino poſueris laqueum, dominus & feram, & laqueum licite eripit, prout habet praxis. Quod dicitur de ponente laqueum, applicandum eſt ponenti rete in flumine, & alteri piſces ex eo educenti, ac ſimilibus.

Reſ.

Reſ. 8. Si poſt extractos piſces ex meo reti, vel naſſâ iterum illud diſponas in capturam piſcium, quos ſecundo ceperis, tui erunt, ſi prior occupaveris; licet enim rete ſit meum, tua tamen induſtria capti ſunt: teneris tamen mihi compenſare damnum, & uſum retis, item lucrum ceſſans, ſi reti meo permanente plures piſces cum prioribus fuiſſem capturus.

Reſ. 9. Si examen apum integrum ex tuis alveariis evolet, tamdiu eſt tuum, quamdiu eſt in conſpectu tuo, & illud inſequeris cum ſpe recuperandi. Ubi vero diſparuit, & ſpes recuperandi ceſſat, ſit primo capientis. Idem eſt de novo examine: quamvis enim in tua arbore reſideat, nondum eſt tuum; quia nondum occupaſti, hinc ſi alius te præveniat, ſit illius, licet prior videris.

(53) *Reſ.* 10. *Per ſe loquendo* illicitum eſt occidere alterius columbas etiam paſcentes in tuo agro; probabilius enim eſt licere habere columbas, ſecluſa lege ſpeciali. *Ratio ſufficiens* eſt conſuetudo, & permiſſio Reip.

Ob. Columbæ fructibus & ſegetibus inferunt damnum, quod non ſolet, nec poteſt facile reſarciri; ergo illicite aluntur in apertis columbariis, poſſuntque capi, vel occidi. ℞. Etiam comedunt grana noxia, & impediunt, ne herbæ, & ſemina inutilia excreſcant, ac ſegetes ſuffocent, ſicque damnum compenſant. Non nego tamen, occidi poſſe, ſi vere damnum grave inferant tibi, nec aliter compenſare poſſis.

Reſ. 11. Si columbæ amiſerint conſuetudinem redeundi ad ſuum columbarium, præſertim de nocte, cenſentur recuperaſſe libertatem, ſicque fiunt primo capientis. Eſt autem illicitum alienas columbas illecebris, aut fraude in ſuum bariumcolum allicere, aut facere, ut conſuetudinem redeundi amittant, ideo taliter alliciens tenebitur ad reſtitutionem, niſi forte ibi ſit

ſit conſuetudo ſibi mutuo quovis modo ſubducendi, aut privilegium occidendi: ſi tamen abſit fraus, & columbæ ſponte V. G. ob meliorem eſcam aut ſitum meis commaneant, & ad alium redire deſinant, acquiro dominium, ſaltem ob communem conſenſum, & conſuetudinem.

(54) Q. 1. *Quomodo venatio, aucupium, & piſcatio fieri poſſint illicita?*

℟. Venatio fit illicita 1. *ex parte perſonæ;* ſic Eccleſiaſticis, & magis Religioſis interdicitur venatio clamoroſa, quæ fit cum magno ſtrepitu, multis canibus &c.; hæc enim dedecet ſtatum Eccleſiaſticum, daturque occaſio, ut bona in pauperes eroganda canibus V. G. alendis impendantur. Quieta venatio neceſſitatis, honeſtæ recreationis, vel exercitii cauſa facta per ſe mala non eſt, nec prohibita Eccleſiaſticis. Piſcationem non interdici patet ex eo, quod & Apoſtoli, poſtquam CHRISTUM ſunt ſecuti, eam exercuerint, (a) *intellige* per ſe, & ſecluſo ſcandalo. 2. Illicita eſt venatio *ratione temporis*, ſi inſtituatur diebus feſtivis, & occaſione illius negligatur Miſſa: venatio, piſcatio, & aucupium etiam diebus feſtivis *per ſe* non prohibentur: ſi moderate fiant, & modico durent tempore ſine omni ſtrepitu; in magnis tamen feſtivitatibus facile aderit ſcandalum. 3. Illicita eſſe poteſt, *ſi ſit damnoſa bono communi:* ut ſi fiat tempore, quo feræ ſunt gravidæ, aves nidificant; ſi piſcatio fiat piſcium nimis minutorum, vel per injectionem eſcæ, qua piſces moriantur, aquæ inficiantur. 4. *Ratione loci:* ſi contra domini voluntatem fiat in alieno ſaltu, agro, vel lacu; quia quilibet habet jus utendi ſuo fundo, ejusque uſum aliis impediendi.

(55) *Reſ.* 1. Princeps, vel Reſp. poteſt etiam ſolius recreationis cauſa ſibi reſervare venationem etiam in

(a) *Joann.* 21.

in locis ad privatum pertinentibus; habet enim jus exigendi a ſuis ſubditis, quæ ad honeſtam illius recreationem ſpectant. *Deinde* ſi venatio eſſet cuicunque licita, periculum foret, ne ſubditi venationibus dediti agriculturam negligerent, otio vacarent, ut in aliquibus locis docet experientia, vel ex uſu armorum ad ſeditiones, vel latrocinia allicerentur. Eſt quidem venatio jure naturæ licita, ſed donec prohibeatur, ſicut & comeſtio carnium. Poteſt & venatio reſervari perſonis aliis de Republica bene meritis V. G. Nobilibus.

Reſ. 2. Princeps (idem eſt de alio habente jus venandi) tenetur damna, quæ feræ ob prohibitionem multiplicatæ inferunt, reſarcire: nec per hoc excuſatur, quod permittat ruſticis occidere feras agros ſuos devaſtantes; quia plerumque his vacare non poſſunt pauperes ruſtici; a potiori tenetur reſarcire damnum, quod venatione per canes, aut alio modo infert domino prædii.

Reſ. 3. Qui venatur, vel piſcatur in loco prohibito, peccat contra juſtitiam in eum, qui ſolus habet jus ibi venandi, adeoque tenetur ad reſtitutionem non ferarum (quas facit ſuas, niſi locus ſit ita circumſeptus, ut feræ vel piſces facile poſſint capi) ſed damni ſecuti, ſi captura ferarum ideo fiat domino notabiliter difficilior, vel ſi ideo minori pretio elocetur, vel vendatur nemus. Idem eſt de illo, qui tempore prohibito venando, piſcando infert communitati grave damnum, extinguendo magna ex parte ſobolem ferinam; non vero peccas, ſaltem graviter per hoc, quod capias aliquot feras etiam magni valoris V. G. unum vel alterum cervum in magna ſilva, cum illæ ante capturam nullius ſint, quamvis peccare graviter poſſis exponendo te periculo gravis pœnæ. Feras ſic contra prohibitionem captas licite quis emit, vel donatas accipit, cum ſint

capientis. Dixi: *niſi locus ſit circumſeptus*; nam qui in fundo clauſo venatur, piſcatur, furtum committit, *ut ſupra.*

Reſ. 4. Princeps juſte prohibens venationem, non poteſt regulariter punire pœna corporali contravenientes, niſi ſint incorrigibiles, & urgeat gravis cauſa; quia ſecluſa contumacia vel contemptu hæc transgreſſio non eſt tam grave crimen, quod tanta pœna plecti debet; hinc rigide nimis procedunt aliqui contra miſeros ſubditos.

(56) *Q.* 2. *Quid de lignantibus, aut pecora paſcentibus?*

℞. 1. In ſilvis vel paſcuis communitatis ſuæ licet ligna & herbas colligere pro ſua neceſſitate, niſi Magiſtratus ex juſta cauſa inhibeat; quodſi ſubditi contra hanc inhibitionem ligna cædant, herbas colligant, puniuntur quidem, ſed graviter non peccant, neque ad reſtitutionem tenentur ante judicis ſententiam, niſi damnum notabile inferant V. G. ſtirpes notabiliter minuendo, grandiores arbores ſternendo &c., cum enim ſint pars communitatis, & ſimiles leges reſpectu ſubditorum plerumque ſint tantum pœnales, non eſt obligatio gravis.

℞. 2. Siquis in ſilva alicujus privati, aut alienæ communitatis, vel etiam ſuæ communitatis, ſed privato elocata ligna cædat, paſtum auferat &c. eſt furtum, & tenetur ad reſtitutionem non tantum arboris, & valoris illius, ſed & æſtimationis ſpei, quæ erat in futurum in arbore ſolo inhærente. Attamen in his ſpectanda eſt locorum conſuetudo, qua paſſim receptum eſt, ut liceat unum alterumve baculum abſcindere, pauperibus ligna arida pauca colligere, poſt meſſem collectam pecora in apertos alterius agros inducere &c.; requiriturque hic major quantitas ad peccatum mortale, quam in aliis furtis: & ſatis probabile

bile eſt, auferentem non teneri ad reſtitutionem, ſed tantum ad pœnam, ſi deprehendatur, qua ordinarie ſolet eſſe contentus dominus, licet multa minetur, clamet &c.; illa enim fiunt, ne laxentur habenæ, intellige ſemper: *ſecluſo damno notabili. Denique:* ſi auferens ſit membrum vicinæ communitatis, aut pagi ſylvam communem habentis, ex qua vicini etiam quandoque ligna aſportant, prout communiter fit, jam eſt quaſi mutua compenſatio, & ſic a peccato ſaltem gravi excuſantur. Sed attendenda in his eſt locorum conſuetudo, communis exiſtimatio, lex prohibens, ratio periculi, damni, vel ſcandali.

QUÆSTIO II.

(57) *An, & quomodo per inventionem acquiratur rerum Dominium?*

D. Res *inventæ:* quæ nunquam habuerunt dominum V. G. gemma inventa in littore maris, ſunt primo occupantis. Bona *vacantia* ſunt, quæ reliquit aliquis ab inteſtato decedens ſine hæredibus, qui ei juxta legem ab inteſtato ſuccedant; hæc de jure naturæ fiunt primo occupantis, jure civili cedunt Fiſco. Excipiuntur tamen bona mobilia peregrinorum, quæ in uſus pios per Epiſcopum loci applicari debent, ſi hæredes inveniri non poſſint: ex auth. *omnes peregrini C. comm. de ſucc.* Bona *derelicta* ſunt; quæ dominus ea mente abjicit, ut in numero rerum ſuarum eſſe nolit. Item: quæ a longo tempore perdidit, & depoſuit animum ea recuperandi: hæc ſunt inventoris; quia nunc nullius ſunt.

(58) *Reſ.* 1. Res ob periculum naufragii abjecta non habetur pro derelicta; quia Dominus optaret eam retinere, vultque recuperare, ſi poſſit; hinc, ſi in manus alicujus veniat, etiamſi eam ſalvaverit alias perituram,

 tene-

tenetur reſtituere; quia liberatio a deſtructione adjicitur rei, ceditque in bonum domini; ideoque excommunicantur in Bulla Cœnæ, qui bona naufraga Chriſtianorum occupant.

Reſ. 2. Theſaurus proprie eſt vetus depoſitio rei mobilis, cujus non exſtat memoria deponentis. *dr. vetus;* ſi enim eſſet recens depoſitio, haberet dominum, ſcilicet deponentem, vel ejus hæredes, ideoque non foret theſaurus. Ille jure naturæ & gentium eſt inventoris; attamen jus poſitivum ſtatuit, ut, ſi inveniatur in loco publico ad neminem ſpecialiter ſpectante, totus ſit inventoris: ſi in loco ad aliquem ſpectante inveniatur caſualiter, media pars cedit inventori, & media domino fundi, & hoc ante ſententiam judicis, quia hæc juris diſpoſitio non eſt pœnalis, ſed definitiva proprietatis rerum: ſi ex induſtria quæſitus ſit, ſtari debet pacto inito, ſi fiat cum conſenſu domini: ſi ipſo inſcio, totus eſt domini; ſed quia in hac parte leges ſunt pœnales, non obligant ante ſententiam judicis. Inventus arte magica in proprio fundo, totus eſt Fiſci; ſi eadem arte inveniatur in fundo alieno, dimidium, quod debebat eſſe inventoris, eſt Fiſci, dimidium domini; quia hic non tenetur ex culpa alterius, niſi ipſi ſit cooperatus; ſed interim quoad primum lex eſt pœnalis & ſententiæ ferendæ.

Reſ. 3. Venæ metallorum de jure communi pertinent ad Dominum fundi; quia ſunt pars fundi, vel ſaltem fructus naturales, ſicut fodinæ lapidum, carbonum &c. ſed in his ſpectandæ ſunt locorum ſpeciales leges, & ſervandæ (a).

Reſ. 4. Sciens in agro alieno latere theſaurum, imo & venam auri poteſt communi pretio emere; quia theſaurus nec fructus, nec pars agri eſt: & quamdiu

(a) *D. Thom.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. *ad* 2.

diu hæc communiter ignorantur, ager in communi æſtimatione non pluris valet.

Reſ. 5. Bona *incerta* ſunt, quorum adhuc eſt Dominus volens ea recuperare, ſed non ſcitur, quis ſit, V. G. pecunia recenter inventa. Horum aliqua habentur ſine delicto; ut ſunt inventa, vel habita ex contractu juſto; aliqua habentur cum delicto V. G. furto, injuſta venditione &c. de his, *ubi de reſtitutione.*

Reſ. 6. Bona incerta ſi inveniantur, debet adhiberi diligentia major aut minor ſecundum rei valorem & circumſtantias, ut inveniatur Dominus, V. G. ſi ſint magni momenti, affigi ſchedula, promulgari aliquoties ex cathedra &c.: ſi poſt adhibitam diligentiam ſufficientem non appareat Dominus, tuta in praxi eſt ſententia poſſe retineri, imo & conſumi. Ita cum aliis tenet Eminentiſſimus Gotti. *Ratio eſt;* quia obligatio erogandi in cauſas pias non ſatis probatur, videturque mens dominorum eſſe, ut res illæ aſſerventur, vel diſtrahantur, aut abſumantur, ſi conſervari non poſſint, cum obligatione reſtituendi, ſi forte poſtea compareat Dominus; quia ſic facilius Domini recipiunt ſua. Videtur etiam eſſe communis perſuaſio hominum, qui ſe fortunatos dicunt, quando aliquid invenerunt. In praxi tamen, præſertim ubi nulla adeſt ſpes inveniendi unquam Dominum, ſuadenda eſt ſententia oppoſita D. Thomæ (Gotti negat eſſe D. Thomæ) volentis poſt diligentiam ſufficientem danda eſſe pauperibus, vel ad uſus pios applicanda, ut ſaltem proſit ſpiritualiter, quod corporaliter prodeſſe nequit: ſi inventor ipſe ſecundum ſuum ſtatum ſit vere pauper, poteſt vel totum, vel partem ſibi ut pauperi retinere. Semper poſſunt ſubtrahi expenſæ inquiſitionis, pretium laboris &c. Alias domino comparenti res inventa reddenda eſt gratis, niſi liberaliter aliquid donet. *Denique* inventor non debet credere cuivis dicenti rem eſſe ſuam,

 niſi

niſi ſufficientibus ſignis probetur, & ideo etiam dum promulgatur, non debet nimis ſpecificari.

QUÆSTIO III.

(59) *Quibus modis fiat translatio dominii Authoritate publica?*

D. Acquiritur dominium 1. *Jure belli:* ſic in bello juſto prædæ hoſtiles per ſe cedunt militibus. Si capiantur, quæ hoſtes injuſte rapuerunt, de jure naturæ debent reſtitui dominis; jure tamen Cæſareo ad vitandas lites fiunt capientium, ſi hoſtes ea deportarint ad præſidia vel loca tuta: alias prioribus dominis reſtitui debent. Hoc jus Cæſareum tantum valet pro ſubditis Cæſari, & de bonis laicorum; quia de illis ſolis poteſt diſponere. 2. Per *Alluvionem* acquiritur Dominium ejus, quod vi aquarum paulatim & inſenſibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjicitur: ſi vero ſubita tempeſtas aquarum, aut disruptio fluminis partem notabilem de tuo fundo detraxerit, & alteri adjecerit, tibi manet. 3. Acquiritur per *ſpecificationem*, dum quis in alienam materiam ita novam inducit ſpeciem, ut ad priorem ſtatum reduci non poſſit V. G. ex meo frumento facis panem, panis eſt uſus, & mihi tantum competit actio perſonalis de ſatisfactione. Probabilius autem requiritur, ut ſpecificator bona fide ſpeciem induxerit; quia ſi faciat ſciens rem eſſe meam, cenſetur mihi donare ſuam operam. Si materia ad ſtatum priorem reduci utiliter poſſit; V. G. ſi feceris vas ex meo argento, dominium argenti manet mihi, & actio realis ad vas illud. Ubi

Obſ. Tunc inducitur nova ſpecies, quando in commercio humano fit nova res, quæ etiam ideo novo nomine ſubſtantivo profertur, V. G. ex lana fit pannus, ex hoc veſtis &c. Unde ſi V. G. ex lana alba facias

ni-

nigram, ex ſpicis excutias frumentum, non eſt ſpecificatio. 4. Dominium acquiritur per *Mixtionem*: Ubi

N. 1. Si miſceantur res liquidæ vel liquefactæ, dicitur *Confuſio*: ut ſi ex duobus oleis fiat unum, ex plumbo & argento tertium aliquod conflatum. Econtra ſi res ſolidæ miſceantur, V. G. mea pecunia cum tua indiſcernibiliter, dicitur proprie *Permixtio.*

N. 2. Si alienam pecuniam domino inſcio vel invito miſceas tuæ volens tibi acquirere, acquiris dominium; quia mixtio habet vim conſumptionis: niſi pars unius appoſita fuiſſet longe minor, ita ut moraliter habeat tantum rationem acceſſorii reſpectu alterius. Si permixtio fiat communi conſenſu vel caſu, dominium manet commune: ſi materiæ diſcerni facile poſſint, ut plumbum & argentum, ex quibus conflaſti poculum, non acquiris alieni dominium: ſi diſcerni non poſſint, acquiris, licet mala fide proceſſeris, ſed cum obligatione ſatisfaciendi de damno, ſi mala: vel in quantum inde factus es ditior, ſi bona fide proceſſeris.

5. Dominium acquiritur *Acceſſione*; etenim (a) *acceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Alia autem eſt acceſſio *naturalis*, & fit per nativitatem, ſic partus animalis ſequitur ventrem, arbores fundum, in quo creſcunt: alia eſt *induſtrialis* requirens novam operam V. G. ſi annulo tuo includas gemmam alienam, ſi ex alieno argento pedem V. G. addas tuo poculo &c. dominus principalis fit dominus acceſſorii, licet ſit pretioſus; attamen ſi ſine damno ſeparari poſſit V. G. gemma eximi, non transfertur dominium, daturque actio ad exhibendum annulum, ut eximatur. Ad acceſſionem reducitur *Inædificatio*, *Implantatio*, *Statio*, *Scriptura*. & *Pictura*; qui & in his unum alteri adjicitur, ſcilicet ædificium, arbor, & ſemen fundo, characte-

(a) *R. J.* 42. *in* 6.

racteres chartæ, imago tabulæ, vel thecæ, *de quibus juriſtæ.*

QUÆSTIO IV.

An, & quomodo acquiratur Dominium per Præſcriptionem?

Præſcriptio eſt *Modus acquirendi dominium, quo per poſſeſſionem modo ac tempore a legibus definito continuatam obtinetur jus, vel liberatio aliqua.*

(60) *D.* 1. Præſcriptio transfert dominium etiam in conſcientia. *Prob.* Reſp. aut Princeps ob dominium altum, quod habet in bona ſubditorum, poteſt ex juſta cauſa bonum commune concernente transferre dominium rerum absque conſenſu & culpa prioris domini; ſed hoc hic facit; ergo *p. m.* Finis præter alios fuit, ne diu & fere ſemper incerta eſſent dominia (a) ut puniatur ſocordia hominum in conſervandis rebus & juribus ſuis: ne poſſeſſores continuo metu amittendi rem poſſeſſam res ſuas negligerent: ne infinitus eſſet numerus litium (b); ſed hi fines ſaltem aliqui non obtinerentur, niſi valeret in conſcientia; ergo. *Dein* Juris Canonici finis eſt ſalus animarum; ergo approbando jus Cæſareum conſcientiam etiam ſpectat.

Ob. 1. *Nemo debet cum jactura alterius locupletari* (c). ℞. Ex re manente aliena. *c.* quæ per juſtam legem fit præſcribentis. *n.*

Inſt. Si nulla interceſſerit culpa, aut negligentia prioris domini, injuſta eſt privatio quaſi pœna. ℞. *n. a.* Solus legum finis non eſt punire negligentiam, nec leges aſſiſtentes præſcriptioni ſunt ſimpliciter pœnales, ſed authoritativæ.

Reſ.

(a) *L.* 1. *ff. de uſuc.*
(b) *L. ult. ff. pro ſuo.*
(c) *R. J.* 48. *in* 6.

Reſ. 1. Si finita præſcriptione inveniam bonum illud fuiſſe alienum, non teneor reſtituere: quia per præſcriptionem factus ſum dominus, & alter amiſit dominium.

Reſ. 2. Si reſtituerim putans erronee me ad hoc teneri, alter non poteſt retinere.

Reſ. 3. Poſſum repetere, imo uti occulta compenſatione, ſicut ſi ſolverim erronee, putans me teneri.

Dices. Qui litigando obtinuit V.G. domum per ſententiam Judicis bona fide latam; non obſtante hac ſententia tenetur reſtituere, ſi poſtea advertat, ſe non eſſe illius dominum: ergo a pari. ℞. *n. c.* Præſcriptio transfert rei dominium, non ſic ſententia Judicis; Judex enim tantum declarat, quis ex allegatis videatur habere jus; ergo ſi poſtea videam, me non habuiſſe, teneor reſtituere, niſi jam præſcripſerim.

(61) *D.* 2. Ad legitimam præſcriptionem 4. requiruntur conditiones: 1. *Res apta præſcribi.* 2. *Bona fides.* 3. *Juſtus titulus.* 4. *Poſſeſſio legitimo tempore continuata.* Circa *primam*

Reſ. Præſcribi non poſſunt: 1. Loca ſacra, loca publicis uſibus deputata, ut ſunt forum, pontes, viæ publicæ; quia jus ei reſiſtit. 2. A laico jura ſpiritualia, ut jus decimandi, conferendi beneficia, cognoſcendi cauſas eccleſiaſticas; non enim poteſt illa poſſidere. 3. Non datur præſcriptio contra obedientiam Superioribus debitam, aut viſitationem abſolute, bene tamen contra obedientiam huic potius, quam illi. 4. Non procedit præſcriptio in actionibus omnino liberis; niſi is, qui facultatem habet, alterius prohibitioni cum patientia acquieverit, unde ſi domum tuam altius hactenus non ædificaveris, non ideo contra te præſcribitur, ſi tamen ab alio prohibitus ceſſaveris altius ædificare, contra te currit præſcriptio. Si certis

annis donaveris Eccleſiæ oleum pro lampade, non ideo contra te præſcribitur, nec teneris dare; ſi tamen Eccleſia exegerit, tuque acquieſcas, & des, contra te currit præſcriptio; ſic enim incipit contra te poſſidere jus, actusque tui erunt tanquam debiti. Econtra ſi non præſentes ad beneficium vacans, potes præſcriptione jus amittere; quia leges requirunt certum tempus ad præſentandum. 5. Res indiviſa communis pluribus non poteſt ab aliquo illorum præſcribi; quia nomine aliorum poſſidet. 6. Res furtiva, vel vi poſſeſſa non præſcribitur tempore ordinario; quia ex juris diſpoſitione laborat vitio reali ipſi inhærente, quod purgatur ſpatio annorum 30. Eſt autem *res furtiva* res mobilis externa injuſte accepta: unde ſi eſſet tantum detenta, aut dolo malo per contractum V. G. ſit acquiſita, poteſt præſcribi tempore ordinario, ſi cætera adſint. *Ratio horum eſt:* quia non eſt apprehenſio juris adminiculo, cum jus reſiſtat, *toto tit. de præſcrip.*

(62) *Bona fides* hic eſt judicium practicum, quo quis prudenter judicat ſe habere jus talem rem poſſidendi ut ſuam, quia vel poſitive exiſtimat ſaltem probabiliter eſſe ſuam, vel ſe habere jus ponendi, aut omittendi actionem, eſtque *bona fides poſitiva;* vel ſaltem invincibiliter ignorat eſſe alienam, aut ſe agere contra jus alterius, eſtque *bona fides negativa;* alterutra requiritur, quia iniquum eſt, alienum cognitum ut tale ſibi arrogare.

Reſ. 1. Cum mala fide nunquam præſcribitur; nequidem per tempus immemoriale; & jus civile, ſi videatur contrarium, in hoc correctum eſt a jure Canonico, ut conſtat ex Concil. Lateran.

Reſ. 2. Qui ante inchoatam poſſeſſionem prudenter dubitat, an res illa ſit ſua, an aliena, non habet bonam fidem ſufficientem ad præſcriptionem; quia non habet titulum ſibi rem uſurpandi; & ſibi eam appropriam-

priando exponit ſe periculo alteri faciendi injuriam: poteſt tamen velle poſſidere conditionate, ſi res non ſit alterius: ſed hæc poſſeſſio non ſufficit ad præſcribendum, quia ſi fuerit aliena, noluit poſſidere, ergo non poſſedit: ſi autem fuerit ſua, non indiget præſcriptione.

Reſ. 3. Si bona fide inceperis poſſeſſionem, & poſtea prudenter dubites, an ſit tua, teneris diligenter inquirere: ſi facta morali diligentia non invenias eſſe alienam, potes inſiſtere poſſeſſioni, & ſic præſcribes; quia potes habere ut tuam, cum melior ſit conditio poſſidentis, modo tamen te reſolvas, retentionem ob titulum poſſeſſionis eſſe licitam; nam ſi retineas cum dubio practico, an liceat retinere, certo peccas, & ſaltem probabilius non præſcribis.

Reſ. 4. Si prior poſſeſſor, a quo rem accepiſti, bona fide eam poſſederit, tu autem ab initio ſtatim dubites, an ſit aliena, teneris inquirere: ſi non invenias eſſe alienam, potes pergere, & præſcribis; quia acquiſiviſti jus, quod habuit prior, qui ſuborto dubio potuiſſet pergere, ergo & tu, qui quaſi continuas bonæ fidei poſſeſſionem, poteriſque tempus illius computare cum tuo.

(63) *Reſ.* 5. Mala fides anteceſſoris non nocet ſucceſſori particulari, qui accepit V. G. per donationem, emptionem; hic enim cum bona fide tempore ordinario præſcribit: nocet tamen ſucceſſori univerſali, ſive hæredi, ſi ſit immediatus, ita ut, licet ipſe ſit in bona fide, non poſſit res ita poſſeſſas præſcribere; quia fictione juris hæres immediatus eſt eadem perſona cum defuncto, & una eorum poſſeſſio. Dixi: *immediatus*; quia hæres mediatus, ſive hæres hæredis, ſi uterque bona fide poſſideat, præſcribit tempore ordinario; quia jure vetant duas fictiones in eadem cauſa, ſicut umbra non facit aliam umbram; ſed primus hæres poſſeſſori

malæ

malæ fidei ſuccedens eſt fictione juris una perſona; ergo illa fictio non tranſit ad ſecundum; ergo ſucceſſor mediatus poteſt inchoare præſcriptionem, ſi ipſius anteceſſor fuerit in bona fide.

Reſ. 6. Poſſum præſcribere ſervitutem, quam aliquis habet in meo fundo, V. G. ut utatur meo puteo, ſi alter jure ſuo non utatur, licet ſciam jus illud ipſi deberi; quia nihil facio illicitum; nec teneor ipſum monere, ut utatur jure ſuo, videturque ſervitutem habere pro derelicta, dum uti potuit, & non fecit. Aliud eſt, ſi alter habeat jus circa rem meam, ut ego aliquid non faciam, V. G. ne feneſtras aperiam; tunc enim, ut præſcriptione jus illud extinguam, requiritur, ut bona fide faciam contrarium, & ipſe per certum tempus non contradicat; quia ſi ſcienter agam contra jus illius, facio illi injuriam; ergo non præſcribo.

Reſ. 7. Ut præſcribam libertatem a debito perſonali V. G. mutui, requiritur bona fides, vel ignorantia juris alieni, qua credam, me nihil debere, quia puto, debitum eſſe ſolutum, condonatum, &c. vel quia memoria excidit. Ratio hujus eſt: quia detinens rem alienam non præſcribit, licet dominus non repetat; ergo nec, qui ſcienter eſt alteri obligatus ex mutuo vel alio contractu; quia ipſa dies monet pro homine. Econtra præſcribo libertatem a pœna vel mulcta ſolvenda, ſi intra certum tempus non exigatur, licet ſciam, me debere; quia non teneor ſponte ſolvere, ſicut in priori; ergo poſſum habere animum retinendi ut meam, quamdiu non exigitur.

(64) *Reſ.* 8. Error invincibilis facti alieni præſcriptionem non impedit, ſed ignorantia Juris clari, etiam invincibilis impedit præſcriptionem, ſaltem ordinariam; quia facit fidem civiliter malam. Utrumque colligitur ex jure, quod ſic habet: *juris ignorantia negatur in uſucapione prodeſſe: facti vero ignorantiam*

tiam prodeſſe conſtat (a); hinc ſi rem aliquam tibi donet pupillus ſine authoritate tutoris, ſi judices pupillum poſſe alienare, non præſcribis: ſi autem neſcias, hunc eſſe pupillum, præſcribis; quia in primo eſt ignorantia juris, in ſecundo ignorantia facti. *Dixi: juris clari*; quia ubi eſt jus dubium, utrimque dantur opiniones de illo, & ideo non obeſt præſcriptioni.

(65) *Titulus* eſt cauſa a legibus approbata habilis ad acquirendum dominium, ut ſunt emptio, donatio &c. eſtque quadruplex 1. *Verus:* qui reipſa ſubſiſtit V. G. emiſti equum a domino, qui poterat vendere: & talis hic non requiritur; quia per hunc antecedenter habetur dominium accedente traditione. 2. *Coloratus:* dum adeſt titulus ex ſe habilis, qui ob latentem, & invincibiliter ignoratam cauſam fuit invalidus, V. G. emiſti equum a fure, ſed invincibiliter putabas eſſe dominum. 3. *Apparens*, ſeu *Exiſtimatus:* qui reipſa non exiſtit, attamen bona fide putatur exiſtere: V. G. prudenter judicas rem a patre tuo eſſe emptam, quod tamen factum non eſt, nequidem per emptionem invalidam; hi tituli ſufficiunt ad præſcribendum. 4. *Præſumptus:* quando non ſcitur de ullo titulo, quo res incepta eſt poſſideri, prudenter tamen præſumitur aliquis adfuiſſe.

Reſ. 1. In præſcriptione ordinaria præſcribens debet titulum probare, adeoque non ſufficit præſumptus; in extraordinaria, quæ eſt triginta & ultra annorum, titulus non requiritur; quia in tam longa poſſeſſione homo facile obliviſcitur tituli; ergo ibi loco tituli eſt longa poſſeſſio, adeoque ſufficit præſumptus.

Reſ. 2. In præſcriptione, per quam jus extinguitur, titulus non requiritur, ſic ſine titulo extinguitur debitum perſonale, libertas a mulcta facta &c. ***vide ſupra.*** Unde *Obſ.*

(a) *L. 4. ff. de Juris & facti ignorantia.*

Obſ. Res dicitur præſcribi ſine titulo, quando non debet determinatus allegari, ſed præſumitur a jure ob temporis longitudinem.

Quarta Conditio eſt *poſſeſſio continuata; pro qua vide* (a).

(66) *Obſ.* 1. Tempus in jure aliud dicitur *breve*, quod eſt infra decennium: aliud *longum*, quod inter præſentes eſt ſaltem 10., inter abſentes 20. annorum. *Præſentes* hic jure communi dicuntur, qui habitant in eodem territorio ſub eodem regimine, licet res ſint alibi ſitæ; *abſentes*, qui in diverſo habitant. Aliud dicitur tempus *longiſſimum*, quod eſt ſaltem 30. annorum: aliud *immemoriale*, cujus memoria non exſtat apud ſenes iſtius loci.

Obſ. 2. Res hic aliæ ſunt mobiles V. G. pecunia, veſtis, fructus agri &c. quibus annumerantur jura debita, quæ rebus mobilibus adhærent. Aliæ *immobiles*, V. G. domus, ager &c. Ad immobiles reducuntur annuus cenſus; reditus, uſusfructus, ſervitus, & alia, quæ rebus immobilibus adhærent.

Obſ. 3. Ad præſcriptionem inchoandam requiritur poſſeſſio naturalis, ad continuandam ſufficit ſola civilis.

Reſ. 1. Habens rem aliquam apud ſe depoſitam, vel commodatam, non poteſt illam præſcribere; quia non poſſidet nomine ſuo.

Reſ. 2. Ad præſcriptionem rei mobilis requiruntur, & ſufficiunt cum titulo 3. anni, ſine titulo 30.: rei vero immobilis contra privatam cum titulo inter præſentes 10. anni, inter abſentes 20. Si is, contra quem præſcribis, partim fuerit abſens, duo anni abſentiæ reputantur pro uno præſentiæ. Sine titulo requiruntur 30. ſive præſentes, ſive abſentes fuerint.

Reſ. 3. Ut res mobilis præſcribatur acceſſorie, non requiruntur 3. anni: ſic fructus cum fundo, cui inhæ-

(a) *Diſſ.* 1. *Quæſt.* 3. *n.* 16.

hærent, præſcribuntur hoc ipſo, quod fundus præſcribatur; imo probabiliter & fructus percepti & nondum per triennium poſſeſſi.

Reſ. 4. Libertas a debito perſonali præſcribitur 30. annis ex lege: *Sicut in rem. Cod. de præſcript.*

Reſ. 5. Si laici bona fide ab annis 40. non ſolverint decimas Eccleſiæ, immunes ſunt ab onere decimarum (a).

Reſ. 6. Servitus perſonalis extinguitur; ſi quis bona fide etiam ſine titulo annis 20. ſe geſſerit ut liberum; ſervitus vero realis inter præſentes extinguitur præſcriptione 10. annorum, inter abſentes 20. Tempus autem præſcriptionis incipit currere in ſervitutibus ruſticis, quando alter incipit non uti jure ſuo: in ſervitutibus urbanis, quando bona fide exercuiſti primum actum contra jus alterius.

Reſ. 7. Res pertinentes ad pupillos non præſcribuntur, niſi tempore immemoriali; ad minorennes nonniſi tempore longiſſimo: Fiſco ſæculari incorporatæ nonniſi ſpatio 40. annorum. Ad immobilia Eccleſiæ Romanæ requiruntur 100. anni. Idem eſt de Religioſis mendicantibus, & cum iis privilegia participantibus. Ad bona immobilia inferiorum Eccleſiarum, & locorum piorum requiruntur 40. anni.

(67) Præſcriptio dicitur *currere*, ſi incipiat, vel cœpta pergat; dicitur *non currere*, ſi vel non incipiat, vel incœpta ceſſet; ſi autem ita ceſſet, ut totum tempus præcedens extinguatur, ac ſi non præceſſiſſet, dicitur *interrumpi;* ſi vero ita ceſſet ob aliquod impedimentum, ut hoc ſublato non ſit neceſſe præſcriptionem de novo incipere, ſed tempus ſubſequens continuetur cum præcedente, dicitur *dormire.*

(68) Præ-

(a) *L.* 4. *&* 6. *de præſcript.*

(68) Præſcriptio interrumpitur *naturaliter*, dum ceſſat aliquid ex requiſitis ſubſtantialibus V. G. bona fides: *civiliter* interrumpitur per conteſtationem litis coram Judice competente, reſpectu illius, qui litem movit; ſi poſt litem motam ſequatur ſententia abſolutoria, computatur tempus litis motæ. Idem eſt, ſi a lite recedatur per transactionem. Præſcriptio *dormit*, dum judicia exerceri non poſſunt, V. G. tempore belli, peſtis; aut dum Eccleſia caret rectore, aut is juſto impedimento detinetur.

Huc etiam ſpectat *reſtitutio in integrum*, quæ hic eſt remedium juris, quo jus vel dominium per præſcriptionem amiſſum authoritate legitimi Judicis recuperatur; hoc beneficium in jure conceditur 1. Minorennibus quadriennio a die, quo majorennes facti ſunt, hoc eſt: ab anno 25to completo ad 29. completum. 2. Eccleſiæ & piis locis, ad res ſuas etiam longiſſimi temporis præſcriptione amiſſas recuperandas quadriennio a die, quo re intellecta integrum fuit petere reſtitutionem. 3. Illis, qui reipublicæ cauſa abſentes fuerunt, qui in vinculis conſtituti, vel alio legitimo impedimento detenti, quo minus res ſuas, dum præſcriptionis tempus currebat, repetant, quadriennio a die ceſſantis impedimenti; ſed hæc, & ſimilia Juriſtas potius, quam Theologos concernunt.

APPEN-

APPENDIX
DE
PIETATE, ET OBSERVANTIA JUSTITIÆ ANNEXIS.

(69) *D.* 1. *Pietas* eſt virtus, qua debitus honor & obſequium offertur iis, qui poſt Deum ſunt præcipui ortus noſtri authores, ut parentes, patria, conſanguinei, etiam deſcendentes, quatenus eſt in ipſis aliquid parentum, vel majorum: reducitur ad juſtitiam, attamen non eſt proprie talis; quia non eſt ſtrictum debitum, ſed morale tantum. *Obſervantia* eſt virtus, qua debitus cultus exhibetur Superioribus; ſicut enim pietas defert cultum parentibus, quia ſunt authores vitæ noſtræ; ita obſervantia ſuperioribus, quia nos gubernant.

(70) *D.* 2. Filii debent parentibus pietatem, hoc eſt: honorem & obſequium, in neceſſitate auxilium ac amorem. Subditi debent ſuperioribus obſervantiam, hoc eſt: honorem & obedientiam; parentes ut tales ſunt etiam ſuperiores. Hæc continentur his verbis (a): *Honora patrem tuum, & matrem tuam*, nomine patris & matris intelligendo parentes & alios ſuperiores; nomine honoris intelligendo omnia officia illis debita.

Reſ. 1. Odium, malevolentia, injuria, contemptus, &c. quæ reſpectu alterius forent levia, reſpectu parentum facillime ſunt gravia; quia ſtrictius iis, quam aliis debemus amorem, cultum, ac obſequium; eſtque

(*a*) *Exod.* 20. *v.* 21.

eſtque in his duplex malitia, una communis aliis, alia ſpecialis contra pietatem, excepta ſola materia furti; quia furtum per ſe non eſt contra pietatem, cum non lædatur honor.

Reſ. 2. Irreverentia illata ſuperiori a ſubdito, tutori a pupillo, Parocho a parochiano, Magiſtro a diſcipulo, Domino a ſervo, ſi communi æſtimatione graviter eorum authoritati adverſetur, habet ſpecialem malitiam in confeſſione neceſſario exprimendam.

Reſ. 3. Filius vel filia, qui ſine rationabili cauſa aliquid, quamvis de ſe non malum, facit, aut omittit, ex quo prævidet parentes graviter exacerbandos, contriſtandos, peccat graviter contra pietatem, amorem, & reverentiam parentibus jure naturali ſtricto & divino debitam; ſi tamen ſit rationabilis cauſa id agendi vel omittendi, & offenſio, vel contriſtatio parentum ex nimia eorum moroſitate, melancholia, malitia &c. oriatur, non peccat ſaltem graviter; ſicut non peccavit Jonathas Davidem intenſe diligendo, quamvis id ægerrime ferret Saul ipſius pater.

(71) *Reſ.* 4. Contra amorem & reverentiam parentibus debitam ſuppoſita deliberatione & gravitate materiæ graviter peccant filii: 1. dum eos interius odio, contemptu, indignatione perſequuntur, dum de eorum adverſis gaudent, de proſperis dolent, malum V. G. mortem optant, licet non ut malum parentum, ſed ut bonum proprium: ut hæreditate potiantur, a vexationibus eorum liberentur, patet ex Prop. (a) damnata, quæ ſic ſonat: *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.* 2. Dum parentes exterius affligunt, moleſtant verbis duris, inurbanis, torvo

(a) 14. *ab Innoc. XI.*

torvo aſpectu, geſtu contemptivo, irriſione, verbis vel ſignis illuſoriis &c. unde (a): *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur;* perinde autem eſt, ſive fiat in abſentia: ſive quod pejus eſt, in præſentia. 3. Si parentes percutiant etiam leviter, imo etſi tantum manum aut inſtrumentum levent ſine animo percutiendi; hoc enim graviter adverſatur reverentiæ paternæ: niſi forte id faciant ad neceſſariam ſui defenſionem. 4. Si malum ſive temporale ſive ſpirituale ab eis pro poſſibili non avertant. 5. Si accuſent, contra eos teſtentur in judicio ſive civili ſive criminali, niſi ad avertendum malum commune; ut, ſi pater conſpiraret contra Principem vel patriam, ſi ſeminaret hæreſin, & non ſit alius modus avertendi. Pariter peccare poſſunt etiam graviter, ſi juxta morem patriæ conſueta filialis reverentiæ ſigna non exhibeant; ſi alloqui, ſalutare, aſſurgere, caput aperire, locum cedere, certis temporibus bene precari detrectent; ſi eos propter paupertatem & vilem ſtatus conditionem agnoſcere recuſent, niſi forte inde filio V.G. damnum grave ſequeretur V.G. ſi pater eſſet publico ſupplicio affectus; in hoc enim & ſimilibus non peccant, ſi absque interiori contemptu patrem diſſimulent.

(72) *Reſ.* 5. Contra obedientiam parentibus debitam peccant filii non obedientes parentibus ſerio & ſtricte præcipientibus in rebus ad curam paternam ſpectantibus, ut: 1. in iis, quæ ſpectant ad bonos mores & ſalutem, ſi V.G. pater prohibeat filio converſationes malas aut periculoſas, prohibeat ludos &c. ſi præcipiat frequentationem Sacramentorum, catecheſis, concionis &c. 2. In iis, quæ ſpectant ad diſciplinam domeſticam, quod V.G. filius de rebus domeſticis nihil deſtruat, alienet, quod veſperi non vage-

 tur

(a) *Exod.* 21. *v.* 17.

tur &c. his, & ſimilibus peccant pro gravitate materiæ, ita ut, ſi transgreſſio præcepti, vel prohibitionis ſit jam aliunde mortalis, ut V. G. ebrietas, ſit duplex peccatum. Cenſetur autem materia gravis obedientiæ, quod independenter a præcepto eſſet peccatum mortale, vel quod multum abducit a ſalute, & conducit ad bonos mores. *Dixi: ſerio & ſtricte præcipientibus;* quia agere contra monitiones ordinarias parentum, licet ſit peccatum, dum aliunde fieri aut omitti debet, non tamen eſt peccatum gravis inobedientiæ. An & qualiter peccent contra voluntatem parentum ducendo uxorem, vel iis inconſultis, *Vide de matrimonio.*

(73) *Reſ.* 6. Contra ſubventionem debitam peccant filii, dum non ſubveniunt parentibus in neceſſitate ſpirituali: ſi V. G. negligant in mortis periculo iis providere de idoneo Confeſſario & Sacramentis: ſi eos a teſtamento conficiendo, a piis legatis ſine juſta cauſa impediant: ſi legata, aliaque opera pia teſtamento ordinata vel omittant, vel quamprimum fieri poteſt, non impleant: hæc enim dilatio ſæpe defunctis in purgatorio eſt graviter damnoſa. Item ſi parentes aliena detinentes, rapientes, curam ſalutis negligentes, certis peccatis gravibus addictos modeſte & reverenter corrigere per ſe vel alium V. G. parochum non curent. Dum non ſubveniunt in neceſſitate corporali V. G. incarceratos liberare non ſatagunt, infirmos non viſitant, curationem pro poſſe non procurant, injuſte vexatos non defendunt, graviter indigentibus neceſſaria pro ſua facultate non miniſtrant; quod verum eſt, licet mendicando, aut artem ſtatui ſuo indecentem, vel ætati incompetentem exercendo victitare poſſent.

Reſ. 7. Qui odio, malevolentia, injuriis &c. afficit avum, proavum, patruum, aviam, fratrem, ſoro-

ſororem, & probabiliter conſanguineos collaterales in ſecundo gradu, eisque in neceſſitate non ſubvenit (idem videtur de affinibus) peccat ſimul contra pietatem ſanguine junctis debitam. Pariter qui inobediens eſt avo & proavo in re gravi, debet hoc addere in confeſſione, quia & his debetur ex pietate obedientia. *Dixi: in ſecundo gradu;* quia ad hunc usque videtur pietas graviter obligare: erga remotiores, uti & erga concives tantum leviter obligat.

(74) *D.* 3. Parentes reciproce debent filiis etiam illegitimis amorem & educationem temporalem & ſpiritualem. *Prima* educatio dicit providentiam vitæ, victus, & ſtatus. *Secunda* inſtructionem, exemplum, & correctionem, & quidem ex juſtitia; unde ſi eorum defectus in hac materia ſint aliunde peccaminoſi, eſt duplex ſpecie peccatum; ſi V. G. pater maledicat filio, ſi coram eo blasphemet, malo exemplo ſit &c. ad quod attendere debent pœnitentes, & Confeſſarii.

Reſ. 1. Peccant ſpecialiter parentes, qui filios odio proſequuntur, mala ex animo imprecantur, verberibus ſine cauſa affligunt: qui, dum uni totum affectum impendunt, alios ut adulterinos vel extraneos deſpiciunt, &c.

Reſ. 2. Peccant parentes, qui prolibus non miniſtrant neceſſaria juxta ſuum ſtatum, dum ipſæ per ſe non ſufficiunt, ſi non adhibeant ſaltem mediocrem diligentiam ad acquirenda bona, quibus proles juxta propriam conditionem alantur, & ut ſufficientem habeant hæreditatem poſt mortem: ſi non faciant ſumptus neceſſarios, ut filii ſtudia litterarum, aut artem aliquam, vel opificium, quo honeſte vivant, addiſcant, prout reliqui ejusdem conditionis facere ſolent: ſi volentibus aſſumere honeſtum & ſibi convenientem ſtatum non ſuccurrant, aut, quod pejus eſt, impe-

 diant:

diant: ſi fraude aut metu ab ingreſſu in religionem abſtrahant, vel ad ingreſſum, aut alium ſtatum cogant, ubi tenentur in priſtinum libertatis ſtatum reſtituere: ſi absque urgente neceſſitate proles exponant in templis, viis publicis, quo caſu, ſi divites ſint, debent hoſpitali reſtituere expenſas pro nutritione factas; hoſpitalia enim pro pauperibus, non pro divitibus erecta ſunt.

Reſ. 3. Peccant parentes graviter, qui per ſe, vel alios non inſtruunt filios in neceſſariis ad ſalutem, ſi proles honeſtis moribus imbuere, earum vitia, & malas propenſiones extirpare, a malis ſociis, vel peccandi occaſionibus avocare non ſatagant, in domibus ſuſpectis habitare permittant; ſi non curent, quantum in ſe eſt, ut præcepta Dei & Eccleſiæ obſervent, ſi ad officia divina, catecheſin, conciones non mittant, & an vadant, non invigilent, exemplo non præeant: ſi raro, aut indulgentius, quam par eſt, corripiant, vel econtra continuo in omnibus reprehendant ex ira potius, quam charitate: ſi emendatis placari nolint, ex quibus contingit, filios ad iracundiam contra parentes incitari, aliquando in deſperationem aut puſillanimitatem incidere.

Reſ. 4. Peccant graviſſime, ſi etiam indirecte invitos compellant ad religionem, Clericatum, aut matrimonium; quia contra juſtitiam violant prolium libertatem, graviſſima inde mala nata ſunt ſequi, u maledictiones, deſperationes, impudicitiæ, ſacrilegia adulteria, quæ filios & filias in hac vita miſeros, & in altera miſerrimos efficiunt.

Reſ. 5. Mater peccat 1. ſi fœtu concepto noxi edat, bibat, ſaltet, currat, immoderate laboret, oner portet, levet, vel aliud faciat cum periculo abortu vel alterius gravis damni. Pater econtra graviter pec cat, ſi uxorem prægnantem inhumane tractet, exa

ſpe

ſperet, percutiat in grave damnum fœtus. Peccant, ſi non habeant curam, ne parvuli nimium plorando graviter ſibi noceant, in ignem aut aquam cadant, &c. 2. Specialiter peccat mater, ſi, dum proles a patre cum moderamine punitur, illa obſiſtat, aut proli poſtea blanditur, ac ſi innocens paſſa eſſet; hoc enim facit illas refractarias; ſi pater monendus ſit, fiat inſciis pueris.

D. 4. Mater debet prolem etiam ſpuriam lacte alere usque ad triennium completum, ad cætera tenetur pater, ſicut & ad alimenta poſt triennium, usquedum proles poſſit ſibi providere. Si mater lacte careat, aut non lactandi juſtam cauſam habeat, tenetur expenſas facere pater, ipſo deficiente mater, uti & poſt triennium deficiente patre alere prolem: poterit tamen has omnes expenſas repetere a patre vivente, vel a tutore, vel a filio aliqua bona poſſidente, modo fuerit proteſtata ſe feciſſe animo repetendi; alias cenſetur amore prolis gratis feciſſe.

Reſ. Eſt veniale, ſi mater ſine juſta cauſa proprio lacte prolem non nutriat, nobiles, ſi hoc facere absque rationabili cauſſa dedignantur, opportune moneantur a Parochis, quod vis lactis multum valeat ad genium & proprietatem lactantium aſſequendam: hinc, ſi nutrix ſit iracunda, temulenta vel impudica, facile hæc vitia cum lacte transmittit; ideo tunc Parentes tenentur bonam nutricem quærere.

(75) *D.* 5. Tutor & curator debet pupillo & minorenni curam in ſpiritualibus & temporalibus, ideoque 1. eorum bona fideliter adminiſtrare, educationem ſpiritualem procurare, non ſecus, ac ipſi parentes, quorum officio publica authoritate ſuccedunt; ideoque peccant mortaliter, & ad reſtitutionem in conſcientia tenentur, ſi eorum bona dilapident, ſibi uſurpent, in ſuos uſus convertant, ſi ſua culpa per

eant, ſi non augeant, dum poſſunt, tenenturque de lucro ſua culpa ceſſante, de damno emergente, ſi fructus, quos ex eorum bonis percipere poterant, ſua culpa non perceperint? quia aſſumendo officium ſe ad hoc obligarunt. 2. Peccant mortaliter, ſi notabiliter negligant eorum inſtructionem, & correctionem, ſi malis exemplis ad vitia provocent. Econtra pupillus tutori, minor curatori ſuo tenetur obedire.

(76) *D.* 6. Domini famulis, ſicut patresfamilias debent cum proportione amorem, inſtructionem, exemplum, correctionem, & inſuper juſtum ſtipendium. Famuli tenentur heris honorem, obedientiam, inſuper operas, ad quas ſe obligarunt vi contractus, ſerviendo & impediendo damnum domini, illum defendendo, non tamen cum periculo vitæ; niſi ad id ſpecialiter ſint conducti, & dominus temere ſe non ingerat.

(77) *D.* 7. Superiores temporales debent ſubditis adminiſtrationem juſtitiæ, conſervationem, & propagationem boni communis; præſunt enim, & ſubſidia accipiunt, non ut ſibi & ſuis, ſed ut ſubditis proſint; ideo peccant graviter, ſi crimina bono communi noxia non tollant, & quantum poſſunt, non impediant: pauperes viduas, pupillos injuſte vexatos non defendant; in his & ſimilibus multis peccant contra juſtitiam, quia ad hæc tenentur ex officio, ad quod attendere debent eorum Confeſſarii.

(78) *D.* 8. Superiores ſpirituales, quales ſunt Epiſcopi & Paſtores, debent ſuis ſubditis educationem ſpiritualem, hoc eſt: inſtructionem, bonum exemplum & correctionem; quia ſunt Patres ſpirituales: item ſuffragia: quia ſunt mediatores inter Deum & hominem.

(79) *D.* 9. Inter magiſtros, præceptores, & diſcipulos eadem fere eſt obligatio, quæ inter parentes & filios,

filios, interceditque tacitus contractus; hinc peccant graviter, ſi diſcipulorum progreſſum in litteris ſedulo non promoveant, ſcientiam, aut artem, quam profitentur, eos edocere negligant, tenenturque de damno, & ſalarium ſaltem ex toto non faciunt ſuum. Diſcipuli debent ipſis amorem, reverentiam, & obedientiam in his, quæ ad bonos mores, ſtudia, vel artes ſpectant.

(80) *D.* 10. Ex quadam obſervantia conjuges debent ſibi invicem amorem; quia ſunt una caro: honorem; quia vir eſt caput mulieris; mulier ſocia, non ancilla viri: debent proportionatam obedientiam; mulier viro in iis, quæ pertinent ad bonos mores, adminiſtrationem bonorum, regimen domus &c. ſi ſerio & diſcrete præcipiat; quia eſt caput familiæ: debent ſocietatem conjugalem, hoc eſt: cohabitationem quoad domum & thorum: denique alimenta.

Reſ. 1. Conjuges peccant graviter & ſpecialiter contra amorem mutuum, ſi ſe afficiant gravibus odiis, contumeliis, imprecationibus &c. Huc ſpectat peccatum *zelotypiæ*, ſeu temerariæ ſuſpicionis de fide alterius conjugis, quod ſæpe eſt grave, ſi non ratione ſui, ſaltem ratione effectuum ſeu gravium malorum, quorum eſt radix.

Reſ. 2. Contra honorem marito debitum peccat graviter uxor, ſi ipſum irrideat, aut, quod turpius eſt, ipſum percutiat, ſi verbis aſperis, aut alio modo ad gravem iram, blasphemiam &c. provocet.

Reſ. 3. Peccat graviter maritus, ſi uxorem honeſtæ familiæ temere vocet ſagam, meretricem, adulteram; plebeji communiter hæc non curant, niſi re ipſa putent ſerio dici.

Reſ. 4. Similiter peccat, ſi ſine gravi cauſa graviter percutiat; ob juſtam tamen cauſam licitum eſt viro moderate percutere uxorem juxta conditionem

perſonæ, vel eam duris verbis increpare ſecluſo affectu maligno.

Reſ. 5. Peccat, ſi illam ſine juſta cauſa impediat ab obſervantia præceptorum Dei, & Eccleſiæ: uxor vero debet tolerare mariti defectus, cum id exigat amor & reverentia debita.

Reſ. 6. Maritus poteſt, & debet corrigere uxorem delinquentem; ſi autem excedat, poteſt facile peccare mortaliter.

Reſ. 7. Regulariter peccant conjuges graviter, ſi non utantur eadem domo, menſa, & lecto. Cauſæ, ob quas ſuſpendi cohabitatio licite poſſit, ſunt 1. negotia familiæ hoc requirentia. 2. Exilium ex ſententia Judicis; maxime, ſi propter delictum contra compartem. 3. vitæ periculum. 4. conſenſus mutuus ad continentiam ſervandam ſecluſo incontinentiæ periculo. 5. bellum imperio Principis ſuſceptum. 6. brevis peregrinatio, etiam recreationis cauſa, quam uxore invita inſtituere poteſt maritus, non uxor ſine neceſſitate absque viri conſenſu; in tantum enim eſt uxore ſuperior.

Reſ. 8. Uxor tenetur maritum alio migrantem ſequi; penes virum enim eſt determinare locum habitationis, quia ille eſt caput, & uxor poſita ſub illius poteſtate *Gen.* 3. *Excipe* 1. niſi in pactis aliter conventum ſit, pacta enim mutuo conſenſu inita ſervari debent; ſi tamen & tunc neceſſitas aut cauſa rationabilis non prævіſa ſuperveniat mutandi domicilium, tenetur uxor comitari virum. *Excipe* 2. niſi ex electione vel mutatione grave ſequatur incommodum uxori, ut periculum corporis vel animæ; quia ad hos caſus non cenſetur, vel non potuit ſe obligare: hinc non tenetur, ſequi, ſi velit eam ducere in Regionem loginquam V. G. Indias, ſi in patriam hæreſi adeo infectam, ut ſit periculum perverſionis, vel non

poſſit

poſſit ibi ſervare præcepta Eccleſiæ : ſi prudenter timeat ſe ibi a viro deſerendam : ſi velit fieri vagus, & ante matrimonium non fuerit, vel non ſciverit eſſe talem.

Reſ. 9. Si uxor ex cauſa neceſſaria V. G. ob ſanitatem domicilium mutet, etiam maritus, ſi commode fieri poſſit, tenetur propter tuenda jura matrimonii.

Reſ. 10. Maritus tenetur uxorem alere convenienter ſtatui, ad hoc enim accepit dotem; ſi pauperem duxerit, ſibi imputet: ſi Pater dotem filiæ non ſolvat, cum poſſit, poteſt uxori alimenta negare, donec ſolvat; adhuc tamen cohabitare tenetur, & debitum conjugale reddere, quia hæc obligatio ex vinculo matrimoniali oritur, alimenta vero doti reſpondent. Non tenetur alere, ſi ſine juſta cauſa recedat a marito, quamvis dotem acceperit; quia ex jure, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet: ſecus, ſi ex juſta cauſa V. G. ob atrocitatem, vel morbum contagioſum vel etiam ob proprium delictum, ſit miſſa in exilium; in his enim caſibus maritus ad alimenta tenetur. Etiam uxor tenetur alere maritum, etſi ex propria culpa ſit incarceratus, infirmus, exul, ſi indigeat, nec ſibi camparare poſſit; hoc enim exigit vinculum conjugale. *De debito conjugali vide, ubi de matrimonio.*

Reſ. 11. Maritus peccat graviter, ſi, quantum moraliter poteſt, uxorem & familiam convenienter alere non curet, ſi otio, luſui, crapulæ indulgeat, & ſic rem domeſticam negligat, ideoque quamdiu talis eſt, abſolvi non poteſt. Hoc peccatum participant compotantes, & colludentes.

De Jure & Juſtitia.

Caſus I. Magiſtratus a monaſterio ſuſcipit pecuniam ſub penſione annua, ſolutionem differt ſub prætextu communis neceſſitatis, quam ut ſub-

ſublevet, ſubſidium a civibus exigit, aliquos immunes reddendo, & pecuniam male impendendo, unde aliqui cives Magiſtratui detrahunt, reverentiam negant, communibus oneribus ſe ſubtrahunt, qui ideo a Magiſtratu ſevere puniuntur. *Q.* 1. *Quotuplex ſit Jus & Juſtitia?* 2. *quam Juſtitiam in caſu exerceant tum Magiſtratus, tum cives?* 3. *qualiter peccent?*

℟. *Ad* 1. Jus aliud eſt *activum, in re*, vel *ad rem*; primum parit actionem realem: ſecundum tantum perſonalem. Activo correſpondet *paſſivum.* Juſtitia alia eſt *commutativa, diſtributiva, legalis, vindicativa* (a). *Ad* 2. ℟. Magiſtratus exercet 1. Juſtitiam commutativam; quia init contractum; hinc ſi injuſte differat, peccat graviter cum onere compenſandi lucrum ceſſans, damnum emergens: ſubſidium juſte exigit, modo ſervetur proportio ad cujuslibet facultatis; hinc peccat graviter ſine cauſa in bonum commune redundante aliquos eximendo, uti & ad ſuperfluos uſus impendendo, teneturque ad reſtitutionem; quia ſimul læditur juſtitia commutativa ob tacitum contractum. Cives juſte quidem conqueruntur, in re tamen gravi detrahendo peccant tum contra juſtitiam commutativam; habet enim Magiſtratus jus ſtrictum in famam ſuam: tum contra obſervantiam. Negando honorem ſeu reverentiam non peccant contra juſtitiam; quia eſt debitum morale. Subtrahendo ſe peccant contra juſtitiam legalem. Magiſtratus puniendo exercet Juſtitiam vindicativam, modo non excedat moderamen.

Caſus II. Titius ex uſufructu gaudet grege 300. ovium, prædio & ſylva plurimarum arborum, poſt mortem ipſius reperitur 1. quinquaginta

(a) *Vid. Num.* 4. 5. 6.

ginta oves caſibus fortuitis periiſſe; 2. arbores plurimas deficere, quarum aliquæ emortuæ, aliæ ab extraneis cæſæ, aliæ ventorum impetu dejectæ, & in uſum Titii converſæ: 3. agros eſſe ſteriles; *Denique* horreum frumentorum concidiſſe. Q. 1. *Quid & quotuplex ſit dominium? 2. an hæredes Titii teneantur damna illa compenſare proprietario?*

℞. *Ad* 1. Dominium eſt *jus gubernandi, vel diſponendi de re tanquam ſua.* Aliud *juriſdictionis*, aliud *proprietatis*, hoc vel *directum*, vel *utile*, vel *perfectum* complectens utrumque, vel *imperfectum*, dicens alterutrum (a). ℞. *ad* 2. Onera realia defuncti tranſeunt ad hæredes, ergo quia Titius fruens lana, lacte, agnis, &c. tenebatur numerum ovium ſupplere, loco arborum emortuarum plantare novas, ſilvam cuſtodire, ideo defraudata ſunt compenſanda ab hæredibus. Poterat pro ſe, & familia recipere ligna neceſſaria, & arbores ad reficienda ædificia: non aliis vendere: arbores grandes ventorum vi dejectæ ut pars fundi manent proprietarii. Idem eſt de ſterilitate agrorum, ſi ex culpa Titii provenerit. Idem eſt de horreo, ſi concidit defectu reparationum neceſſariarum, non ſi his adhibitis ex vetuſtate; non enim tenebatur ſine culpa ad magnas expenſas, quas ſi fecerit, compenſandæ ſunt a proprietario (b).

Caſus III. Cajus in teſtamento legat duobus fratribus ſuis uſumfructum vineæ: ancillæ ſuæ habitationem in ſuperiori domus parte: moritur Cajus, & poſt paucos annos unus ex fratribus, & alter fit religioſus: ancilla habitationem illam alteri elocat, usquedum maritata ipſamet inhabitet; filius Caji hæres uſumfructum tunc ſibi repetit, & alios præter ancillam excludit. Q. 1. *Quænam ſint aliæ ſpecies domi-*

(a) *Vid. Num.* 7. & 8. (b) *Vid. Num.* 4.

dominii utilis ? 2. quid ſi Cajus deceſſerit pridie illius diei, quo uvæ erant colligendæ ? & an filius bene fecerit ?

℞. *Ad* 1. Aliæ ſpecies ſunt habitatio, ſervitus, jus feudale &c. (a). ℞. *ad* 2. Si uſusfructus fratribus conjunctim ſit relictus, accreſcit alteri uno moriente, qui, ſi profiteatur in religione bonorum incapace, redit ad hæredem Caji : alias manet monaſterio ad vitam profeſſi (b). Si fructus maturi adhuc pendeant, dum moritur Cajus, cedunt duobus fratribus. *L. ſi pendentes. ff. de uſuf. & quemad.* Ancillæ tenetur permittere elocationem, ſi nubat, ut maritus, proles, famuli ſuperiorem partem domus inhabitent : hoc enim petit jus habitationis, ideoque poſſet & convictores aſſumere. Aliud foret, ſi hæres probaret Cajum intendiſſe legare ſolum uſum pro illius perſona. Interim mortua ancilla omnes expelli poterunt.

Caſus IV. Titius 1. ne amicus occidatur, ſe gladio objicit : 2. ne vivus comburatur, gladio ſe confodit : vel 3 ex altiſſima turri ſe in flumen præcipitat : 4. Licet advertat, per potum cauſari podagram, imo vitam abbreviari, non deſiſtit : 5. Laborans cancro, non vult ſibi abſcindi membrum infectum. Denique filium, ne vocis ſuavitatem perdat, caſtrari petiit. Q. 1. *Quis ſit Dominus vitæ & membrorum ? 2. An, & quale dominium in hæc habeat homo ? 3. quid ad caſum ?*

℞. *Ad* 1. Eſt ſolus Deus (c). *Ad* 2. Habet dominium utile ; quia qua uſufructuarius habet jus illis utendi in ſuum commodum ſalva ſubſtantia ; hinc, ſecluſa Dei conceſſione ſpeciali, nunquam licet ſe directe, hoc eſt, ex propoſito occidere (d) ; ex gravi tamen

(a) *Vid. Num.* 13. *ſeqq.* (b) *Vid. Num.* 12.
(c) *Vid. Num.* 23. (d) *Vid. Num.* 14.

tamen cauſa neceſſitatis vel utilitatis licitum eſt facere aliquid vel omittere, ex quo prævidetur mors ſecutura (a). ℞. *Ad caſum :* ſi amicus ſit Princeps, vel alia perſona publico neceſſaria, licite facit, alias non; quia prævalet vita propria. Transfodiendo ſe peccat graviter; quia eſt occiſio directa; præcipitando ſe non peccat, ſi ſit alia ſpes vitæ conſervandæ : quæ ſi deſit, non excuſatur. Continuando potum eſt in continuo ſui ipſius homicidio; attamen aſſueto non eſt omnino interdicendus; ſed minuendus ad arbitrium Medici. *Ad* 5. Si abſciſſio ſit valde difficilis & doloroſa, non tenentur permittere, ſicut nec æger procurare medicinas valde pretioſas, quia ſunt media extraordinaria (b). *In ultimo* peccat graviter, licet conſentiat filius; quia non licet ſe mutilare, niſi ob conſervationem totius.

Caſus V. Cajus 1. vi, metu, fraude vel ſollicitatione induxit Cajam in peccatum mortale, & plura venialia. 2. Aliquem maleficio privavit uſu rationis vel memoriæ. 3. Fraude abſtraxit alios a ſtudio. 4. Graviter detraxit ſuo Parocho, qui hoc reſciens diſſimulat ſciens ſe eſſe Innocentem. Q. 1. *An homo ſit dominus ſpiritualium bonorum animæ & famæ ?* 2. *Qualiter, & contra quas virtutes peccaverit Cajus ? & an Parochus bene ?*

℞. *Ad* 1. *aff.* Sive ſint externa, V. G. jurisdictio ſpiritualis, beneficia; ſive interna, ut gratia, ſcientia, pudicitia; quia de illis libere diſponit, hæcque ſua induſtria comparat; eſt dominus naturalium, ut uſus rationis, famæ, & honoris, quæ ſibi acquirit, & auget per actus proprios (c) : ſupernaturalium, ut gratiæ &c. ℞. *Ad* 2. *in* 1. Peccavit contra juſtitiam;

(a) *Vid. Num.* 25. (b) *Vid. Num.* 26.
(c) *Vid. Num.* 22.

tiam; habet enim Caja jus ſtrictum, ne vi aut dolo privetur gratia: inducendo ad venialia ordinarie ſaltem peccavit venialiter tantum; quia veniale in ſuo genere cenſetur malum leve: ſollicitando egit contra charitatem tantum; *ſcienti* enim, *& volenti non ſit injuria* (a). *In* 2. Peccavit contra juſtitiam, ideo maleficium, ſi licite poſſit, tollere, debet, & damna inde ſecuta, atque præviſa compenſare. *Idem eſt de* 3. *In* 4. Peccavit contra obſervantiam & juſtitiam; & licet Parochus ſit dominus famæ ſuæ, ideoque *per ſe* poſſit remittere ejus læſionem, quia tamen ejus diffamatio ſcandalum præbet, & impedit, ne officium ſuum rite peragat, ejus reparationem debet exigere ſub mortali.

Caſus VI. Caja ante decennium ſponſo ſuo pro dote contulerat 200. florenos; quia vero lucrati ſunt ultra 1000. moritura diſponit, ut 400. impendantur pro ſolatio animæ ſuæ: maritus male contentus rogat Confeſſarium, ad quid obligetur. Q. 1. *An & quale dominium habeat uxor?* 2. *Quid reſpondendum a Confeſſario?*

℞. *Ad* 1. Habet dominium dotalium, maritus uſumfructum & adminiſtrationem: habet plenum dominium paraphernalium, niſi horum adminiſtrationem viro conceſſerit; bona communia, ſi pari labore & induſtria ſint comparata, ſubjacent dominio utriusque (b). *Ad* 2. Si tempore, quo matrimonium contraxerunt, convenerint, ut bona ſuperlucranda ſint communia, potuit de media parte diſponere, adeoque implenda eſt ejus voluntas. Idem eſt, ſi pari labore & induſtria comparata ſint, poſito, quod deſint proles; non vero ſi ſola arte vel induſtria mariti; tunc enim ſolus ille de his diſponere poteſt, modo aliun-

(a) *R. J.* 27. *in* 6. (b) *Vid. Num.* 28.

aliunde proſpiciat familiæ (a). Caja vero tantum de dote, & quæ labore extraordinario acquiſivit. Interim, cum variæ ſint locorum de his conſuetudines, quas Confeſſarius ignorat, in ſimilibus mittat pœnitentem ad aliquem in his expertum, vel ipſemet interroget, & reſolutionem differat, alias cæcus cæcum ducet, & ambo in foveam injuſtitiæ cadent.

Caſus VII. Cajus mercatoris filius multum ſua induſtria lucratus eſt & patri & ſibi; nam 1. parce ſemper vixit in itinere, lucro inde ſibi retento: 2. pretium mercium ſæpe aliqualiter auctum dictitavit patri, aſſerens, pluris conſtitiſſe, quam erat: 3. ex his clanculo coemit ſibi, & vendidit merces cum lucro; 4. patre inſcio aliqua accepit in compenſationem ſui laboris, cum fratres eſſent otioſi, & ad ſtudia applicarentur. Q. 1. *Quotuplicia ſint bona filii, & quorum habeat dominium?* 2. *An, & qualiter peccaverit, & ad quid teneatur Cajus?*

℟. *Ad* 1. Habet bona caſtrenſia, quaſi-caſtrenſia, adventitia, & profectitia (b). In primis & ſecundis habet dominium plenum & adminiſtrationem, ſi ſit pubes: in tertiis dominium directum tantum: in quartis totum habet pater (c). *Ad* 2. Licite retinuit lucrum parſimoniale; cum enim laboraret pro patre, debebatur victus ſuæ conditioni competens; ergo, quod inde ſibi ſubtraxit, ſuum erat. Patrem decipiendo peccavit graviter, lucrum tamen inde comparatum juſte retinet; eſt enim fructus ſuæ induſtriæ & pecunia patri ſubtracta habuit ſe tantum materialiter, & ideo hanc ſolam tenetur reſtituere. *In quarto* peccavit accipiendo, & tenetur reſtituere; cum enim non petierit

(a) *Vid. Num.* 31. (b) *Vid. Num.* 31.
(c) *Vid. Num.* 34.

rit a patre ſalarium, cenſebatur remittere, & pater juſte potuiſſet ſubtrahere victum & veſtitum, quæ non tenebatur dare filio potenti illa lucrari. *Dein* cum oppoſita ſententia non ſit moraliter certa, licita non eſt occulta compenſatio.

Caſus VIII. Titius Clericus ſat pingue habens beneficium valde moleſtatur a conſanguineis: 1. nepos petit neceſſaria ad ſtudia proſequenda; 2. neptis una dotem, ut poſſit fieri monialis: 3. altera ut poſſit nubere, ut proinde nihil poſſit dare pauperibus aut Eccleſiæ ſuæ depauperatæ. Econtra Cajus Canonicus ſplendide ex Canonicatu vivit, multa expendit in canes venaticos, equos, &c. cogitans ſpectare ad honeſtam recreationem, ideoque licere; impendit quidem aliqua in ornatum Eccleſiæ jam ſuperflue ornatæ, ſed ex vana gloria. Q. 1. *An, & quorum bonorum dominium habeat beneficiatus?* 2. *Quid ad caſum?*

℞. 1. Habet plenum patrimonialium, quaſi patrimonialium, parſimonialium, imo & redituum beneficii; ex his tamen ſuperflua tenetur impendere ad cauſas pias, probabiliter non ex juſtitia, cum de hac obligatione non ſatis conſtet, ideo in dubio non eſt imponenda (a). ℞. 2. Promovere ad ſtudia, præſertim ut Deo & Eccleſiæ ſerviat, eſt opus pium (b), uti & ad ſtatum religioſum, ac Virginem ad honeſtum matrimonium, dum parentes vel non poſſunt, vel nolunt: hinc ſuperflua licite ad hos fines tunc impenduntur, modo abſit ſcandalum; quod facile aderit, ſi pauperibus indigentibus, vel Eccleſiæ depauperatæ nihil omnino detur. ℞. 3. Canonicus poteſt ſecundum dignitatem ſtatus ſui, attenta conſuetudine timoratorum ſimilis conditionis, ex reditibus vivere; ſi ex his

(a) *Vid. Num.* 38. 39. & 40. (b) *Vid. Num.* 43.

his canes V. G. multos alat, vix a peccato gravi liber erit; eſt enim cauſa profana ſcandalum præbens, dum pauperes negliguntur, & venatio talis Clericum dedecet (a). Quod Eccleſia ſit ſuperflue ornata, & adſit finis malus vanæ gloriæ; non impedit eſſe opus de ſe pium, ideoque per ſe ſatisfacit ſuæ obligationi.

Caſus IX. Monialis vinum, quod pro potu ſingulis datur, reſervat, vendit, & pecuniam inde acceptam in ſuos uſus pro libitu convertit, petitque a Superioriſſa, ut quædam munuſcula dare poſſit conſanguineis, quod, cum hæc ex paſſione neget, illa tamen donat. Q. 1. *Quale dominium habeant Religioſi? 2. Qualis requiratur licentia? 3. Quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Communitas Religioſa, exceptis PP. de Obſervantia & Capucinis, habet rerum ſuarum dominium (b): nullus vero ſolemniter profeſſus in particulari eſt capax dominii in rem temporalem, ſed habet nudum uſum dependentem a voluntate Superioris (c). ℟. *Ad* 2. Sufficit licentia tacita, imo & rationabiliter præſumpta, dum Superior adiri nequit, & res urget (d). ℟. *Ad* 3. Caja vinum illud vendendo, & pecuniam inde acceptam exponendo peccavit contra paupertatem: quia ſimilia non dantur Religioſis ad uſum quemcunque, ſed ad uſum determinatum; alias poſſet & veſtes meliores vendere, contenta vilioribus. *In* 2. pariter peccavit; quia licentia, etſi malitioſe negata, non excuſat a peccato proprietatis (e); facile enim quis ſibi perſuaderet, injuſte negari cum diſſolutione diſciplinæ religioſæ: dein ſubditus vi voti obe-

(a) *Vid. Num.* 54. (b) *Vid. Num.* 46.
(c) *Vid. Num.* 47. (d) *Vid. Num.* 48.
(e) *Vid. Part.* 1. *Tract.* 2. *Diff.* 6. Q. 2.

dientiæ tenetur obedire ſuperiori indiſcrete præcipienti, modo poſſit ſine peccato; ergo a pari.

Caſus X. Cajus Religioſus audit a matre, quod pater nuper defunctus ipſi in teſtamento legaverit 30. aureos, cui ipſe ait: nolo habere, quia Superior non relinquet mihi; ipſe autem non meretur, quia hucusque me male habuit, nec ideo melius me habebit. *Quid ad hoc reſpondebit Theologus?*

℟. Dicet Titium peccare graviter contra juſtitiam, & matrem teneri offerre monaſterio illos 30. aureos; huic enim, ſecuta morte patris, legatum eſt immediate acquiſitum. Aliud eſt, ſi donum repudiet, aut ſi volenti ſe vel monaſterium inſtituere hæredem ſine vi vel fraude diſſuadeat; tunc enim jus nullum monaſterio eſt acquiſitum; proinde valide & ſæpe licite repudiat (a)

Caſus XI. Titius 1. in ſylva Principis contra ſeveram prohibitionem furtim occidit cervos, & magno pretio vendit: 2. videns volucres hærentes in laqueis ab aliis poſitis aufert. 3. Piſces ex fluviis extrahit. 4. Cum fluvius ob aquarum inundantiam ſe per prata effudiſſet, & piſces per prata vagati defectu aquarum palpitarent, plurimos capit. 5. Conſtitutus nuper a toparcha venator ſubinde unum cervum retinet pro ſe. 6. Venando egreditur terminos ſui Domini. Q. *Qualiter peccet, & ad quid teneatur?*

℟. *In* 1. Peccat contra juſtitiam (b); quia lædit jus Principis: attamen tantum venialiter, ſi raro; cum enim feræ in loco vaſto nullius ſint Domini, Princeps venationem graviter prohibere nequit, niſi in quantum per eam jus venandi graviter læditur, impedi-

(a) *Vid. Num.* 50 (b) *Vid. Num.* 55.

peditur, vel minuitur, quod tunc non fit; ſi tamen propter ſeveram prohibitionem ſe & ſuam familiam exponat periculo gravis miſeriæ, utique graviter peccat, & ideo a Confeſſario ſerio eſt dehortandus. Interim pretium cervorum licite retinet; quia factus eſt cervorum dominus, ideoque & licite emi poterant. *In* 2. Si volucres fuerint ſuffocatæ, vel ita intricatæ, ut evadere non potuerint, fecit furtum, & tenetur reſtituere; quia tunc ponens laqueos ſatis occupavit illas (a). *In* 3. Si fluvii ſint ampli, ut piſces facile capi non poſſint dimiſſa V. G. aqua, valet reſponſum pro 1; alias valet reſponſum pro 2. *In* 4. Accipiendo palpitantes fecit furtum; quia tales poterant facile capi & retrahi in piſcinam; ergo non recuperarunt naturalem libertatem. Si piſces nunquam fuiſſent ſub ullius dominio, & ob inundantiam ad prata fuiſſent deportati; licite cepiſſet. *In* 5. Peccat graviter, & tenetur ad reſtitutionem; quia vi contractus initi & ſalarii tenetur omnes, quos cepit, dare domino. *In* 6. Non peccat ordinarie graviter; quia id Domini ſciunt, & ſibi invicem faciunt, contenti pœna, ſiquis deprehendatur.

Caſus XII. Cajus columbas ſui vicini ad ſuum columbarium venientes capit, & occidit: 2. Qua murarius in incendio omnibus ob evidens periculum fugientibus, clam domum ingreditur, invenit ciſtulam repletam auro & monilibus pretioſis, quam retinet ut ſpolium ſuæ audaciæ: 3. a milite poſt prædam levi pretio emit veſtimenta, quæ dum accuratius luſtrat, invenit inſutos aureos, quod bonæ fortunæ adſcribit: 4. Dum nuper juſſu heri vetuſtæ domus parietes dejiceret, reperit magnum auri & argenti pondus, quod clanculo domum portat. *Q. An licite? An, & cui teneatur reſtituere?*

 ℞. *Ad*

(a) *Vid. Num.* 52.

℞. *Ad* 1. Si ſponte illuc venerint, & redire deſinant, non peccat contra juſtitiam (a); ſæpe tamen contra charitatem, ob diſcordias oriri ſolitas. ℞. *Ad* 2. Peccavit graviter retinendo ciſtam, & tenetur domino reſtituere; quia ſtatus ille melior, uti pertinet ad ciſtam, ita & ad dominum ejus, ſub cujus dominio manebat. Interim juſte exigit pretium ſui laboris & periculi; quia negotium domini utiliter geſſit: ac licite retinet, donec pro his ſatisfaciat. ℞. *Ad* 3. Si ſcire poſſit, quis inſuerit aureos, tenetur ei reddere; quia non eſt theſaurus, nec dominus abjecit animum poſſidendi: ſi ſcire non poſſit, tuto retinere poteſt: militi nihil dare tenetur; hic enim non poſſedit, nec vendidit aureos, utpote ſibi incognitos, de quibus ſi cogitaſſet, prius veſtes perluſtraſſet. ℞. *Ad* 4. Tenetur in conſcientia medietatem dare domino domus, media parte licite retenta; quia habet ſe ut Theſaurus (b), qui ex lege non pœnali, ſed definitiva ex media parte cedit domino fundi, in quo ab alio invenitur caſu (c).

Caſus XIII. Titius 1. invenit crumenam, in qua 20. aurei, ex his quinque mittit ad religioſos, ut legantur miſſæ, alios ſibi reſervat; ex poſt audit eſſe Caji: 2. videt in urbe affixam Chartam, in qua ei 10. aurei promittuntur, qui perditum in templo pretioſiſſimum adamentem reportaret; hinc omni diligentia quærit & invenit, ſed non vult reddere, niſi habitis 10. aureis. Q. 1. *An inventor ſit dominus rerum inventarum?* 2. *An Titius potuerit ſibi reſervare medietatem?* 3. *An ipſe aut religioſi teneantur aliquid reſtituere?* 4. *An poterat exigere* 10. *aureos, aut retinere, ſi extorſerit?*

℞. *Ad*

(a) *Vid. Num.* 53. (b) *L. un. cod. de theſauris.*
(c) *Vid. Num.* 57.

℞. *Ad* 1. Bona inventa alia ſunt vacantia, alia derelicta, & hæc ſunt inventoris, non vero naufragia, niſi Dominus cenſeatur habere illa pro derelictis, vel ſi inveniri non poſſint (a). Alia ſunt incerta, & horum inventor non ſtatim Dominus eſt. ℞. *Ad* 2. Si præmiſerit inquiſitionem debitam, potuit ſatis probabiliter; & certo, ſi ſecundum ſuum ſtatum ſit vere pauper (b): ſi vero non præmiſerit, nec retinere, nec pauperi dare poteſt. ℞. *Ad* 3. Si non præmiſerit, & miſſæ ſint bona fide lectæ, totum debet reſtituere; quia non inquirendo debite, domino fecit injuriam; ſi lectæ non ſint, reddendum ſtipendium: ſi præmiſerit, exſpectaverit, & dein conſumpſerit, tenetur, quantum inde factus eſt ditior, vel totum, ſi adhuc habeat, niſi præſcripſerit. Ita Eminentiſſimus Gotti. ℞. *Ad* 4. Videtur, quod non; promiſſio enim non fuit plene libera; hinc poterat quidem aliquid petere pro labore ac ſumptibus forte impenſis: poterat gratuito oblatum honorarium acceptare: imo ex gratitudine aliquid petere: non vero totam ſummam extorquere, & extortam retinere.

Caſus XIV. Cajus accepit 50. florenos pro equo vendito, 5. pro honorario; quos dum cum ſuis pecuniis miſcuit, audit eſſe furtivos. *Item* emit duas oves, quas dum mactavit, audit eſſe furtim ablatas. *Q.* 1. *Quomodo dominium acquiratur mixtione, ſpecificatione &c.? An, & quid teneatur reſtituere Cajus?*

℞. *Ad* 1. Acquiritur confuſione & mixtione, ſi partes diſcerni ac ſeparari nequeant; quia per hæc fit moralis conſumptio; & quoad pecuniam eſt certum ex jure (c): item ſpecificatione, ſi ex re aliena bona fide facias

(a) *Vid. Num.* 57. (b) *Vid. Num.* 58.
(c) *L.* 78. *ff. de ſolut.*

facias novam ſpeciem &c. (a) ℞. *Ad* 2. Non tenetur reſtituere 50., cum fuerit poſſeſſor bonæ fidei, & per mixtionem acquiſiverit dominium, ſi ſua pecunia fuerit in majori quantitate, nec ſit factus ditior; cum pro iis dederit equum ſuum, alias non daturus. Quinque gratis acceptos tenetur reſtituere; quia in his factus eſt ditior, niſi forte conſumpſerit, alias non conſumpturus: attamen, ſi fur hos 5. jam ante permixtionem fecerit ſuos, licite retinet; quia dedit rem ſuam. Oves occiſæ, nondum in fruſtra diviſæ gratis reddendæ ſunt: quia non eſt ſpecificatio, quæ adeſt, ſi ſint diviſæ, adeoque ſi vendiderit, ad nihil tenetur, cum vendiderit rem ſuam, nec factus ſit ditior.

Caſus XV. Titius bona fide poſſedit agrum annis 9. ex poſt dubitat, imo certo comperit eſſe Caji: item titulo hæreditatis bona fide poſſedit domum annis 15. quam avus illius poſſedit mala fide. Q. 1. *Quænam requirantur ad præſcriptionem? An obſit dubium? 3 Quid teneatur Titius reſtituere ratione agri? 4. An reſtituere domum?*

℞. *Ad* 1. Requiruntur quatuor: *bona fides, titulus, res apta præſcribi: an poſſeſſio per tempus a jure determinatum* (b). ℞. *Ad* 2. cum dubio nequit incipi præſcriptio; quia nequit eſſe poſſeſſio juris; bene tamen cœpta continuari, ſaltem ſi fiat reſolutio practica (c). ℞. *Ad* 3. tenetur reſtituere agrum; quia non præſcripſit, cum non poſſederit annis 10. (d): pariter fructus trium ultimorum annorum; quia non poſſedit per triennium. Si hos conſumpſerit, non tenetur, niſi in quantum pepercit rebus ſuis. ℞. *Ad* 4. vel eſt hæres immediatus avi ſui, & præſcribere non poteſt; quia fictione juris eſt eadem perſona cum defuncto, & ea-

(a) *Vid. Num.* 59. (b) *Vid. Num.* 61.
(c) *Num.* 62. (d) *Num.* 66.

eadem eorum poſſeſſio: vel adiit hæreditatem mediante patre, & tunc, ſi ille fuerit in bona fide, potuit præſcribere, ne detur duplex fictio in eadem cauſa, quam jura reprobant; ideo, ſi dominus domus habitaverit in eodem territorio, aut non multis annis abfuerit, domum præſcripſit.

Caſus XVI. Titius Præceptor ordinarie ad inſtructionem ſero venit, quandoque emanet, argumenta ſuperficialiter corrigit; habet quidem ſubſtitutum, ſed cum ille parum mercedis accipiat, etiam parum curat, quo fit, ut diſcipuli parum aut nihil addiſcant. Q. *Quomodo peccet, & ad quid teneatur?*

℞. Peccat graviter, quoties notabiliter eſt negligens; quia omnes ſimiles ſub mortali tenentur ad diligentiam, quam diligentes adhibere ſolent. Unde Titius, & omnis Profeſſor Theologiæ, Philoſophiæ, Grammaticæ &c. Item docens modum ſcribendi, legendi, numerandi &c. Magiſter artis ſartoriæ &c. tenentur ad reſtitutionem non tantum partis ſtipendii pigritiæ proportionatæ, ſi in inſtruendo notabiliter negligentes ſint, ſed & omnium damnorum diſcipulis inde provenientium. *Vid. ſupra n.* 79.

Caſus XVII. Semphronius inferioriſta, & Cajus Theologus circa finem anni Confeſſionem quaſi annuam faciunt: *Primus* ſe accuſat, quod Præceptoris ſui mandatis ſæpe non obtemperaverit, eidem honorem & reverentiam debitam non exhibuerit. Alter, quod ex lectionibus frequenter emanſerit, tempus otio, luſui, non ſtudiis impenderit. *Quid de his judicabit Confeſſarius?*

℞. *Ad* 1. Obſervet ætatem & indolem: ſi enim ſit exiguæ ætatis, ſupponere poteſt, non peccaſſe graviter: ſi vero ſit notabilis ætatis, vel audacis indolis, interroget de materia imperata, an fuerit gravis? V. G.

fuga malæ converſationis, item de modo irreverentiæ, ut ſic debitum judicium de gravitate peccati facere poſſit. *Ad* 2. Si integro ferme anno parum aut nihil profecerit, non ob defectum capacitatis, ſed diligentiæ, a peccato mortali etiam contra pietatem excuſari non poteſt: quia tempus notabile inutiliter trivit, ſumptus non leves fruſtra fecit, quod ſolet graviter contriſtare parentes. Hoc magis verum eſt, ſi parentes ſibi ſubtrahant, & filio ſub ſpe cum tempore adjutorii impendant.

Caſus XVIII. Cajus & Caja confitentur, quod parentibus res diverſas abſtulerint; Confeſſarius interrogat, an ſimile ante alias confeſſiones etiam fecerint, reſpondent, ita: adduntque ſe a parentibus in furto aliquoties deprehenſos, & ideo ſæpe correptos fuiſſe. Q. *An peccaverint contra pietatem parentibus debitam?*

℞. Ita, & quidem mortaliter, ſi præviderint parentes inde graviter contriſtandos, prout prævidiſſe præſumuntur, dum fatentur ſe ſæpe correptos.

DISSERTATIO III.

DE INJURIIS, ET RESTITUTIONE IN COMMUNI.

QUÆSTIO I.

(1) *Quale peccatum ſit Injuſtitia legalis?*

N. 1. *Injuria* ſtricte prout juſtitiæ opponitur, ac idem eſt, quod *injuſtitia*, eſt læſio juris alieni; quod fit vel commiſſione V. G. non reddendo debitum; ſicut autem triplex eſt juſtitia: *legalis*, *di-*

diſtributiva, *& commutativa*, ſic & triplex injuſtitia, prout harum una violatur.

N. 2. Injuria alia eſt *materialis*, dum inculpabiliter læditur jus alienum; alia *formalis*, dum læditur culpabiliter: alia *gravis*: alia *levis*. Illa autem cenſetur *gravis*, quæ ſpectata communi hominum complexione, conſideratis circumſtantiis de ſe apta eſt apud virum de cætero prudentem cauſare magnam contriſtationem, indignationem, aut diſſolutionem amicitiæ; *levis*, quæ talis non eſt: quæ regula generalis infra magis practice applicabitur. Alia iterum eſt injuria *directa*; alia *indirecta*, alia *in bonis fortunæ*, alia *in bonis famæ &c. de quibus infra*. Difficultas hic eſt: an ſcienti & volenti poſſit fieri injuria, pro qua breviter. ℟. Non poteſt, ſi conſenſus ſit plene liber; & non irritus; ſic enim cedit juri ſuo, & renunciat legi faventi.

(2) *Reſ.* 1. Injuriam pateris, ſi ex metu gravi des pecuniam latroni; deeſt enim plena libertas.

Reſ. 2. Injuriam patitur pupillus libere conſentiens in alienationem ſuorum bonorum; talis enim conſenſus irritatur a jure, *& ſic de ſimilibus*.

Ob. Qui occidit volentem & rogantem adhuc infert injuriam. Idem eſt de percutiente Clericum volentem percuti, & de peccante cum uxore alterius libere conſentientis. ℟. Conſenſus illorum eſt juridice nullus; vel dicatur: non fieri illis injuriam, quæ tamen in primo fit Deo & reipublicæ, in ſecundo ſtatui Clericali, in tertio matrimoniali; his enim cedere homo non poteſt.

(3) *N.* 3. Injuſtitia legalis communiter committitur in defraudatione tributorum vel vectigalium. *Tributum* autem in genere ſignificat omne id, quod Princeps vel Magiſtratus a ſubditis exigit in ordine ad ſuſtinenda onera communia; hoc, ut ſit juſtum, requi-

ritur

ritur: 1. *Legitima authoritas* impotentis. 2. *Juſta cauſa*, qualis eſt neceſſitas, aut magna utilitas communis, debita Principis ſuſtentatio &c. 3. *Debita proportio*, ita ut divites plus tribuant, quam pauperes, plus illi, quos cauſa magis concernit, nemo ſine juſta cauſa liberetur &c.

D. Eſt obligatio gravis ſolvendi juſta tributa, licet non exigantur, niſi conſuetudo loci aliud habeat. Patet ex illo (a). *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal &c.* Imo hic eſt tacitus contractus, adeoque juſtitia commutativa, & *deinde* ſubſequens obligatio reſtitutionis, quo Magiſtratus V. G. ſuſcipit in ſe curam populi, & populus in ſe ſuſcipit ſuſtentationem illius, & obligationem præſtandi ea, quæ ad bonum commune ſunt neceſſaria.

Ob. Ordinarie additur mulcta, ideoque videtur lex pure pœnalis; ergo non obligat in conſcientia niſi ad ſolvendam mulctam, ſi exigatur. ℟. Non eſſe pure pœnalem, ſed vere præceptivam illius, quod faciendum eſt, & determinativam juſti ſubſidii: nec adjectio pœnæ tollit obligationem in conſcientia.

Inſt. Saltem non tenebuntur viatores peregrini, cum lex non obliget niſi ſubditos. ℟. Hi tenentur indirecte, & quoad hoc fiunt ſubditi tranſeunter; nam hoc pacto conceditur illis jus mercimonii & tranſitus, proteguntur a Superioribus loci, in quo vectigal exigitur, pontes & ſimilia cedunt in illorum utilitatem.

(4) *Reſ.* 1. Princeps vel Magiſtratus absque juſta cauſa tributum imponens, continuans, vel plus imponens, quam neceſſitas exigit, ludo, luxu, vel alio modo inutiliter abſumens, graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ſolvendo tantundem ex ſuis in ſubſidium communitatis, aut alio modo compenſando V. G. parcius vivendo.

Reſ.

(a) *Rom.* 13. *v.* 7.

Reſ. 2. Ut Princeps licite imponat tributum, debet ipſi eſſe ſaltem probabilius, quod ſit juſtum; quia hic agit ut Judex, qui ſequi debet probabiliora, & ne ſubditi, qui certo poſſident res ſuas, illis ſpolientur.

Reſ. 3. Similiter Conſiliarii vel Senatores hic ſuadere debent probabiliora; hoc enim exigit bonum commune, & ipſi tunc ſunt quaſi judices inter Principem & ſubditum.

Reſ. 4. Serio monendi ſunt a Confeſſariis Teloniarii, & ſimiles Officiales, qui ſub prætextu laboris extraordinarii, inſufficientis ſtipendii &c. inſcio Principe munera extorquent, aut alia exigunt.

Reſ. 5. Peccant mortaliter non tantum, qui notabiliter defraudant occultando merces, aliisque fraudibus utuntur ad ſubterfugiendam juſti tributi ſolutionem, ſed & qui ultro non indicant, ſecundum loci tamen conſuetudinem.

Reſ. 6. Gabellæ, quæ ad portam civitatis, vel viam publicam ſolvi debent, plerumque non ſunt ſolvendæ, niſi petantur; quia ſic habet locorum conſuetudo, modo nihil fraude agatur abſcondendo V. G. merces, divertendo, ne exactori occurratur.

Reſ. 7. In dubio poſitivo, an vectigalia ſint juſta, probabilius ſolvi debent; nam præſumptio eſt pro ſuperiore, qui ſupponitur cum ſuis Conſiliariis de juſtitia tributi melius judicare, quam privatus.

(5) *Reſ.* 8. Exactores tributorum præſumere poſſunt eſſe juſta, ideoque juſte exigunt, quamdiu non conſtat certo eſſe injuſta; nam juxta communem Theologorum in dubio, an lex ſit juſta, obtemperandum eſt ſuperiori.

Reſ. 9. Pauperes, qui ſolvendo tributa ſe, & familiam ſuam alere nequeunt, aut in gravia debita inciderent, excuſantur ob impotentiam; hinc poſſunt ſe ſubducere, exactores cum illis nonnunquam diſſimulare.

Reſ.

Reſ. 10. Econtra ſi exactores diſſimulent cum iis, qui ſolvere poſſunt, aut ſe corrumpi ſinant, peccant tam ipſi, quam corrumpentes, cum obligatione reſtitutionis; quia ſunt cauſa injuſta talis damni, non vero tenentur ſtatim ad pœnam ſolvendam; quia hæc ante ſententiam non debetur. Si ſciatur tributum eſſe injuſtum, poſſum corrumpere exactorem, ut mecum diſſimulet; nam hoc eſt redimere injuſtam vexam: ſed in praxi non eſt præſumenda, niſi raro admodum injuſtitia tributi.

Reſ. 11. Communiter hinc monent Theologi, ut, quando non ſatis conſtat de juſtitia tributi, ſicut hodiedum ob multitudinem facile contingit, ante factum ſubditi ſint hortandi, ut ſolvant; ſic enim exigit communis pax, & debita obedientia: poſt factam vero defraudationem non eſt pœnitens urgendus ad reſtitutionem. Interim defraudans aliunde etiam peccare poteſt, ſi ſe exponat periculo proximo, ne deprehendatur cum ſuo gravi damno.

QUÆSTIO II.

(6) *An, & quomodo peccetur per Injuſtitiam diſtributivam?*

N. Ille dicitur *indignus*, qui non habet capacitatem ad illud, quo indignus dicitur, vel moralem, quia propter aliquid meretur excludi vel phyſicam, quia propter aliquem defectum ſatisfacere non poteſt tali muneri. *Dignus* dicitur, qui habet capacitatem & requiſita ad hoc munus. *Dignior* eſt, qui omnibus conſideratis magis promovebit finem, ſive qui Eccleſiæ, vel qui communitati, cui præficitur, creditur fore utilior. Unde nec ſola virtus, nec ſola ſcientia, ſed omnia ſimul conſiderari debent (a). V. G. reſpectu loci,

(a) *Vid. Caſ.* 25. *de Virt. Relig.*

ci, ubi ſunt hæretici, vir doctior eſt dignior in ordine ad Parochiam, licet non ita devotus: alibi homo devotior, licet non ita doctus. Idem eſt de aliis talentis V. G. concionandi, cantandi &c. Debent etiam conſiderari circumſtantiæ extrinſecæ; ſic poteſt quis conſideratis omnibus intrinſecis eſſe magis idoneus, quia tamen ibi habet multos V. G. inimicos, parum boni efficiet, hinc abſolute non eſt dignior.

(7) *D.* Juſtitia diſtributiva obligat ſub peccato mortali, ubi materia eſt notabilis. *Prob.* Contra ipſam peccatur acceptione perſonarum, ſed acceptio perſonarum ex genere ſuo eſt mortale, ut cum S. Thoma communiter docent Theologi, ergo. *Acceptio* autem *perſonarum* eſt vitium, quo in bonis communibus ex juſtitia diſtribuendis vel oneribus attenditur ad circumſtantiam perſonæ, ad quam attendi non deberet: ut in diſtributione bonorum communium, collatione beneficiorum &c. non attenditur proportio dignitatis & meriti: in diſtributione onerum non attenditur proportio facultatis ſingulorum, ſed ad alias circumſtantias impertinentes V. G. quod aliquis ſit conſanguineus, amicus, dives &c. *Dixi: ex juſtitia diſtribuendis;* nam ſi aliquid liberaliter, vel ex ſola charitate detur, non habet locum acceptio perſonarum: poteſt enim quisque dare de ſuo, quod vult, & cui vult. Unde Deus non eſt acceptor perſonarum, licet majori peccatori majores det gratias. Ex his

Reſ. 1. Peccat mortaliter, qui indignum promovet, vel aſſumit ad officium ſive Eccleſiaſticum, ſive ſæculare; hoc enim cedit in grave damnum Eccleſiæ vel reipublicæ, quorum bonum procurare, & malum avertere tales ex officio debent; hinc promotus taliter tenetur reparare omnia damna reipublicæ vel Eccleſiæ inde obvenientia, & ipſo deficiente promovens, ac dein cooperatores.

(8) *Reſ.*

(8) *Reſ.* 2. Peccat mortaliter, qui relicto notabiliter digniore etiam extra concurſum eligit, vel promovet dignum ad beneficium Eccleſiaſticum curatum, qualia ſunt: Epiſcopatus, Decanatus, Paſtoratus, Rectoratus &c.; nam 1. id prohibet *Trident.* (a) & cum materia ſit gravis momenti, utique ſub mortali. *Dein* id poſtulat bonum animarum, & utilitas Eccleſiæ, eſtque acceptio perſonarum in re gravi.

Reſ. 3. Idem ob eandem rationem tenet de collatoribus laicis.

Reſ. 4. Idem ob eandem rationem tenet de officiis ſæcularibus majoribus.

Reſ. 5. Idem probabilius verum eſt quoad beneficia Eccleſiaſtica *minora & ſimplicia.* Ita magis communiter cum D. Thoma. *Ratio eſt:* 1. Quia hic eſſet acceptio perſonarum in re gravi. 2. Finis primarius inſtituendi beneficia fuit major Dei cultus, & majus bonum Eccleſiæ, ſecundarius remuneratio bene meritorum; ſed uterque impeditur, & eſt magni momenti; ergo. 3. Si excludens facit contra fidem debitam ex officio, & non eſt diſpenſator fidelis, quod in re gravi eſt mortale.

Obſ. Dignus poteſt facere, quod dignior facere tenetur; ergo Eccleſia non habet jus ad digniorem ℟. *n. c.* Quia Eccleſia vult liberari periculo, & diſtributionem fieri ſecundum merita.

Inſt. 1. Non teneor eligere ſtatum tutiſſimum; ergo nec eligere miniſtrum digniſſimum; ℟. *n. c.* Eligens ſtatum minus tutum nocet tantum ſibi, & poteſt, ſi velit, poſtea cavere damna ſuæ ſalutis: eligens minus dignum nocet etiam aliis; nec poteſt cavere damna.

Inſt. 2. Reſignans beneficium etiam curatum ſatisfacit, ſi reſignet vere digno, prætermiſſio digniore, ut videmus

(a) *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*

demus quotidie; ergo & alius eligens. ℟. *t. a.* Quod multi probabilius negant: *diſp. eſt* quia reſignans non eſt diſtributor boni communis, ſed tantum cedit alteri rem ſibi appropriatam. *Deinde* quia tales reſignationes fiunt ſub certis penſionibus ſatis moleſtis, difficulter adducuntur digniores ad illas. De cætero ſi multo dignior ſe offerat, vel ſit in promptu, charitas ſaltem boni communis videtur obligare, ut etiam in reſignatione præferatur.

Reſ. 6. Si agnoſcas te minus dignum, adhuc potes te ſiſtere relinquendo judicium collatoribus vel examinatoribus; quod tamen videtur non tenere, ſi certo ſcias te minus dignum, nec putes compenſaturum defectum per ſpecialem poſtea diligentiam; alias enim petis rem collatori illicitam. Si tamen bona fide quis ſe offerat, & præponatur aliis, quos judicat digniores, poteſt acceptare, ſequendo aliorum judicium, qui poſſunt habere juſtas cauſas.

(8) *Reſ.* 7. Dignior licite prætermittitur in ſequentibus: 1. Si beneficium debeat conferri perſonis certæ familiæ, patriæ, vel conditionis; ubi tamen ex illis dignior præferri debet. 2. Si dignior reſervetur ad aliud beneficium, quamvis tenuius, in quo erit utilior, vel magis neceſſarius Eccleſiæ; obligatio enim præferendi primario eſt ob bonum Eccleſiæ. 3. Si beneficium ſit parvi momenti, vel parum excedat alterum, quod datur digniori, ſi exceſſus dignioris non ſit notabilis, erit veniale tantum. 4. Si non poſſit diſcerni, quis ſit dignior, liberum eſt eligere, quem volueris; jam enim eligitur non ut poſitive, ſed ut negative dignior. 5. Si ipſe fundator beneficii præſentet dignum; hoc enim ipſi conceditur (a), ut ſic alliciantur fideles ad fundanda beneficia; quod tamen non extenditur ad hæredes. *Denique* ſi in electione votum meum non juvaret

(a) *C. Monaſterium cauſ.* 16. *Q.* 7.

ret digniorem, & ſi non conferam minus digno, eligetur indignus, aut alius longe minus dignus, poſſum eligere primum minus dignum; quia ſic utiliter gero rem Eccleſiæ.

Reſ. 8. Similes tenentur poſitive inquirere vi officii vel commiſſionis de dignitate vel indignitate eligendi, adeoque vana eſt excuſatio: *non putavi eſſe talem* &c. Sufficit tamen diligentia mediocris bona fide adhibita, qualem in negotio proprio magni momenti prudens adhibet.

(9) *Reſ.* 9. Graviter peccant Magiſtratus, vel ſimiles, ſi officia communia faciant quaſi hæreditaria, pleraque conferendo ſuis conſanguineis, non ſine periculo turbationis in populo; & licet conſanguinei ſint forte cæteris pares, aut etiam digniores, non tamen ſemper præferendi ſunt aliis; hoc enim pro conſervatione pacis, aliisque malis evitandis non expedit.

QUÆSTIO III.

(10) *Quid ſit Reſtitutio, & qualiter neceſſaria ad ſalutem?*

D. 1. Reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo vel ſuum domino redditur, vel damnum illatum reparatur. Pro quo

Reſ. 1. Obligatio reſtitutionis oritur ex violatione ſolius juſtitiæ commutativæ, non aliarum virtutum, nequidem juſtitiæ diſtributivæ, niſi per accidens, quatenus ſimul violatur commutativa ipſis annexa. *Ratio eſt:* quia illa ſola reſpicit jus ſtrictum, quod reparat reſtitutio. Hinc 1. qui alium quomodocumque impedit, ne conſequatur bonum aliquod illi ex juſtitia debitum, tenetur compenſare damnum, & quidem ad valorem ipſius rei, ſi habeat jus in re: ſi vero tantum habeat jus ad rem, quanti jus illud prudentum judi-

judicio æſtimabatur ſecundum majorem vel minorem probabilitatem boni conſequendi: ſi autem nullum jus habuerit, ſed erat liberaliter conferendum, tenetur pro rata ſpei, ſi vi, dolo, detractione, mendaciis, aut ſimili modo impediverit; quia licet non habuerit jus ad illud bonum, habet tamen jus ſtrictum contra quoscunque, ne per vim, fraudem &c. impediatur a bono ſperato: ſi ſine his etiam malitioſe ex odio &c. impediat, ad nihil tenetur; tunc enim nullum lædit jus illius. 2. Qui fraude, dolo, calumnia, vel detractione a conſecutione beneficii impedit indignum, aut minus dignum, dum huic licite conferri non poterat, tenetur quidem ad reſtitutionem famæ, quam injuſte læſit, non autem reſpectu boni impediti; quia reſpectu illius nullam fecit injuriam. Idem eſt, ſi beneficium per ſimoniam, aut modo illicito quæſiverit.

(11) *Reſ.* 2. Si bona communia diſtribuantur principaliter in bonum ipſius communitatis, uti beneficia, officia &c. quæ non omnibus, ſed dignioribus ſunt conferenda, tunc mala diſtributione peccatur quidem, ſed ex illa non oritur obligatio reſtitutionis extra concurſum, non enim reſtituendum eſt quid dignioribus relictis; ut habet communior & probabilior; quia hi ante collationem non habent jus ſtrictum ad ea: nec communitati; quia ſupponitur ei ſatis proviſum per alium dignum. Saltem Eccleſia non videtur tales obligare ad reſtitutionem, ſicut nec Princeps Oeconomum, ſi operarios bonos, non tamen optimos conducat. Ita probabiliter multi: contrarium tamen eſt tenendum, ſi exinde grave damnum oriatur. Si autem conferantur indignis, eſt obligatio reſtitutionis faciendæ communitati de damno inde ſecuto; hæc enim habet jus ſtrictum, ut ſibi provideatur de miniſtro idoneo, ad quod diſtributor ex contractu tacito, adeo-

que ex juſtitia commutativa ſe obligavit. Dixi: *extra concurſum;* nam in concurſu eſt obligatio ſtrictæ juſtitiæ, & reſtitutionis faciendæ dignioribus ob implicitum contractum; hoc ipſo enim, quod indicetur concurſus, æquivalenter fit promiſſio conferendi digniori, quam acceptat concurrens, eo ipſo, quod ſe examini ſubjiciat; intellige: ſi relinquatur manifeſte dignior: ſi enim levis tantum ſit differentia, non eſt obligatio reſtituendi; alias nimis difficile eſſet munus Epiſcopi, & Examinatorum; hinc non cenſentur ſe tam ſtricte obligare.

(12) *Reſ.* 3. Si bona communia diſtribuantur principaliter in bonum particularium V. G. ſpolia hoſtium inter milites, legatum inter pauperes &c. ſi male diſtribuantur, ſimul oritur obligatio reſtitutionis; quia ſinguli vel lege, vel teſtamento, vel alio titulo habent jus ad rem in partem ſuam: quod magis tenet in diſtributione iniqua onerum communium.

D. 2. Reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti tum naturalis fundati in illo: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, tum poſitivi: (a) *reddite omnibus debita*, & (b) *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum:* ſcilicet, ut notat *S. Auguſt.* quando reſtitui poteſt. *Ratio clara eſt:* quia ejusdem malitiæ eſt auferre, & retinere alienum. Non eſt tamen neceſſaria neceſſitate medii; quia excuſat ignorantia, impotentia &c. Imo nequidem eſt ſic neceſſaria in voto; quia non eſt medium a Deo ordinatum ad cauſandam primam gratiam, quod requiritur, ut aliquid ſit neceſſarium neceſſitate medii in voto.

Ob. Unusquisque tenetur magis diligere bonum ſpirituale proximi, quam propria bona temporalia; ergo dominus rei tenetur conſentire, ut fur rem ſibi ablatam retineat, ne retinendo ipſo invito peccet. ℟. *d. a.*

(a) *Rom.* 13. *v.* 7. (b) *R. J.* 4.

d. a. Tenetur magis diligere, quando bonorum temporalium jactura eſt ad ſalutem proximi neceſſaria. *c.* ſi non ſit. *n.* hic autem detinentur ex libera malitia.

Reſ. 1. Præceptum reſtitutionis obligat ſub mortali ex genere ſuo, & ad modum ſaltem præcepti negativi ſemper pro ſemper, quando dominus eſt rationabiliter invitus.

Reſ. 2. Qui, dum poteſt, rem alienam non reſtituit, eſt in continuo peccato, teneturque ad omne damnum inde eveniens domino. Quot autem numero peccata committat, *vide, ubi de diſtinctione peccatorum.*

(13) *Reſ.* 3. Non poteſt abſolvi, qui non vult ſtatim, dum commode poteſt, reſtituere totum debitum, & quidem ſimul, niſi pars remanens ſit levis; nam velle retinere partem notabilem domino rationabiliter invito eſt actualiter peccare.

Reſ. 4. Non poteſt abſolvi, qui vult differre reſtitutionem usque ad mortem, vel ſi huic ſit proximus, & poſſit commode per ſe ipſum, mandat hæredibus, ut reſtituant; quia experientia conſtat, quam periculoſum ſit onus reſtitutionis hæredibus imponere.

Reſ. 5. Reſtitutio fieri deberet, antequam quis accedat ad confeſſionem; ſi tamen pœnitens promittat, ſtatim moraliter ſe reſtituturum, prima vice eſt abſolvendus, niſi ex circumſtantiis prudenter timeretur deceptio: ſi ſemel ſit abſolutus, & deinde non reſtituerit, non eſt iterum abſolvendus ante realem reſtitutionem, licet promittat ſe reſtituturum; quia non habet verum propoſitum, ſicut dicitur de conſuetudinario exiſtente in occaſione proxima. Alia peccata, quæ dependent a fragilitate humana, fieri poſſunt ſæpe, non obſtante firmo propoſito, & ideo ſæpius abſolvuntur relabentes; non tamen, qui non reſtituit, dum commode poteſt. Idem eſt de debitoribus ſolutionem debito-

bitorum culpabiliter cum damno creditorum procraſtinantibus.

Corrigendus eſt error ſimplicium, qui putant defunctos detineri in purgatorio, donec hæredes reſtituant, aut debita ſolvant, quod non eſt verum; quia ibi patitur homo propter negligentiam propriam, non alienam; poteſt tamen actualis reſtitutio tanquam opus meritorium juvare defunctos.

QUÆSTIO IV.

(14) *Unde oriatur obligatio reſtitutionis, & qualis ad illam requiratur culpa?*

D. 1. Obligatio reſtitutionis oritur ex duplici capite vel radice, ſcilicet: *ex injuſta acceptione*, & *ex re accepta.* Ratione *rei acceptæ* tenetur reſtituere, qui detinet aqud ſe rem, quæ ſubeſt juri alterius: ratione *injuſtæ acceptionis* tenetur, qui rapina, furto, aut ſimili modo abſtulit rem alienam; *item* qui proximum damnificavit V. G. ædes incendit, ſegetes conculcavit; qui per fraudem impedivit a bono &c. Unde injuſta acceptio hic comprehendit quamcumque injuſtam damnificationem, etiam ſine commodo damnificantis factam.

Obſ. 1. Hæ duæ radices quandoque ſunt conjunctæ, quandoque ſeparatæ: ſic, qui rem furto abſtulit, & apud ſe detinet, vel ex illa factus eſt ditior, tenetur ad reſtitutionem ratione utriusque ſimul: ſi rem ablatam non detineat, nec inde factus ſit ditior, tenetur ſolo titulo injuſtæ acceptionis: ſi rem furtivam bona fide acceperis, & apud te detineas, teneris ſolo titulo rei acceptæ, dum advertis eſſe furtivam.

(15) *Obſ.* 2. Hæc eſt valde notanda pro praxi differentia generalis: qui tenetur ſolo titulo rei acceptæ, hoc tantum reſtituere tenetur, quod ex re aliena in ſe vel

vel in æquivalenti poſſidet, ſive quantum inde factus eſt ditior, vel rebus ſuis pepercit. Qui tenetur ratione injuſtæ acceptionis, tenetur reſtituere totum, quod alter ex actione ipſius eſt paſſus, ſive inde aliquid habeat, ſive non, ſive res exiſtat, ſive non. Ex his omnes fere ſolvuntur caſus particulares, de quibus tamen ſpecialiora infra.

(16) *Obſ.* 3. Reſtitutio ſtricte ſumpta diſtinguitur a ſolutione, cujus obligatio oritur ex contractu; ſed quia moraliſtæ ſolutionem, & reſtitutionem ut plurimum confundunt, hinc aliqui addunt contractum. Notabilis eſt etiam differentia inter reſtitutionem & ſatisfactionem; nam ſatisfactio fit pro injuria illata, licet nullum damnum ſit ſecutum; reſtitutio nonniſi ob damnum illatum; hinc qui commiſit V. G. adulterium absque damnificatione, eoquod nata non ſit proles, non tenetur ad reſtitutionem, licet cogi poſſit ad ſatisfactionem. Pro altera parte

(17) *N.* 1. Culpa hic eſt duplex: *Theologica*, quam conſiderat Theologus, eſtque peccatum formale, mortale, vel veniale; alia *Juridica*, quam conſiderat juriſta, qui non attendit, an hoc, quod fit, coram Deo ſit peccatum, an non, ſed an omittatur aliqua diligentia debita, ex qua ommiſſione alteri damnum ſequitur; hinc culpa juridica eſt ommiſſio diligentiæ, ex qua alteri ſequitur damnum.

N. 2. Culpa juridica eſt triplex, ſcilicet: *Lata*, & eſt omiſſio diligentiæ & circumſpectionis, quam homines illius ſtatus, vel ejusdem conditionis ſolent in ſimilibus communiter adhibere. Alia *Levis*, & eſt omiſſio diligentiæ, quam diligentiores, & prudentiores adhibent. Alia *Leviſſima*, eſtque ommiſſio diligentiæ, quam nonniſi prudentiſſimi, & vigilantiſſimi ſolent adhibere. Declaratur vulgari exemplo: accepiſti V. G. librum commodatum, & relinquis in loco patenti do-

mus, quam extranei ſolent accedere, ubi nec tuas res alicujus momenti prudenter relinqueres; ſi perierit, commiſiſti culpam latam: vel repoſuiſti quidem in cubiculo tuo, aut etiam in arca cum rebus tuis, ſed non clauſiſti oſtium, eſt culpa levis: vel clauſiſti etiam oſtium, ſed non tentaſti, an bene clauſum fuerit, eſt culpa leviſſima, quia hoc nonniſi diligentiſſimi facere ſolent.

N. 3. Poteſt dari culpa juridica etiam lata ſine theologica; ſi enim omittatur diligentia debita ex naturali oblivione, vel inadvertentia, eſt culpa juridica, non tamen theologica.

(18) *D.* 2. Nulla interveniente culpa theologica damnificans non obligatur ad reſtitutionem cum proprio ſaltem incommodo ante ſententiam Judicis pro foro interno extra contractum & officium, licet adſit culpa juridica lata: quia damnum ſine culpa theologica non eſt voluntarium, nec moraliter imputatur, ſed habet ſe quaſi caſu, vel ab amente illatum, pro quo non debetur reſtitutio. Deinde ſine culpa theologica actio non eſt formaliter injurioſa; ergo nec obligatio reſtitutionis ratione injuſtæ damnificationis. *Dixi* 1. *cum proprio ſaltem incommodo;* ſi enim abſque meo incommodo poſſim damnum facto meo illatum reparare, ratio poſtulat, ut reparem, veluti moraliter adhuc in mea poteſtate exiſtens: V. G. inculpabiliter crimen alienum alteri aperui bona fide putans jam eſſe publicum; ſi non ſit, teneor famam reparare, ſi commode poſſim, etiam ex juſtitia. Si inculpabiliter permiſerim cadere ignem in horreum Titii, teneor, ſi poſſim, extinguere &c. *Dixi* 2. *Pro foro interno*, ſive *conſcientiæ;* quia pro foro externo, cui quis in foro conſcientiæ poſt ſententiam judicis, utpote juſtam, tenetur ſe conformare, obligatur quis ob ſolam cul-

culpam juridicam, licet non interceſſerit peccatum, imo quandoque licet hæc non intervenerit (a).

Reſ. 1. Relinquens veſperi candelam accenſam cum debita tamen cautela ex naturali oblivione in loco, ubi V. G. comburitur domus, ad nihil tenetur; quia nullum interceſſit peccatum. Idem eſt de ſimilibus multis.

Reſ. 2. Si dans operam rei illicitæ fuerit cauſa damni nec intenti, nec prævisi, nec ex ſua injuſta actione ſecuti: V. G. fur vult de nocte furari pecuniam adhibito lumine, quo præter intentionem aliam rem pretioſam combuſſit, domum incendit, non tenetur in conſcientia ſatisfacere; quia ponitur ſufficientem adhibuiſſe diligentiam, ne lumen noceret; ſi tamen damnificatus ageret in judicio, poterit hoc, quod ſibi per ſententiam adjudicatum fuit, tuto retinere.

(19) *Reſ.* 3. Qui incendit domum V. G. alterius, tenetur ad omnem ſuppellectilem in ea contineri ſolitam, & ſimul exuſtam; quia hanc ſatis in confuſo cognovit: non vero tenetur ad ea, quæ per accidens ibi exiſtunt, & nullatenus ſunt cognita.

Reſ. 4. Qui ſcienter aufert a divite aureum, inculpabiliter putans non eſſe materiam reſpective gravem, tenetur ſub mortali reſtituere: ſicut, ſiquis cum intentione reparandi damnum intulit, tenetur ad reparationem totius damni; quia illud plene voluntarie intulit. Econtra qui ſcienter projicit V. G. gemmam, alterius invincibiliter credens eſſe vitrum, vel levis momenti, non tenetur plus reſtituere, quam credebat valere; quia plus voluntarie non damnificavit. Aliud eſt, ſi dubitaverit de valore forte occulto; jam enim tunc ſatis in confuſo cognovit.

(a) *Vid. inf. Num.* 23.

Reſ. 5. Si volens furari V. G. equum Petri, præter intentionem accipias equum Pauli, isque caſu pereat, juxta plures ad nihil teneris: non Petro; quia hunc non damnificaſti: nec Paulo; quia hunc non damnificaſti voluntarie. Sed ſententia oppoſita videtur æquitati conformior; potius enim nocens, quam innocens pati debet.

(20) *Reſ.* 6. Si rem levem fureris ab avaro, quem prævides, aut etiam intendis ex dolore rei amiſſæ lapſurum in morbum gravem, nihil teneris ratione morbi; quia hujus cauſa non fuit tuum furtum, ſed ipſius avaritia, nec ſufficit ſola intentio nocendi. Hinc etiam ſi fictas litteras ſpargas in via, quaſi magna annonæ caritas eſſet in Hollandia, & Cajus eas inveniens eo mittat magnam frumenti copiam cum magno ſuo damno, ad nihil teneris. Adſcribat Cajus damnum ſuæ ſimplicitati, non litteris, quibus tam leviter credere non debebat. Peccaſti tamen graviter contra charitatem, ſi prævideris.

Reſ. 7. Si fureris res Titio commiſſas, prævidens, aut etiam intendens, ut furtum Titio imputetur, non teneris ad damna ſolum indirecte, & per accidens illi inde emergentia; quia furtum tuum non eſt cauſa imputationis, ſed occaſio tantum; non enim illi ideo imputatur, quia tu es furatus, ſed quia res fuit illi commiſſa, & habuit ad eam acceſſum liberum: nec ſola intentio cauſat obligationem reſtitutionis, ſed phyſicus vel moralis influxus in damnum. Quæ tamen ob furtum ei imputatum reſtituere debuit, debes ei refundere; quia hæc loco tui reſtituit. At in praxi bene penſandæ ſunt circumſtantiæ nec tam facile remittenda reſtitutio.

Reſ. 8. Si volens occidere Petrum, induas te veſtibus Pauli, & ideo ei homicidium fuerit imputatum, teneris ad omne damnum ex imputatione ei emergens; quia

quia actio tua eſt cauſa, quod homicidium imputetur Paulo, & non occaſio tantum. Hæc bene intellecta facile applicantur aliis.

(21) *D.* 3. Qui per culpam ex imperfectione actus tantum venialem grave damnum intulit, nequidem ſub veniali tenetur in foro conſcientiæ totum damnum compenſare, imo nec gravem ejus partem. *Prob.* Obligatio reſtituendi ob injuſtam damnificationem eſt quaſi pœna; ergo non debet eſſe major in ſuo ordine, quam ſit ipſa culpa; ſed eſſet major, ſi eſſet obligatio reſtituendi aliquid grave; & licet non eſſet obligatio gravis, tamen reſtitutio totius damni, vel partis gravis eſt pœnalis effectus gravis.

D. 4. Probabilior tamen ſententia tenet, eum, qui ex culpa veniali grave damnum intulit, nec ab omni reſtitutione eſſe abſolvendum, nec ad totum damnum reſarciendum eſſe obligandum; ſed quod ſit ei imponenda redintegratio pro parte, conſideratis mature circumſtantiis damni, Perſonarum, locorum, modi, quo damnum illatum fuit, ac præſertim qualitate culpæ: an nempe ſit certe venialis tantum, & non gravis. Nam ſi eſſet dubie major veniali, profecto ad totum foret adſtringendus; quia tunc melior eſſet conditio innocentis res ſuas juſte poſſidentis, ne illis privetur: neque ex parte agendum eſt in favorem rei, utpote de quo dubium eſſe ſupponitur, an non culpam gravem injuſtitiæ revera commiſerit. Quod ſi itaque culpa ſit certo venialis, non tenetur ad totum compenſandum; ſi enim nocens ex culpa gravi tenetur ad totum, eoipſo non tenebitur ad eandem quantitatem nocens ex culpa tantum levi: quia cum reſtitutio ſe habeat modum pœnæ, ubi inæqualis eſt culpa, inæqualis quoque ſit pœna, oportet. Eo ipſo autem quod culpæ correſpondeat pœna, ſequitur, quod ſit obligatus pro rata culpæ ſaltem ad partem; hæc autem

autem pars, ſeu portio ab ipſo reſtituenda, ſi ſit notabilis, tenetur ad illam ſub mortali: quia obligatur proximo in re notabili. Ita Cuniliati, & alii Theologi.

Obſ. 1. Prædicta doctrina in praxi eſt obſervanda extra contractum, & extra ſententiam judicis; quia ob hæc duo motiva incurri poteſt obligatio reſtituendi etiam præciſa culpa Theologica. Nam ex contractu poteſt quis ita obligari, ſi vel natura contractus id poſtulet, vel hoc onus ſuſcipiatur in contrahendo; ex ſententia autem judicis incurritur talis obligatio, ſi judex vel commune bonum inſpiciat, vel cupiat ſubditos circa aliena reddere ſollicitiores.

Obſ. 2. Malam eſſe praxim Confeſſariorum quorumdam, qui Pœnitentibus loco faciendæ reſtitutionis quaſdam preces imponunt; vel Pœnitentes, qui ipſi ejuſmodi preces loco reſtitutionis perſolvere promittunt, ab onere reſtituendi eximunt. Nam vel id genus Pœnitentes poſſunt totum, vel partem aliquam ſaltem ſucceſſive reſtituere, vel nihil omnino reddere poſſunt? ſi primum; tenentur ad id, quod poſſunt, ſeu totum illud ſit, ſeu pars aliqua totius, ſeu ſimul, ſeu ſucceſſive fieri poſſit. Si ſecundum; licet eos pro modernis circumſtantiis impotentia moralis, aut phyſica excuſet, tenentur nihilominus in firmo ſemper propoſito perſiſtere, reſtituendi & quantum poterunt, & quamprimum poterunt: non raro enim pauperrimi ad pinguiorem fortunam revertuntur.

(22) *D.* 5. Veniale ob parvitatem materiæ inducit obligationem reſtitutionis ſub veniali in materia levi: niſi enim illa materia reſtituatur, retinetur invito domino, & jus proximi læſum non reducitur ad æqualitatem, niſi dominus prudenter præſumatur remittere obligationem. Confeſſarius autem ordinarie urgeat reſtitutionem etiam rei levis domino, vel pauperibus faciendam,

dam, ut fures, & damnificantes non habeant commodum ex ſua iniquitate, & ut magis deterreantur.

D. 6. Qui per plures actus plene deliberatos veniales ob parvitatem materiæ cum inadvertentia inculpabili ad materiam gravem intulit grave damnum, tenetur ſub mortali reſtituere, non vi culpæ immediate, ſed ratione damni plene voluntarie illati. *Vide infra de furto.* (a)

(23) *Obſ.* Tres dantur caſus in jure, in quibus absque ſua culpa quis ad reſtitutionem obligatur. 1. Si animal tuum alterius animal occidat, vel alterius ſegetes conculcaverit, devoraverit &c. vel hominem quovis modo læſerit, licet ſine tua culpa factum ſit, teneris vel animal tradere, vel damnum reparare; niſi tuum animal invaſum ſit ab alio, ſicut nec, ſi fur domum vel hortum tuum ad furandum intret, & a canibus lædatur, vel aliquis incautus ad canem, quem ligatum tenes, accedat. 2. Si absque tua culpa mancipium tuum alicui noceat. 3. Quando e domo tua aliquid effunditur, ejicitur in viam, & nocet tranſeuntibus, ſi non fuerit proclamatum, ut ſibi caverent, teneris, ſi ſis caput iſtius domus vel familiæ, reparare damnum. Item ſi aliquid ex domo tua fuerit appenſum, quod decidens nocuit.

Hæc autem non obligant, niſi poſt ſententiam judicis; poſt hanc obligant quia conforme eſt legibus juſtis in bonum commune, ut domini ſint magis cauti. Econtra ſententia judicis fundata in præſumptione facti particularis juxta plures Canoniſtas non obligat V. G. judex præſumit damnum a tuo animali illatum, ideoque condemnat, non teneris, niſi ad vitandum ſcandalum, & potes occulte tibi compenſare, quæ ſolviſti, ſi via alia nequeas rem obtinere (a).

QUÆ-

(a) *Part.* 3. *Diſſ.* 1. *N.* 8.
(b) *Vid. Part.* 1. *Tract.* 1. *Diſſ.* 3. *Q.* 10.

QUÆSTIO V.

Qualis culpa in officio pariat obligationem reſtitutionis?

Officiales, de quibus hic agitur, ſunt judices, curatores, tutores, Advocati, Conſiliarii, Parochi, Confeſſarii, Theologi, Medici, Artifices &c. quorum aliqui id muneris exercent pro ſtipendio, adeoque ex juſtitia: alii gratis, & ex charitate tantum.

(24) *D.* 1. Nullus illorum *ordinarie loquendo* tenetur ad reſtitutionem ex culpa levi, aut leviſſima. *Ratio eſt:* quia nemo in ſua arte, vel officio exercendo tenetur eſſe diligentior, doctior, prudentior, quam homines ejusdem artis, vel profeſſionis ſolent eſſe; ergo ad hanc ſolam in acceptatione officii cenſetur voluiſſe, & tenebatur ſe velle obligare.

Reſ. 1. Si Advocatus V. G. caderet cauſa, eoquod non præſtiterit, quod doctiſſimus, & diligentiſſimus præſtitiſſet, fecit tamen, quod ſolent diligentes, & docti in ſimilibus præſtare, non tenetur ad aliquam reſtitutionem.

Reſ. 2. Medicus V. G. novit, infirmum nonniſi per extraordinariam diligentiam curandum, hanc autem ex odio omittit, peccat contra charitatem, non tamen contra juſtitiam, modo, quod notandum, & raro fiet, ſerio adhibeat diligentiam ordinariam. Idem eſt de Advocato, & ſimilibus.

Dixi ſupra: *ordinarie loquendo;* nam communiter excipiuntur caſus duo: 1. Si quis ad extraordinariam diligentiam ſe obligaſſet, profitendo ſe diligentiorem, ac magis peritum aliis, ut faciunt multi, & hac ratione eum, qui talem quærebat, ad ſe pertraxerit; tunc enim tenetur ex culpa leviſſima; qua eoipſo ſumma diligentia ſaltem implicite fuit in pactum deducta.

ducta. 2. Eſt in eo, qui aſſumit officium, vel locat operam ſuam in tractandis rebus valde pretioſis; jam enim tenetur ex culpa leviſſima: quia hæc ſummam diligentiam, & cautionem exigunt. Ubi

Obſ. Requiri majorem diligentiam ad evitandum peccatum mortale in gravioribus V. G. difficillima lite, periculoſo morbo &c. quam in rebus levioribus, ut ipſa dictat ratio naturalis.

D. 2. Quilibet officialis tenetur ex culpa lata, licet gratis inſerviat; quia eo ipſo, quod quis officio exercendo ſe ingerit, imponit ſibi obligationem id præſtandi, quod ſolent præſtare homines prudentes ejusdem artis vel officii, qui communiter habentur conſcientioſi; ergo in hoc deficiendo peccat graviter, & contrahit obligationem reſtitutionis.

(25) *Reſ.* 1. Parochus, Confeſſarius, Doctor, Juriſconſultus, & ſimiles tenentur ad reſtitutionem damni ex malo conſilio ſecuti ratione ignorantiæ, vel negligentiæ mortaliter culpabilis, V. G. Advocatus ſuadet injuſtam diviſionem litis: Confeſſarius ex ignorantia imponit reſtitutionem illi, qui non tenetur, liberat eum, qui tenetur &c. illi omnes tenentur mature conſilium revocare; hoc ſi non poſſint, tenentur ad omne damnum pœnitenti V. G. vel alteri inde obveniens; quia tales tenentur ex officio habere debitam ſcientiam, & errorem in reſpondendo vitare; ergo cenſentur injuſta cauſa damni ſecuti. *Deinde* cum quis ratione ſuæ profeſſionis vel officii habeatur pro ſufficienti, ſi talis non ſit, inepta reſponſione alterum decipit.

Reſ. 2. Qui conſultus aperit ſimpliciter ſuam opinionem dicens, ita mihi videtur, non autem ſuadet alteri, ut ſequatur, vel indicat ſe dubitare, non tenetur ad reſtitutionem; quia ſic non eſt injuſta, & efficax cauſa damni illati.

Reſ. 3. Si interrogans ſciat meam inſufficientiam, non teneor ad reſtitutionem, ſi ipſe ideo patiatur; nam *ſcienti, & volenti non fit injuria.* Dixi: *ſi ipſe patiatur;* nam ſi ex malo conſilio patiatur tertius, teneor reſarcire ipſi damnum.

Reſ. 4. Si dederim conſilium ex ſententia vere probabiliori, non teneor ad reſtitutionem; quia prudenter me geſſi.

Reſ. 5. Si quis cauſam damni etiam ſine culpa datam poſſit impedire ſine gravi nocumento, ad hoc ex juſtitia tenetur, *uti ſupra*, (a) V. G. Confeſſarius inadvertenter dedit conſilium damnoſum; quia, ſi non faciat, cenſetur influere in damnum ſubſequens, voluntarie conſervando illius cauſam.

Reſ. 6. Confeſſarius, etiamſi ſit Parochus, peccat quidem graviter ex gravi negligentia, ignorantia, reſpectu humano, non monens pœnitenten de facienda reſtitutione, dum is moneri deberet, teneturque, ſi poſſit, poſtea monere, non tamen ideo tenetur ad reſtitutionem tertio faciendam; quia nullam contraxit juſtitiæ obligationem erga tertium, qua tenebatur ipſius damnum præcavere monendo pœnitentem. Aliud eſt, ſi poſitive ſuaſerit: aut ſi pœnitens interroget, an in hoc, vel illo caſu facienda ſit reſtitutio, & ſilentium Confeſſarii habeat pro reſponſo negativo; tunc enim implicite ſuadet.

Reſ. 7. Confeſſarius, aut Doctor, qui ratione officii ſui tenebatur verum dicere, ſi conſilio falſo, & mortaliter culpabili fuerit cauſa, ut tertius non conſequatur bonum ſibi etiam indebitum, tenetur ad reſtitutionem pro rata ſpei, quam habebat; V. G. Petrus dicit ſe voviſſe dare eleemoſynam pauperi, ego ex craſſa ignorantia perſuadeo, quod non ſit obligatus voto, obligor ad compenſationem ſpei fruſtratæ; quia licet

(a) *Num.* 18.

licet non habuerit jus in eleemoſynam, habebat tamen jus ſtrictum, ne ab ejus conſecutione per fraudem, & dolum impediretur; ignorantia autem mea craſſa æquivalet dolo, & continet eandem moralem malitiam. *dr.* autem notanter: *pro rata ſpei;* quia in ſimilibus caſibus non tenetur quis reſtituere totum, ſed partem boni impediti; quia minoris pretii eſt ſpes rei poſſidendæ, quam res ipſa: ſpes autem pluris vel minoris æſtimantur, prout eſt proximior, certior, vel minus certa.

QUÆSTIO VI.

(26) *Qualis culpa in contractu commiſſa pariat obligationem reſtitutionis?*

D. 1. De jure naturæ nemo in contractu obligatur ad reſarciendum damnum grave, niſi ob culpam latam, & theologicam. Eſt communis. *Ratio eſt:* quia lege naturæ nemo obligatur ad majorem diligentiam adhibendam in cuſtodienda re commodata, conducta &c. quam moralem & humanam, quam ſcilicet homines prudentes in cuſtodienda re ſimili adhibere ſolent, & ipſe dominus adhibuiſſet; ergo ſi præſtita hac diligentia morali res pereat, ſine culpa perit; ergo domino ſuo perit; nam regula juris eſt: *omnis res perit ſuo domino*, ſi pereat ſine alterius culpa, vel niſi aliter ſit conventum.

(27) *D.* 2. Secundum leges humanas ſi res alterius apud te ſit in tuum tantum commodum, ut eſt res gratis commodata, teneris ex culpa etiam leviſſima: excipitur precarium, quod, licet ſit in utilitatem ſolius accipientis, quia tamen ſemper pro libitu eſt revocabile, requirit culpam latam. Si vero res cedat in utilitatem utriusque, ut V. G. eſt in equo locato, teneris de culpa lata & levi, non de leviſſima: ſi contractus ce-

dat tantum in commodum domini, cujus res ipſa eſt; ut, ſi tuam pecuniam apud me deponas pro cuſtodia, teneor tantum ex culpa lata. Difficultas autem eſt: an, ſi deſit culpa theologica gravis, hæ leges obligent in conſcientia ante ſententiam judicis? Communius docetur obligare; quia poſitis his legibus cenſetur contractus fieri dependenter ab illarum diſpoſitione, ita ut contrahentes virtualiter intendant ſe obligare conformiter his legibus, & hoc tenendum in praxi: attamen theoretice ſatis probabile eſt, non teneri aliquem in conſcientia ad reparationem damni ante ſententiam judicis, ſi defuerit culpa theologica gravis; quia hæ leges attenta humana fragilitate forent nimis difficiles & rigidæ, ſi me ipſum ſpoliare deberem rebus meis ob damnum mihi involuntarium; hinc non videntur in tanto rigore receptæ. Ubi tamen

Obſ. Ad vitandum peccatum mortale requiri majorem diligentiam in rebus majoris momenti, in rebus gratis commodatis, quam locatis pro pretio, quam in depoſito; hinc commodatarius committendo culpam levem peccat graviter, adeoque ad reſtitutionem tenetur.

Ob. Si ante ſententiam judicis non tenear in conſcientia: ergo nec poſt illam; quia ſententia videtur injuſta. ℞. *n. c.* Sententia eſt juſta, licet ſis innocens; eſt enim conformis juſtis legibus latis in bonum commune ad vitandas lites, & ut homines ſint cautiores; ex ſcientia autem judicis damnificatus acquirit verum jus.

Reſ. 1. Concluſio intelligitur ſecluſo pacto ſpeciali; ſi enim hoc interceſſerit, poteris obligari ex culpa leviſſima, imo ex caſu fortuito, per quem intelligitur eventus inopinatus, qui prævideri non potuit, aut prævisus non præcaveri, ſi ſcilicet hoc in pactum deductum fuerit, eo quod periculum rei in

te

te ſuſceperis: hoc pactum dominus licite exigit in rebus gratis commodatis, non in locatis; nam ultra juſtum pretium exigere tantum onus pretio æſtimabile eſt injuſtum.

(28) *Reſ.* 2. Si res aliena pereat, dum debitor ea utitur ad uſus non conceſſos, tenetur ad reſtitutionem.

Reſ. 3. Si debitor eſt in mora culpabili reſtituendi tempore ſtatuto, V. G. commodatum poſt expletum ejus uſum, ſi pereat, tenetur de damno, niſi tamen res apud dominum eodem modo per caſum fortuitum fuiſſet peritura; quia tunc non eſt cauſa damni.

Reſ. 4. Si rem commodatam, locatam &c. remittas per nuntium, qui communiter habetur fidelis, ſi hic rem retineat, ad nihil teneris. Contrarium eſt, ſi ejus fidelitas tibi merito debeat eſſe ſuſpecta, vel remittas per hominem incognitum.

Reſ. 5. Rem mutuo acceptam, etiamſi caſu absque omni tua culpa pereat, teneris reſtituere; quia per mutuum acquiſiviſti rei dominium; ergo tibi tanquam domino perit.

(29) *Reſ.* 6. Si habeas res alterius apud te depoſitas, commodatas, locatas, & orto incendio, vel inſtante naufragio non poſſis omnes ſalvare, ſed aut tuæ, aut illæ ſint perituræ, diſtinguendum eſt: ſi res propriæ ſint æque pretioſæ, vel pretioſiores, non teneris præferre alienas propriis, ſed potes liberare tuas præ illis, ex quocunque contractu apud te exiſtant. *Ratio eſt:* quia nemo præſumitur velle ſe obligare ad expenſas extraordinarias in conſervatione rei alienæ; ergo nec ad illas conſervandas cum jactura rerum ſuarum æque pretioſarum. Si res propria ſit vilior, quam aliena, adhuc non teneris hanc præferre tuæ, ſi ex rei tuæ interitu notabile damnum incurreres, nec certus ſis moraliter de pretio recuperando. *Ratio eſt*

 eadem:

eadem: quia nemo in his contractibus intendit ſe obligare ad conſervandam rem alienam cum notabili ſuo damno, vel probabiliori ejus periculo. An autem damnum ſit notabile, judicio viri prudentis æſtimandum eſt, conſiderata tua & alterius paupertate, vel divitiis: item an habeas gratis commodatam; tunc enim majus damnum tibi ſubeundum eſt, ut dictat ipſa ratio naturalis: volunt quidem leges, ut rem commodatam diligentiſſime cuſtodias, ſed nullibi præcipiunt, ut ſi illa & tua non poſſint ſimul ſervari, alienam tuæ præferas.

QUÆSTIO VII.

(30) *Quid ſit reſtituendum ratione rei acceptæ tantum, vel a poſſeſſore bonæ fidei?*

D. 1. Poſſeſſor bonæ fidei, quamprimum certo ſcit rem eſſe alienam, niſi eam præſcripſerit, tenetur illam in individuo ſponte prima occaſione gratis reddere domino, alioquin fit poſſeſſor malæ fidei, & ab hoc tempore ſubjacet illius conditionibus; omnis enim res, ubicunque exiſtit, clamat ad ſuum dominum; hinc, licet emerit, non tenetur dominus refundere pretium, quia injuſtum eſt, ut dominus emat rem ſuam; niſi ſciens rem eſſe alienam, emerit eam vili pretio, ut domino redderet; quia tunc rem domini geſſit utiliter, & præſumitur rationabiliter voluntas domini, qui alias nihil de re ſua recepiſſet. *Dixi: certe ſcit;* ſi enim tantum dubitet, vel etiam probabilius putet eſſe alienam licite retinet adhibita prius diligentia morali gravitati rei proportionata.

(31) *D.* 2. Si poſſeſſor bonæ fidei tempore bonæ fidei rem alienam conſumpſerit, aut alienaverit, ad nihil tenetur, etiamſi ipſius culpa perierit, niſi inde factus ſit ditior, aut pepercerit rebus ſuis; non enim

enim tenetur ex injuſta acceptione, ut patet: nec ex re accepta; quia illam nec in ſe, nec in æquivalenti habet; hoc autem, in quo factus eſt ditior, ſuccedit in locum rei acceptæ, quæ in tantum exiſtit in æquivalenti.

Reſ. 1. Si invitatus ad prandium, quod poſtea noviſti furtivum, bona fide conſumpſeris pretioſa, teneris tantum ad expenſas, quas domi vel alibi feciſſes; quia in tantum factus es ditior; hinc, ſi ſis commenſalis, & absque eo tenearis domi ſolvere, ad nihil teneris.

Reſ. 2. Si rem alienam bona fide poſſeſſam ludendo, luxuriando, vel aliter male conſumpſeris, alias non conſumpturus: ſi propter hæreditatem bona fide aditam feceris expenſas majores, & poſtea audias teſtamentum eſſe nullum, nihil teneris reſtituere; quia licet occaſione rei alienæ id feceris, poſt conſumptionem tamen nihil plus habes in bonis tuis, quam habuiſſes, ſi talem rem non poſſediſſes.

Reſ. 3. Si rem bona fide habeas, eamque alteri donaveris, alioquin non donaturus ſimilem, ad nihil teneris; quia non es factus ditior. *Nec obſtat:* quod forte aliquid in gratiarum actionem acceperis a donatorio; quia id accepiſti non ut rei pretium, ſed gratis pro bono affectu, qui ut inculpabiliter conjunctus cum re aliena erat dignus remuneratione; ſi alias rem ſimilem ex tuis donaſſes, debes hujus valorem reſtituere; quia in tantum peperciſti rebus tuis.

(32) *Reſ.* 4. Si rem alienam dono acceperis, & vendideris, teneris reſtituere pretium, quia in hoc factus es ditior; niſi tamen vendideris pretio extraordinario, ex ſpeciali induſtria: quia V. G. portaſti ad locum, ubi pluris valet; tunc enim exceſſum induſtriæ correſpondentem licite retines; quia eſt lucrum induſtriæ.

Reſ. 5. Si rem alienam bona fide emeris, & poſtea eodem pretio, vel minori bona fide vendideris, ad nihil teneris; non enim factus es ditior: attamen domino comparente teneris contractu venditionis reſciſſo emptori reddere pretium; ei enim tenetur venditor de evictione. Non tamen teneris hoc dare domino rei, ſi res vendita reperiri non poſſit; quia dominus rei non eſt dominus pretii; & pretium, quod accepiſti, potius ſuccedit pretio, a te prius dato, quam ipſi rei; ſi autem majori pretio vendideris, teneris illum exceſſum dare domino, niſi magis proveniſſet ex mera induſtria tua, quam ex re. Difficultas hic eſt: an qui bona fide a fure accepit, poſſit rem furi, & non domino reſtituere, ſi aliter pretium recuperare non poſſit.

(33) ℟. 1. Poteſt pretium a fure repetere, & ſe habere negative circa rem permittendo iterum eripi a fure; quia habet jus ad pretium, nec tenetur cum tanto ſuo damno conſervare rem alterius. ℟. 2. Satis probabiliter poteſt reddere furi. *Ratio eſt:* 1. Quia nequit oſtendi, cur teneatur innocens cum tanto ſuo incommodo rem alienam ita indemnem reddere, ut non poſſit eam in illum ſtatum, in quo prius erat, reponere. 2. Tali contractui cum fure inito error cauſam dedit; ergo poteſt reſcindi ab eo, qui deceptus eſt.

Ob. Res ubicunque eſt, clamat ad ſuum dominum; ergo eſt reſtituenda domino, cui certe Judex reſtitueret. ℟. *d. C.* Ergo eſt reſtituenda domino ſemper immediate. *n.* Saltem mediate, ſive alteri, qui poteſt & debet reddere domino, licet ex malitia non velit. *c.* Judex præſumit rem eſſe mala fide emptam.

Inſt. Non poſſum ſine injuria domini rem ponere in ſtatum deteriorem; ſed hoc fieret; ergo. ℟. *d. M.* Si ſtatus melior proveniat ex natura rei. *c.* ſi aliunde

ſubd.

ſubd. non poſſum directe & poſitive. *c.* Permiſſive, hoc eſt: non conſervando bonum ejus ſtatum cum proprio damno. *n.* Sic poſſum Petrum, quem teneo, ne cadat in ignem vel aquam, dimittere, ſi mihi periculum interitus immineat, & aliter evadere non poſſim. Aliud eſt de poſſeſſore malæ fidei, qui tenetur ex injuſta acceptione; quamvis etiam aliqui dicant, quod poſſit contractum reſcindere, & rem furi reddere. Attamen opinio contraria eſt verior, ac tutior: proin tenenda in praxi.

QUÆSTIO VIII.

Quid ſit reſtituendum ratione injuſtæ acceptionis, ſive a poſſeſſore malæ fidei?

(34) *D.* Poſſeſſor malæ fidei, ſive ille, qui rem alienam ſcienter, vel cum ignorantia graviter culpabili accepit, detinet, aut formaliter injuſte damnificavit, debet reſtituere tantum, quantum neceſſe eſt, ut dominus rei ablatæ aut damnificatæ efficaciter ſervetur indemnis, hoc eſt: nullum damnum aut intereſſe patiatur. *Ratio eſt:* quia, qui voluntarie lædit juſtitiam commutativam, tenetur ad æqualitatem, quam hæc intendit.

Reſ. 1. Tenetur ad reſtitutionem rei (ſi exiſtat) vel valoris & pretii, ſi non exiſtat, etiamſi caſu fortuito ſine omni ejus culpa perierit, niſi eodem modo caſu omnino fortuito vel naturali certo fuiſſet peritura apud dominum, V. G. communi incendio, naufragio, juſta hoſtium incurſione, vel equus V. G. ablatus moriatur morte naturali certo apud dominum moriturus; tunc enim, quia non fuit cauſa efficax damni absque eo certo futuri, ad nihil tenetur ante ſententiam judicis, niſi forte ad damnum, quod ex abſentia rei ſuæ paſſus eſt dominus, antequam eſſet apud ipſum peritura.

 tura.

tura. *Dixi* 1. *Caſu fortuito, vel naturali;* quia ſi per injuriam tertii erat certo peritura apud dominum, tenetur reſtituere; quia præveniendo illius tertii injuſtitiam ſuſcepit in ſe obligationem, quam ille incurriſſet; hinc non excuſantur milites ideo ſpolitantes ruſticos, quia vident ab aliis certo ſpoliandos. *Dixi* 2. *certo peritura;* quia in dubio, an peritura erat, tenetur ad æquivalens; quia poſſeſſio eſt pro rei exiſtentia, & jure domini.

Reſ. 2. Si rem certo perituram V. G. in incendio abſtuleris, (prout fieri ſolet) & apud te habeas, vel vendideris, conſumpſeris, vel caſu apud te pereat, teneris reſtituere ſecundum æſtimationem valoris; quia res, ubicunque exiſtit, domini eſt: & ad bonam illius fortunam pertinet, quod præſervata fuerit.

(35) *Reſ.* 3. Poſſeſſor malæ fidei tenetur reſarcire omne damnum emergens, & lucrum, quod domino ceſſavit propter talem damnificationem, cum ſit cauſa injuſta utriusque; hæc enim prævidit in confuſo, dum cognovit dominum ex rei ſuæ carentia forte paſſurum damna. Hinc ſi auferas ab alio equum, & ipſe alium conducere cogatur, non ſatisfacis equum reddendo, ſed debes ſimul ſolvere pretium conductionis, quod alter dederat, diciturque *damnum emergens;* ſi auferas equum, quem dominus elocare conſueverat, teneris ſimul ſolvere illud pretium, quod dominus accepiſſet, diciturque *lucrum ceſſans;* ſicut & ſi a mercatore auferas pecuniam; quam ille conſueverat exponere negotiationi, non tantum teneris reddere pecuniam, ſed & omne lucrum, quod ex negotiatione ſperabat, juxta æſtimationem tamen ſpei.

Reſ. 4. Idem tenetur reſtituere rem cum omni incremento *intrinſeco* V. G. equus ablatus factus eſt robuſtior, bos impinguatus, ex vitulo facta eſt vacca:

&

& *extrinſeco* V. G. ſi auctum ſit pretium rei: quia res creſcit, & melioratur ſuo domino.

Reſ. 5. Si res apud injuſtum poſſeſſorem facta ſit deterior etiam ſine culpa, tenetur illam reſtituere ſecundum optimum ſtatum, quem habuit, ſaltem ſi dominus erat illa uſurus in iſto ſtatu; hinc, ſi equum juvenem ſis furatus, & apud te ſenuerit, non ſufficit eum ita domino reddere, ſed compenſanda eſt quantitas deteriorationis. Idem eſt, ſi res furtiva apud injuſtum poſſeſſorem melioretur, & ad ſtatum priſtinum redeat; quia & in optimo ſtatu erat domini, illique reſtituenda: ſi tamen deterioretur circa culpam furis ex morbo naturali ſimiliter apud dominum certo contrahendo, non videtur ratione deteriorationis ad aliquid obligandus: ſicut etiam, ſi pretium rei decreverit, & dominus in meliori ſtatu non fuiſſet uſurus; tunc enim quoad hoc nullum damnum domino intulit.

(36) *Reſ.* 6. Si tempore incrementi rem conſumpſeris V. G. frumentum, quando conſtabat 6. imperialibus, quod dominus non erat usque ad illud tempus ſervaturus, ſed venditurus tribus, probabilius eſt obligari te ad reſtitutionem ſecundum majorem valorem, quem apud te habuit; quia ſtatus optimus tam ſecundum incrementum extrinſecum, quam intrinſecum adhæret rei; ergo ſicut res eſt domini, ita ſtatus optimus rei domini eſt; ergo per tuam iniquam conſumptionem non eſt privatus jure ſuo, ergo ſi conſumpſeris, quando æſtimabatur 6. debes ſecundum iſtam æſtimationem reſtituere.

Ob. Per hoc, quod reſtituatur domino ſua res ſecundum valorem, in quo dominus erat eam conſumpturus, nullum ei infertur damnum; ſed reſtitutio tantum obligat ratione damni, quod dominus eſt paſſus; ergo. *Deinde* rem vendere, vel abſumere hoc vel

 illo

illo tempore eſt fructus induſtriæ, ſicut vendere in loco, ubi majus eſt pretium; ergo pertinet ad furem. *Denique* ſi triticum V. G. mutuo acceperim, dum pluris valebat, ſatisfacio, ſi reddam, dum minoris valet. ℞. *Ad* 1. *n. M.* dominus enim novum damnum patitur, ſi res ſua usque ad ſtatum optimum conſervata ipſo invito conſumatur, vel diſtrahatur; quia ſuppoſito tali ſtatu habebat jus ad rem ſuam, & incrementum rei ſuæ adhærens. *Ad* 2. *n.* Eſſe fructum induſtriæ: ſed eſt fructus rei per induſtriam conſervatæ; dum enim pluris venditur triticum, non datur pretium ob induſtriam conſervantis, ſed ob rem per induſtriam conſervatam, & venditur pretio currente. Aliud eſt de loco; quia ſecundum moralem æſtimationem hominum induſtriæ adſcribitur, per epiſtolas & correſpondentias inquirere aliis locis de pretio rerum venalium, & illuc merces transferre. *Ad* 3. *n. c.* Natura mutui requirit, ut idem reddatur in ſpecie, quod creſcere & decreſcere ſolet; unde incrementum eſt utique commune: non ſic in furto.

Reſ. 7. Si res apud dominum erat melioranda, quamvis apud injuſtum poſſeſſorem meliorata non ſit, reſtituenda eſt ſecundum ſtatum optimum, in quo dominus erat illa uſurus, deductis tamen expenſis, quas dominus facturus erat ad procurandam meliorationem, *de quo infra. Ratio horum eſt:* quia hæc requiruntur ad domini indemnitatem.

(37) *Reſ.* 8. Conculcans ſegetes immaturas, eradicans arbores tenellas, occidens pullum equinum &c. non debet reſtituere proportionate ad valorem de futuro, cum longe minoris pretii ſit res in ſpe, quam in actu: ſed proportionate ad valorem de præſenti, conſideratis omnibus circumſtantiis ſpei, periculi, & temporis, quo dominus erat illa ſervaturus; hinc, ſi hodie occidas V. G. pullum equinum alterius, qui poſt

ali-

aliquot annos valuiſſet 30. aureis, non teneris reſtituere, niſi quantum pullus judicio prudentum ſpectatis circumſtantiis hodie valet; quia ſic datur æquale, & reparatur damnum; *intellige:* ſi dominus poſſet iſto pretio comparare ſimilem; alias enim patitur injuſte damnum. Idem eſt, ſi arbor tenera reſcindatur, nec poſſit ſubſtitui alia; & de ſimilibus.

QUÆSTIO IX.

(38) *Quid reſtituendum ſit a poſſeſſore dubiæ fidei?*

D. 1. Qui dubitavit ab initio, an res ſit aliena V. G. emit a perſona, de qua rationabiliter dubitare debet, an habeat dominium, vel adminiſtrationem, peccavit graviter, ſi acceperit animo retinendi ſibi, teneturque prævio diligenti examine ad reſtitutionem. *Ratio peccati eſt:* quia expoſuit ſe periculo rem alienam invito domino poſſidendi. *Ratio reſtitutionis eſt:* vel enim præmiſſa inquiſitione pro rei qualitate deprehendit eſſe alienam? & ſic tenetur ex iniqua acquiſitione: vel manet dubium? & tunc æquitas poſtulat, ut res dividatur pro qualitate dubii V. G. ſi dubium ſit pro utraque parte æquale, reſtituatur dimidium: ſi probabilius ſit, rem eſſe alienam, reſtituatur plus, & econtra: hocque vel particulari, de quo dubitatur: vel pauperibus, ſi dubitetur in genere, vel alter ſit ignotus. *Dixi: ſi acceperit animo retinendi;* ſi enim acceperit animo reddendi domino, pretium meretur, utpote utiliter gerens rem domini, & domino poſt ſufficientem inquiſitionem non comparente licite retinet, & abſumit.

Reſ. 1. Tenentur reſtituere ementes a quibusvis perſonis quælibet ſupellectilia, de quibus dubitare debent eſſe furtiva.

Reſ.

Reſ. 2. Qui a filiis-familias emunt veſtes, utenſilia coquinæ, vaſa argentea, frumenta, & ſimilia plerumque tenentur ad omnium reſtitutionem, licet pretium non ſint recuperaturi; quia ordinarie dubitare debent, an non ſint furtim a parentibus ablata.

Reſ. 3. Eidem oneri obnoxii ſunt caupones, qui permittunt a juvenibus fieri graves expenſas, quas merito ſuſpicari debent furtis domeſticis eſſe ſolvendas.

(39) *D.* 2. Qui ab initio rem aliquam bona fide poſſedit, & poſtea prudenter dubitat, an ſit aliena, tenetur ex juſtitia inquirere veritatem; adeoque ſi omittat, ab hoc tempore fit poſſeſſor malæ fidei: facta inquiſitione, & non comperta veritate licite retinet ut ſuam, donec moraliter certus ſit eſſe alienam; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ideoque poterit tunc conſumere, alienare &c. Si tamen ita dubiam alteri vendat, tenetur ex juſtitia ementi dubium manifeſtare; nam certum eſt, illud tanquam vitium minuere de pretio. *Dixi: donec moraliter certus ſit;* quia non ſufficit probabiliter eſſe alienam; poſſeſſio enim certa prævalet omnibus rationibus non convincentibus, eſtque jus certum inſiſtendi rei ut ſuæ, donec certo probetur eſſe alienam: ſi tamen ita probabiliter judicet eſſe alienam, ut nullam habeat prudentem rationem, quod ſit ſua, tenetur ad reſtitutionem; quia jam eſt moraliter certus.

Reſ. 1. Qui poſt poſſeſſionem bonæ fidei prudenter dubitat, & negligit inquirere, ideoque poſtea non poteſt invenire veritatem, quam forte antea inveniſſet, tenetur reſtituere pro qualitate dubii; quia omiſſio inquiſitionis fuit injurioſa illi, de quo dubitabat; ergo tenetur compenſare injuriam ſecundum proportionem ſpei, quam habebat, ut agnoſceretur dominus; ergo reſti-

reſtituendum vel illi, de quo dubitabat, vel pauperibus, ſi ignoretur.

Reſ. 2. Qui accepit rem a poſſeſſore bonæ fidei, dubitans, an ſit ejus, ſi adhibita diligenti inquiſitione maneat dubium, poteſt retinere; quia ſuccedit poſſeſſori bonæ fidei, ejusque juri poteſt inſiſtere: juxta ſententiam vero, quæ in materia hac tenenda eſt, pro rata dubii res dividi debet.

Reſ. 3. Qui dubitat, an res apud ſe depoſita, commodata caſu, an ſua culpa perierit, ad nihil tenetur; eſt enim in poſſeſſione innocentiæ, & delicta non præſumuntur ſaltem per ſe loquendo.

(40) *D.* 3. Qui dubitat, an malo ſuo conſilio, conſenſu, mandato &c. cooperatus ſit ad damnum proximi, tenetur ad reſtitutionem pro qualitate dubii; quia præſumptio eſt contra ipſum; conſtat enim, ut ſuppono, de conſilio V. G. dato: conſtat etiam de damno illato, & tantum dubitat, an ſecutum ſit ex ſuo conſilio, an ille, cui conſilium dedit, fuerit motus a conſilio dato; ex facto autem ſecuto præſumptio eſt pro efficacia conſilii.

Ob. In dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſed hic dubitans eſt in poſſeſſione ſuæ pecuniæ; ergo. ℞. 1. *n. m.* Nam poſſeſſio eſt contra dubitantem; conſtat enim de actione injuſta. ℞. 2. Regulam illam valere, quando quis incipit dubitare, an res, quam hactenus bona fide accepit, ſit aliena.

Reſ. 1. Qui alterum graviter percuſſit, & dubitat, an mors ſit ſecuta ex vulnere, an ex morbo ſuperveniente, an ex incuria chirurgi, tenetur pro rata dubii ad reſtitutionem damnorum inde ſequentium.

(41) *Reſ.* 2. Si dubitem de ipſo actu, V. G. an percuſſerim, non teneor ad reſtitutionem; cum enim non conſtet de actu, poſſeſſio manet pro libertate. Similiter non tenetur, qui conſilium dedit, ſed pruden-

denter dubitat, an alter re ipſa ſit furatus V. G. nec poteſt dubium vincere; quia adhuc poſſeſſio eſt pro ipſo, quia non conſtat de damno illato.

Reſ. 3. Quando conſtat aliquem ex duobus actione ſua damnum intuliſſe, ſed dubitatur, quis intulerit: V. G. conſtat de prole adulterina, quia maritus abfuit; dubitatur autem, quis ex duobus, qui commercium carnale habuerunt, ſit pater, ſinguli tenentur pro rata dubii; quia poſſeſſio eſt pro delicto, & aliunde non eſt ratio obligandi unum potius, quam alterum.

(42) *Reſ.* 4. In dubio, an aliquis poſſeſſionem inceperit bona, vel mala fide, præſumitur, quod bona; quia delicta non præſumuntur: ſi tamen quis actu ſit in mala fide, præſumitur etiam ab initio fuiſſe; *quia ſemel malus ſemper præſumitur talis.* (a)

Reſ. 5. Qui bona fide rem conſumpſit, & dubitat, an ex illa factus ſit ditior, ad nihil tenetur: quia, cum debeat eſſe obligatio ex re accepta, poſſeſſio eſt pro libertate, donec conſtet rem alienam eſſe æquivalenter apud ipſum. Probabilius autem tenetur pro rata dubii reſtituere: quia tutior pars eſt eligenda.

Reſ. 6. Si dubitetur, an res apud furem ſit deteriorata, an a domino fuiſſet ſervanda ad tempus, quo pluris vel minoris conſtitiſſet, reſtituendum eſt pro rata dubii ſupra valorem, quem habuit, dum erepta vel conſumpta eſt; quia domino nulla favet poſſeſſio, cum necdum extiterit major valor: dubium autem imminuit æſtimationem lucri & damni. Hinc etiam, quando agitur de compenſando damno emergente, vel lucro ceſſante, taxandum eſt juxta certitudinem, vel incertitudinem utriusque: ſi dominus dicat, ſe rem ſervaturum ad tempus majoris pretii, non teneor ipſi cre-

(a) *R. J. 8. in 6.*

credere, niſi aliæ conjecturæ accedant. *Nec obſtat:* quod in dubio inclinandum ſit in favorem innocentis; hoc enim verum eſt, dum poſſeſſio eſt pro innocente, vel non poteſt ſatisfieri utrique.

(43) *Reſ.* 7. Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, an ſint domini, rem poſſidet, ſi dubium ſit æquale, æqualiter eſt dividenda: ſi inæquale, inæqualiter ſecundum proportionem dubii; ſi non poſſit dividi, ſorte agendum eſt, aut ex conſenſu partium vendenda, vel uni applicanda, & aliis aliquid refundendum.

Reſ. 8. Rem bona fide ab altero poſſeſſam non potes alteri eripere, licet probabilius ſit tua; quia alteri favet certa poſſeſſio. Si certo eſſet tua, poſſes occulte eripere, ſi alia via non poſſes commode recipere. Idem poſſes, ſi probabiliter tantum ſit tua, a poſſeſſore malæ fidei, quia huic nec jus favet; ergo eripiendo non facis injuriam.

QUÆSTIO X.

(44) *Quinam fructus ſint reſtituendi?*

Fructus rei ſunt triplices: *Naturales*, qui ex ipſa re proveniunt ſine, aut cum modico labore hominum V.G. fœtus animalium, lana ovium, fructus arborum, herbæ pratorum &c. *Induſtriales:* qui præcipue proveniunt ab induſtria hominum utentium tali re velut inſtrumento V. G. ſtipendium, quod quis accipit, dum utitur falce aliena; artefactum, quod per inſtrumentum alienum elaboravit; lucrum ex rebus venditis emendo vili, & vendendo caro pretio; ſimiliter, ſi aliena pecunia ludas, negotieris &c. lucrum inde reſultans eſt fructus induſtriæ; quia pecunia de ſe eſt ſterilis. Alii ſunt fructus *Mixti*, ad quorum

pro-

productionem notabiliter concurrunt tum natura, tum induſtria, V. G. ſegetes ex agro, vinum ex vinea. Alii dicuntur fructus *civiles*, ut ſunt pretia rerum elocatarum, penſiones pecuniariæ, mercedes, ſalaria &c. quorum aliqui naturalibus, alii induſtrialibus, alii mixtis accenſentur, prout res ipſa, vel induſtria ad eos magis, vel minus concurrit. Alii iterum dicuntur fructus *Pendentes*: qui nondum a ſolo, & re fructificante ſunt ſeparati. Alii *Percepti*: qui jam vel reconditi ſunt in horreis, aut cellis, vel ſaltem ſeparati ſunt a re, a qua proveniunt, licet adhuc jaceant, ubi creverunt.

(45) *D.* 1. Nemo tenetur reſtituere fructus mere induſtriales; quia non teneor reſtituere, quod eſt meum; ſed fructus ex meo labore, & induſtria comparati ſunt mei; ſunt enim partus laboris, cujus domini ſumus: ergo etiam poſſeſſor malæ fidei illos ſibi licite retinet; hinc, ſi fur pecunia furtiva ludat, & lucretur, lucrum eſt ipſius.

(46) *D.* 2. Bonæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere fructus naturales perceptos exſtantes, & nondum præſcriptos, vel ſi non exſtent, in quantum ex eis factus eſt ditior; ſive res apud dominum erat habitura illos fructus, ſive non. *Ratio eſt:* quia omnis res fructifera ſuo domino fructificat, apud quemcunque exiſtat: & licet dominus non fuiſſet percepturus hos fructus, ob ſuam V. G. negligentiam, quia agrum non coluiſſet; domum non elocaſſet &c. adhuc poſſeſſor etiam bonæ fidei hos tenetur reſtituere; quia ſemper ſunt fructus rei, quæ manet domini, adeoque illi fructificat. Hæc intellige etiam de perceptis ante conteſtationem litis, ut habet communiſſima Theologorum contra modernos Juriſtas aliquos; quia certum eſt, quod ex lege naturæ teneatur; ſunt enim revera fructus rei alienæ: incertum autem, an lex poſitiva domi-

minium horum fructuum in poſſeſſorem bonæ fidei tranſtulerit, ergo ſtandum eſt juri naturæ.

Obj. In foro externo poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus conſumptos in æquivalenti tantum exiſtentes; ergo poſſum in foro conſcientiæ ei me conformare. ℟. *t. a.* (quod plures negant) *n. c.* Si in venditione deceperis aliquem infra dimidium, forum externum te non obligat, cui tamen in foro conſcientiæ te accommodare non potes, proinde univerſaliter non tenet.

Reſ. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur ad reſtitutionem fructuum, quos dominus percepiſſet, ille autem ob ſuam negligentiam non percepit: quia non eſt factus ditior, neque eſt cauſa injuſta damni.

(47) *D.* 3. Poſſeſſor malæ fidei tenetur 1. reſtituere fructus naturales perceptos; patet ex priori, & hoc: licet nec in ſe, nec in æquivalenti exiſtant, ſive dominus illos erat percepturus, ſive non, ſive cum culpa perierint, ſive non; quia fructus illi mox erant domini, & propter iniquam poſſeſſoris detentionem eisdem caruit; ergo reſtitui debent. 2. Tenetur reſtituere fructus, quos dominus licite percepiſſet, licet ipſe non perceperit, imo nec percipere potuerit; quia reparari debet damnum, quod dominus patitur injuria ipſius; ſed quod dominus non perceperit hos fructus, eſt ex injuſta acceptione, vel detentione ipſius: ergo. *Dixi: percepiſſet licite;* nam ſi dominus percepturus erat fructus ex turpi uſu rei ſuæ, non tenetur fur fructus illos reſtituere, ſi fructus percipiendi erant ex ipſo peccato, V. G. ex eo, quod pecunia eſſet danda ad uſuras; quia hi non ſunt fructus rei, ſed malitiæ: nec dominus habet jus ad has actiones, quas impediendo nullam ei facis injuriam. Si tamen percepturus fuiſſet fructus ex uſu rei, qui per accidens fuiſ-

fuiſſet conjunctus cum peccato : V. G. locaturus erat domum meretricibus, talis fructus reſtituendus eſt a poſſeſſore malæ fidei ; quia vere ſunt fructus rei, quamvis per accidens cum peccato conjungantur.

Ob. Circa fructus, quos dominus non erat percepturus, nullum patitur damnum ; ergo etiam malæ fidei poſſeſſor non tenetur illos reſtituere ; quia non tenetur niſi ſervare indemnem. ℞. *n. a.* Quia hoc ipſo, quod creverint in re ſua, ipſi debebantur ; ergo alter injuſte detinendo intulit ei damnum.

3. Poſſeſſor malæ fidei non tenetur reſtituere fructus, quos nec ipſe percepit, nec dominus erat percepturus, licet uterque percipere potuiſſet; quia in his dominus nullum patitur damnum. Si nullos perceperit, & dominus probabiliter tantum eſſet percepturus, tenetur pro rata ſpei, quam dominus habebat.

(48) *D.* 4. Fructus mixti reſtituendi ſunt, in quantum correſpondent naturæ, non in quantum induſtriæ. *Sequitur ex præcedentibus.*

Reſ. 1. Si inſtrumentis alterius feceris ſtatuam ex ligno tuo, ad nihil teneris, niſi inſtrumenta deterioraveris, vel alter ex carentia paſſus ſit damnum.

Reſ. 2. Si ex vinea injuſte poſſeſſa collegeris 10. dolia vini, præter vineam reſtituere debes 10. dolia, detractis expenſis, licet dominus nullum collegiſſet : ſi dominus collecturus fuiſſet 20., ad 20. teneris, licet collegeris tantum 10. vel etiam nullum.

Reſ. 3. Si elocaveris equum alienum, teneris cum equo reſtituere pretium elocationis, quamvis dominus non eſſet equum elocaturus; quia pretium habetur pro fructu rei : non enim datur pro induſtria, ſed pro uſu equi. Si dominus fuiſſet equum elocaturus, tu vero non elocaveris, quia non potuiſti, ſi ſis poſſeſſor malæ fidei, adhuc teneris reſtituere pretium elocationis,

nis, quod dominus erat percepturus: quia eſt lucrum domino ceſſans per tuam injuſtam detentionem.

Reſ. 4. Si eloces rem alienam non ſolitam elocari; V.G. veſtem pretioſam, adhuc teneris reſtituere pretium elocationis; quia non datur pro tua induſtria; ſed pro uſu iſtius rei, quæ domino ſuo fructificat. Econtra ſi equum V. G. ideo carius eloces, quia tuis expenſis feciſti eum exerceri in palæſtra, vel carius eloces domum alienam, quia eam exornaſti tua ſuppellectili, non teneris hunc exceſſum dare domino; quia eſt fructus tuæ induſtriæ.

Reſ. 5. Si bona fide in agro alieno ſeminaveris tuum frumentum, debes domino reſtituere ſegetem: ſi econtra alienum frumentum ſeminaveris in agro tuo, debes tantum reddere valorem frumenti; quia ſeges eſt fructus agri potius, quam frumenti.

(49) *Reſ.* 6. Si poſſeſſor malæ fidei rem intrinſecè melioraverit, V. G. in alieno fundo plantavit arbores, quas dominus non erat plantaturus, ſive recipiat, ſive negligat recipere fructus in iis natos, tenetur eos domino fundi compenſare. Idem eſt, ſi mala fide ſtercoraverit agrum, ita ut loco 6. jam producat 10. modios, tenetur, detractis expenſis, reſtituere omnes 10. licet caſu apud ipſum perierint. *Ratio eſt:* quia melioramentum illud intrinſecum ſtatim, ut fuit poſitum, erat domini, debebatque una cum fundo reſtitui; ergo illud injuſte detinens tenetur ad omnia damna inde ſecuta, inter quæ eſt jactura fructuum.

Reſ. 7. Si poſſeſſor malæ fidei non perceperit fructus, dubitat autem, an dominus erat eos percepturus, tenetur pro rata dubii.

Reſ. 8. Si dubites, an dominus collecturus fuiſſet 10. vel 20. dolia vini, quando æque erat ſpes colligendi 20. ac periculum colligendi tantum 10. de-

bes reſtituere 15. quia ſpes colligendi plus compenſatur cum æquali periculo colligendi tantum 10. : ſi ſpes ſuperet periculum, aut econtra, jam plus vel minus ad arbitrium viri prudentis reſtituendum eſt. Idem eſt de ſimilibus multis.

(50) Q. *An, & quæ expenſæ ſint deducendæ?*

N. Expenſæ, vel melioramenta ſunt triplices; aliæ *Neceſſariæ*, ſine quibus res non conſervaretur in ſuo ſtatu: V.G. alimenta animalium, eorum cuſtodia, reparatio domus, cultura agrorum &c. Aliæ ſunt *Utiles*, quibus res redditur pretioſior, vel magis fructifera V. G. novarum arborum, vitium implantatio, gregis augmentatio &c. Aliæ ſunt *Voluntariæ, ſeu Voluptuariæ*, quæ potiſſimum recreationi, & voluptati deſerviunt: V.G. fontes, picturæ. Nomine expenſarum etiam venit labor proprius in colligendis fructibus, in re conſervanda, agro colendo &c.

℞. 1. Poſſeſſor malæ fidei, ſpectato rigore juris, videtur nequidem deducere poſſe expenſas neceſſarias vel utiles. *Ratio eſt:* quia qui ſcienter agrum, vel hortum alienum coluit absque prævia conventione, vel injecto fimo meliorem reddidit, nihil a domino ex ſtricta juſtitia poteſt exigere, ſed domino illum coluit, & melioravit; ergo & poſſeſſor malæ fidei domino invito rem detinens. Et cur dominus teneretur ab iniquo rei ſuæ detentore emere laborem, quem vel ipſe paratus erat facere, vel habere poterat ab aliis, vel certe nolebat ab illo habere? nec ideo diteſcit ex alieno, ſed ex ſuo, labor enim in fundo ſcienter alieno factus eſt domini. *Dixi: rigore juris ſpectato;* quia æquitati naturali convenit, ut deducantur expenſæ ſaltem neceſſariæ, quas dominus ipſe debuiſſet facere; quia aliunde nullum damnum patitur: recipit enim rem, & omnes ejus fructus, compen-

penſatur damnum emergens, & lucrum ceſſans, & ideo eas retinere poteſt ante ſententiam Judicis.

(51) ℟. 2. Poſſeſſori bonæ fidei reſtituendæ ſunt expenſæ neceſſariæ, & utiles, hasque juſte exigit, ac rem in pignus detinet, donec ſolvantur; quia hæ expenſæ ceſſerunt in utilitatem domini, & utiliter rem ejus geſſit.

Reſ. 1. Dominus non tenetur pro his expenſis ſolvere, quantum crevit inde valor rei ſuæ, ſed quantum valuerunt expenſæ; aut, ſi hæ exceſſerint, quantum de facto res ei eſt utilis. V. G. Poſſeſſor alieni fundi plantavit arbores fructiferas expenſis unius aurei, nunc autem arbores valent 10. unum tantum debebit reddere; quia ex una parte plus non eſt expenſum, ex altera augmentum eſt partus ſui agri. Econtra, ſi in fœcundando V. G. agro impendiſſet 10. ſed de facto fœcundatio valet unum tantum, nonniſi unum reſtituet; quia in hoc tantum fœcundatio eſt ei utilis.

Reſ. 2. Si poſſeſſor expendiſſet 10. aureos conducendo V. G. equos, & famulos alienos, dominus vero propriis equis, famulis, vel per ſe ipſum laborando impendiſſet tantum medietatem, hanc tantum tenetur dominus reddere; quia in tantum habet emolumentum ex alterius expenſis. Quod autem poſſeſſor inde damnum patiatur, caſui imputandum eſt.

Reſ. 3. Si expenſæ ſint compenſatæ per uſum rei, vel fructus perceptos, & conſumptos, nihil eſt reſtituendum, licet inde non ſit factus ditior; hoc enim imputet ſibi, vel malæ fortunæ: fructus autem percepti venerunt in locum expenſarum.

Reſ. 4. Inter expenſas non ſunt computandi caſus fortuiti, nec damna per accidens ſecuta. V. G. ob immodicos labores, vel aliam cauſam in colendo agro

alieno mortui ſunt equi tui, valor deduci non poteſt, ſed tantum æſtimatio laboris.

(52) R. 3. Expenſæ voluptuariæ, ſi a re ſeparari poſſint ſalva ſubſtantia, V. G. ſtatuæ in horto, picturæ, horologia &c. licite auferuntur a poſſeſſore etiam malæ fidei; ſi vero ſine damno rei nequeant ſeparari, vel per implantationem rei acceſſerint, non ſunt ſolvendæ poſſeſſori malæ fidei; is enim imputet ſibi, quod amittat, quæ circa rem alienam ſcienter citra domini voluntatem fecit. Poſſeſſor autem bonæ fidei poteſt cogere dominum, ut reſtituat, non quantum in his impendit; quia iniquum videtur dominum cogere, ut in re ſua faciat expenſas tantum pro recreatione: ſed quantum inde utilitatis domino accreſcit; quia vix reperiuntur expenſæ etiam voluptuariæ, quæ non ſint domino utiles.

DISSERTATIO IV.

DE

(53) COOPERANTIBUS AD INJUSTAM DAMNIFICATIONEM.

Novem ſunt modi, quibus poteſt quis cooperari ad damnum proximi, his verſibus comprehenſi:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sex priores concurrunt *directe, & poſitive*: alii tres *indirecte, & negative.* Pro his certum eſt. 1. Omnis voluntarie efficaciter ad gravem & injuſtam damnificationem cooperans domino rationabiliter invito peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem; quia violat jus alte-

alterius. *Dico: voluntarie & efficaciter;* nam 1. Excuſat V. G. ignorantia invincibilis. 2. Cooperatio debet eſſe efficax vere influens in damnum, ita ut alter ex tua juſſione, vel conſilio vere moveatur; hinc ſi ad inferendum damnum jam ſit paratus, & per mandatum, vel conſilium tuum nec motus, nec confirmatus fuerit, ad nihil teneris; quia, licet peccaveris in affectu etiam contra juſtitiam, in re tamen non influxiſti: potes tamen teneri ut non obſtans. *Denique* dominus debet eſſe rationabiliter invitus, qualis ſæpe eſſe non poteſt, V. G. ſi quis ex metu gravi per actionem indifferentem remote cooperetur ad damnum (a). 2. Ad contrahendam obligationem iuſtitiæ ex vera & communiſſima ſententia ſufficit, quod juſſio tua, vel conſilium vere moveat, licet aliunde etiam moveatur, & ſine tua cooperatione damnum inferret; quia vere cooperaris, & influis in damnum, quod ſufficit. Jam deſcendendo ad particularia ſit

QUÆSTIO I.

(54) *An, & qualiter teneatur Mandans?*

D. Mandans tenetur ad reſtitutionem damni ab executore illati, ſi hic inde moveatur; quia mandans moraliter magis influit in damnificationem, quam ipſe executor. Circa difficultates hic occurrentes

Reſ. 1. *Mandans* dicitur, qui jubet damnificationem fieri, ſive habeat poteſtatem jubendi, ſive non, dummodo ex ejus imperio ſequatur injuſta actio, ſive expreſſe illud jubeat, ſive tacite tantum. Ille mandat *expreſſe*, qui verbo aut ſcripto jubet nomine ſuo damnum fieri; ille mandat *tacite*, qui id clare non exprimit, inſinuat tamen ſe velle, aut cupere, ut fiat, V. G. dominus coram ſubditis ſuis conqueritur, quod nemo

(a) *Vid. infra Num. 69.*

nemo ulciſcatur injuriam ſibi illatam, dicendo, V. G. quis me de tali vindicabit? quam gratiam mihi faceret, ſi quis Petrum occideret! &c.

(55) *Reſ.* 2. Si mandans mandatum ſuum ante executionem verbo, ſcripto, aut nuntio ſerio revocet, idque innoteſcat mandatario, liber eſt ab obligatione reſtituendi, ſicut & aliis pœnis, etiamſi mandatarius damnum inferat; quia revocato ſic mandato tota ceſſat cooperatio, & influxus mandantis in damnum, quod jam ex mere libera malitia mandatarii ſequitur. Hinc ſi promiſſis tibi 100. aureis juſſerim, ut inimicum meum occideres, dein pœnitentia ductus mittam ad te litteras, ſerio ſignificans, ut abſtineas, tu vero ut pecunia promiſſa potiaris, fingas te non recepiſſe litteras, ſicque adhuc occidas, ſolus reſtitutioni, & irregularitati es obnoxius, nec potes acquirere mercedem illam: inſuper obligaris mihi ad reſarciendum damnum, quod ex tali tuo homicidio mihi forte imputato obvenit; ſatis enim ſciebas revocationem meam.

Reſ. 3. Si revocatio mandati ante executionem non innoteſcat mandatario etiam ex culpa nuntii V. G. quem mandans miſit, mandans manet obligatus; quia adhuc vi mandati ſemel dati alter exequitur. Idem eſt, ſi revocatio fuerit quidem inſinuata, ſed mandatarius non crediderit eſſe ſeriam, aut ejus ſit oblitus; quia damnum adhuc vere ſequitur ex actione injuſta præterita mandantis.

Reſ. 4. Si vellem, ſed non poſſim amplius revocare mandatum, teneor ex juſtitia monere damnificandum, ut ſibi caveat etiam cum æquali meo damno; quia in æquali cauſa melior eſſe debet conditio innocentis. Hinc ſi vita Petri tunc periclitetur, teneor mea vita: ſi fama, mea fama: ſi bona temporalia, meis bonis temporalibus redimere. Si ex monitione mea immineat mihi damnum longe majus, vel altioris ordi-

nis,

nis, non teneor monere; quia cenſeor moraliter non poſſe; hinc ſi Petro ex meo mandato inferendum ſit damnum in bonis fortunæ, non teneor eum monere, ſi ex monitione vita vel fama mea certo periclitetur; adhuc tamen teneor ad reſtitutionem damnorum ex mandato, quod revocare non poſſum, ſecutorum; ſicut ſi dederim alicui venenum, cujus effectum poſtea impedire non poſſum, licet pœnitens libenter vellem.

(56) *Reſ.* 5. Mandans non tantum tenetur reſarcire damnum, quod juſſit, ſed & quod ſaltem confuſe prævidit ex mandato ſecuturum: V. G. famulo iracundo præcipis, ut aliquem fuſtibus graviter excipiat, teneris etiam de morte, licet contra tuam intentionem, imo prohibitionem evenerit: quia tua culpa dediſti occaſionem tali damno; aliud eſt, ſi prævidere nullo modo potueris.

Reſ. 6. Si certo ſciam alium decreviſſe in mei gratiam damnum tertio inferre: V. G. occidere meum inimicum, & non prohibeam, cum facile poſſim, diſtinguendum eſt: vel etiam alter in mei gratiam occiſurus ſcit, notum eſſe mihi ſuum propoſitum, nec me impedire velle, cum facile poſſim, & tunc cenſeor moraliter cooperari, aut tacita approbatione mea movere, conſequenter obligor ad reſtitutionem, ſi non ut mandans, ſaltem ut conſentiens; vel alter neſcit me ſcire ſuum intentum, & tunc non teneor ſaltem ut mandans; quia nullo modo a me motus damnum infert; plerumque tamen obligor ut non obſtans, ut ſi damnificaturus ſit meus filius, ſubditus, famulus.

Reſ. 7. Si tantum ratum habeam damnum in mei gratiam ab alio jam illatum, V. G. alius in mei gratiam me ignorante occidit meum inimicum, ego factum approbo, ad nihil teneor; quia jam ex toto damnum eſt poſitum, cujus nec phyſica, nec moralis cauſa fui;

 niſi

niſi tamen per meam approbationem eſſem cauſa, ut non fieret reſtitutio.

(57) *Reſ.* 8. Si ipſe mandatarius propter executionem mandati patiatur damnum V. G. vulneretur, occidatur, propter crimen mulctetur, &c. Diſtinguendum eſt: vel enim ſponte ſe obtulit, aut ſponte acceptavit mandatum, & maxime ſi pretium acceperit, jam mandans non tenetur mandatario compenſare damna, quæ ipſe patitur; quia volenti non eſt facta injuria, & ultro ſe talibus periculis objecit. Si autem fuerit a mandante deceptus, vel coactus aſſumere mandatum, uti videtur cogi ſubditus ad mandatum ſuperioris, jam mandans ſimul tenetur mandatario reparare omnia damna, quæ ſaltem confuſe prævidit, tanquam communiter conjuncta; quia ſic ejus damnum ſequitur ex injuria per deceptionem, vel coactionem illata. Si autem damnum ſequeretur omnino extraordinarie V. G. ex mandato meo occiſurus inimicum in itinere lapſus es ex equo, & paſſus infortunium, incidiſti in latrones, & es occiſus, non teneor hoc damnum reparare; quia nequidem indirecte eſt mihi voluntarium, cum non prævideriṁ. Id tamen alii negant; quia mandato cogens ſuſcipit in ſe omnia pericula, quæ occurrunt in neceſſaria executione ſui mandati, & hoc videtur verius, niſi mandatarius ſponte hæc incurriſſet V. G. potens tranſire per viam ſecuram, ingreſſus eſt periculoſam.

QUÆSTIO II.

(58) *Quomodo teneatur conſulens?*

Conſulens dicitur, qui damnum inferri ſuaſit, ad inferendum hortatur, muneribus, blanditiis &c. inducit; eſtque certum, conſulentem eſſe veram & efficacem cau-

cauſam damni; in moralibus enim ſuadere damnum, & efficere habentur pro eodem.

D. Conſulens tenetur ad reſtitutionem, ſi ex conſilio dato quis moveatur, & inferat injuſtum damnum; jam enim vere moraliter concurrit, ac efficaciter influit.

(59) *Reſ.* 1. Sæpe contingit, ut ſolus conſulens, vel etiam mandans teneatur, non vero ipſe executor damni: ſi ſcilicet hic rerum imperitus bona fide authoritatem conſulentis ſequatur; in tali enim caſu tota formalis injuſtitia eſt penes ſuadentem.

Reſ. 2. Non tenetur ad reſtitutionem, qui furi V. G. parato, & in ſententia ſua pertinaci ad inferendum gravius damnum Cajo ex bona intentione ſuadet, ut inferat levius V. G. vult furari 100., ſuades, ut furetur 50.: vult occidere, ſuades, ut vulneret tantum, dum alius modus non ſuppetit hominem retrahendi; quia talis conſiliarius negotium Caji utiliter gerit. Aliud eſt, ſi fieret pravo animo, quia V. G. tutius eſt 10. quam 20. furari; tunc enim teneris, quantum hæc circumſtantia nocet proximo.

Reſ. 3. Tenetur tamen ad reſtitutionem, qui furi volenti inferre Cajo majus damnum, ſuadet, ut Titio, de quo fur non cogitabat, inferat minus. Idem eſt: ſi furi indifferenti ad furandum ſuadeas, ut potius furetur a Paulo ditiore, quam a Petro paupere, licet hoc ſit minus malum; quia Paulus æque habet jus in ſuum, quam Petrus, & dives æque, ac pauper. Nihilominus, ſi damnum minus divitis reſpectu illius foret adeo leve, ut illud ex charitate teneretur pati ad avertendum grave damnum proximi, jam dives eſſet irrationabiliter invitus, adeoque non tenereris. Similiter ſi tantum in genere ſuadeas, ut a divite potius, quam paupere furetur neminem deſignando; quia nemini facis injuriam proponendo furi hanc veritatem.

Reſ.

Reſ. 4. Quamvis volenti occidere V. G. Petrum licite ſuadeas, ut vulneret, ſi aliter impedire non poſſis, non tamen licet ad mutilationem, vel aliam actionem intrinſece malam cooperari; non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona; conſilium vero fertur in mutilationem conditionate tantum, & in defectum majoris mali, ideoque in bonum; cooperatio vero directe fertur in actionem malam.

(60) *Reſ.* 5. Si paratum efficaciter ad damnificandum moveas, ut libentius, atrocius, gravius exequatur, non teneris niſi ad exceſſum damni, qui ex tuo conſilio eſt ſecutus, non ad totum; quia in damnificationem quoad ſubſtantiam non influxiſti; ad hanc enim ex tuo conſilio motus non fuit; igitur teneris reſtituere, quanti intererat domini: non fieri damnum cum illa cicumſtantia.

Dices. Talis eſt cauſa totius actionis, prout hic, & nunc fit; ſed hic nocet proximo, ergo tenetur ad totum.

℞. 1. Ergo & tenetur, qui eſt cauſa, ut actio fiat in alio loco, ubi minus eſt ſcandali; quod nemo dicit.

℞. 2. Nocet ſecundum ſubſtantiam ſpectata C. præciſe, ut hoc vel illo loco fit, aut tempore N. In quantum plus nocet, etiam tenetur reſtituere.

Reſ. 6. Si moveas, ut citius furetur V. G. vult furari poſt octo dies, ſuades, ut faciat modo, plerumque peccas; quia damnum impediri, & voluntas furis interim mutari poterat, ideoque teneris ad reſtitutionem pro rata illius ſpei. Si econtra volenti furari modo, ſuadeas, ut poſt octo dies furetur, animo impediendi, ad nihil teneris; quia utiliter rem domini geris.

Reſ. 7. Quando conſulens ex officio non tenebatur ſcire veritatem, & aliunde notæ erat imperitiæ, non tenetur ad compenſationem damnorum, quæ propter ma-

malum conſilium patitur executor, qui imputet ſibi, quod ſecutus ſit conſilium ejus, cujus peritiam prius non exploravit, niſi in conſulente fuerit dolus, fraus &c. jam enim facit injuriam; quam fraudem committere cenſentur, qui ex officio præferunt ſcientiam muneri ſuo congruam, quam tamen non habent; ut Conſiliarii Principum, Advocati, Doctores, Medici, Confeſſarii &c.

(61) *Reſ.* 8. Si tantum precibus, promiſſis, aut ſimili modo ſuaſeris, quod dicitur conſilium *ſimplex*, & ante executionem revoces, ad nihil teneris; idem eſt, ſi conſilium ſit falſum, V. G. dixiſti licitum eſſe aliquem contractum, qui re ipſa illicitus eſt; ſi, antequam contractus ineatur, dicas te erraſſe, ad nihil teneris, ſi alter adhuc contractum ineat; quia jam malitia ipſius, non culpa tua movet, aut conſilium datum, quod diſſipaſti. Si vero ſimul oſtendas facilitatem, utilitatem, aut alia motiva conſilii tui, quod dicitur conſilium *qualificatum* V. G. conſulis homicidium ob decorem vindictæ, vanæ gloriæ, abortum ad evadendam infamiam: oſtendis occaſionem ſecure furandi &c. teneris ad reſtitutionem, quamvis retractaveris, & ſerio dicas, pœnitere te conſilii dati, rogesque, ut deſiſtat &c.; ſi alter inde motus pergat damnum inferre. *Ratio eſt*: quia conſulens tamdiu cenſetur influere in damnum, quamdiu alter ex ejus conſilio movetur, ſed retractatio hic non facit, quominus ex tali conſilio moveatur; ergo. Deinde ſimilis habet ſe, ac ſi claves daret ad furtum, enſem ad injuſtam occiſionem; ergo ſicut ibi non ſufficit rogare, ut deſiſtat, ſed eripienda ſunt hæc inſtrumenta, ſic hic rationes datæ ſunt diſſolvendæ, ac motivis contrariis diluendæ, ut ex iis moveri amplius non poſſit ad nocendum; ad quod non ſufficit ſuggerere motiva ſpiritualia; quia temporales rationes in mundanis prævalent. Si jam ratio-

rationes datas, quantum potes, confutaveris, nihilque omiſeris ad diſſuadendum, ſatis probabile eſt liberari te ab onere reſtitutionis, ut noviſſime docet eminentiſſimus Gotti. *Ratio eſt:* quia quod conſilium taliter revocatum, maneat in ratione motivi, eſt ex prava voluntate illius, qui recepit, non qui dedit: nec eſt paritas de igne injecto alienæ domui, aut veneno propinato; quia hæc agunt naturaliter, conſilium moraliter, non neceſſitando.

Reſ. 9. Conſulens ſi pœnitentia ductus nequeat abſtrahere alterum ab iniquo propoſito, ſi conſilium fueſimplex, & revocaverit, adhuc ex charitate tenetur monere tertium, ut ſuis rebus invigilet; ſi revocare non potuerit ob diſtantiam V. G. loci, ex juſtitia tenetur monere; idque a fortiori, ſi conſilium fuerit qualificatum, ſive revocaverit, ſive non; quia poſuit poſitive cauſam, ex qua per ſe naſcitur damnum alterius; excipe, niſi rationes datas ſatis eliſerit; pro his *vide ſupra de mandante* (a).

(62) *Reſ.* 10. Qui in aliquo conſortio exponit modos ſubtiles & ſecuros furandi recreationis, aut aſtutiæ ſuæ oſtendendæ cauſa, non cenſetur dare conſilium, licet per accidens aliquis male uteretur; quia notitia illa ſpeculativa de ſe non eſt mala; imo bona ad præcavendos fures; ideoque, ſi quis audientium illa abutatur in malum, ipſius malitiæ eſt imputandum. Excipe, niſi exponens advertiſſet, ſaltem confuſe ob circumſtantias aliquem inter audientes abuſurum.

Reſ. 11. Qui ſolo exemplo pravo eſt occaſio, & cauſa damni per illud movendo alios, ut furentur, occidant, infament &c. ſecundum plures non tenetur ad reſtitutionem V. G. vineam alterius ingrederis, & furaris, quod alii videntes ad ſimile furtum excitantur; quia exemplum pravum non eſt proxima cauſa influens in

(a) *Num.* 55.

in actionem alterius, licet ſit occaſio, ex qua alius ſua malitia motus malum exequatur, ideoque peccat contra charitatem, non juſtitiam: idque licet exemplum dediſſet animo inducendi alios; quia non ſufficit animus internus, ſi actus externus de ſe non influat. Interim videtur probabilius teneri ad reſtitutionem; quia exempla fortius movent, quam verba; & licet tantum ſit contra charitatem ſcandalizati, poteſt tamen eſſe contra juſtitiam tertii habentis jus, ut ſine gravi cauſa non ponatur actio, ex qua alter moveatur ad inferendum illi damnum.

QUÆSTIO III.

(63) *Ad quid teneantur conſentiens, & reliqui poſitive cooperantes?*

Conſentiens hic dicitur, qui ſua approbatione, vel ſuffragio promovet, ut damnum inferatur.

D. 1. Conſentiens efficaciter in damnum injuſtum; tenetur ad reſtitutionem; eſt enim cauſa efficax damni injuſti.

Reſ. 1. Si quis ex Magiſtratu, vel Senatu ad inferendum bellum injuſtum, ad ſtatuendam legem iniquam, ad promovendum hominem indignum præſtet conſenſum, aut ferat ſuffragium, tenetur ad compenſanda damna, quæ inde ſequuntur. Idem eſt, ſi ſubſcribat injuſtæ condemnationi.

Reſ. 2. Si obligatus ex juſtitia aſſentiri, neges ſuffragium, quod in favorem alicujus, vel reipublicæ ferre debebas, teneris ad reſtitutionem; quia tunc ex juſtitia teneris tuo conſenſu proſpicere bono alterius; ergo dum facere hoc negligis, & ex hac negligentia damnum oritur, tibi eſt imputandum.

Reſ. 3. Magnates, Conſiliarii, & ſimiles, quos Princeps poſt definitum V. G. bellum injuſtum convocavit,

cavit, ut exquireret eorum conſenſum, non tenentur ad compenſationem damnorum ex hoc bello ortorum, quanquam injuſte illud approbavererint, & Princeps ideo libentius fuerit executus; quia, licet peccent graviter contra juſtitiam tale bellum approbando, & conſentiendo, conſenſus tamen ab ipſis præſtitus non eſt cauſa efficax damnorum; cum bellum, ut fieret, ab illis non dependerit, ut ſupponitur: contrarium eſt, ſi ſua non approbatione potuerint impedire.

(64) *Reſ.* 4. Non teneris ad compenſationem damni, quando plures publice ferunt ſuffragium, aut ſubſcribunt iniquæ ſententiæ, tuque etiam conſentis, poſtquam ſufficiens numerus eſt ſuffragatus, nec omnium ſuffragia requiruntur. *Ratio eſt:* quia, licet pecces conſentiendo, tuum ſuffragium tamen tunc non eſt cauſa damni; hæc enim ſufficienter & efficaciter erat poſita ante tuum ſuffragium. Si vero ſuffragium tuleris ante ſufficientem numerum, teneris ad reſtitutionem, licet certo ſciveris ex ſequentibus ſuffragiis iniquis ſententiam injuſtam eſſe concludendam; quia jam tuum ſuffragium una cum aliorum ſuffragiis fuit vera cauſa, ut feratur ſententia damnoſa: V. G. inter 5. Aſſeſſores publice dantes ſuffragium tantum requiritur major pars votorum, teneris, ſi fueris tertius, non, ſi quartus, aut quintus.

Reſ. 5. Poſteriores ſuffragatores tenentur ad reſtitutionem, quando ipſis diffidentibus major pars injuſte ſuffragantium mutaſſet ſuam ſententiam, revocando datum ſuffragium; quia tunc poſteriorum ſuffragia erant neceſſaria ad impediendum damnum, quod quilibet ex officio impedire debebat. Idem eſt, ſi aliquis ex poſterioribus eſſet tantæ authoritatis aut gratiæ, ut ſuo diſſenſu alios ſecum traheret ad ſuffragia revocanda: talis enim tenetur de damno tanquam mutus, vel non obſtans.

Reſ.

Reſ. 6. Si ſuffragia ſint ſecreta, & dubites, an tuum ſuffragium fuerit ex prioribus, & neceſſariis ad ſententiam? An ex poſterioribus? Teneris ad reſtitutionem ſaltem pro rata dubii; quia poſſeſſio eſt pro damno, quod conſtat eſſe illatum; ergo ſuffragatori iniquo, ut ſe immunem reddat ab onere reſtitutionis, incumbit oſtendere, quod non influxerit in illud.

Obſ. Adulter ad nihil tenetur, quando dubium eſt, an proles ſit adulterina, licet conſtet de delicto; ergo & hic. ℞. 1. *n. a. de quo infra.* 2. *n. c.* Quia in caſu adulterii dubium eſt, an damnum ſit ſecutum; ſi enim proles non ſit ex adulterio, non eſt ſecutum damnum; hic certum eſt, quod damum ſit ſecutum, & tantum dubitatur, a quibus ſuffragiis; ergo omnes, qui tulerunt ſuffragium iniquum, obligantur.

(65) *Reſ.* 7. illi, quibus ex officio competit jus ſuffragii, per ſe loquendo peccant, & tenentur ad reſtitutionem, quando ſubterfugiunt Senatum, Capitulum &c, ſub prætextu V. G. infirmitatis, ſi impedire poſſent iniquas ſententias; quia ex officio tenentur tunc adeſſe, & has ſententias, quantum poſſunt, impedire. Per accidens liberari poſſunt 1. ſi adeſſet juſta cauſa ſe abſentandi, quæ tamen debet eſſe graviſſima, dum conſtat V, G. Senatori rem magni momenti eſſe tractandam, & eſſe periculum, ne per ſuam abſentiam noceat. 2. Quando talis ſe abſentans certo novit, etiam ſe præſente rem fore decidendam contra juſtitiam, ſuumque ſuffragium ad aliud non ſerviturum, quam ut grave odium ſibi pariat, & graves rixas exciter: ubi tamen ſæpe contingit, ut nimium ſibi blandiatur proprius timor, & reſpectus humanus; nam ſæpe etiam unius cordata ſentiendi libertas multorum inordinatum timorem diſcutit, vel ſaltem impedit alios, ne impoſterum tam facile conſentiant in facta iniqua.

(66) *Palpo* dicitur, qui laude, adulatione, applauſu, exprobratione, irriſione, aut ſimili modo cooperatur ad damnum: ut ſi quis injuriato ſuam nobilitatem & vires, vel injuriæ gravitatem proponat, ex quo ille movetur ad ſumendam vindictam; vel econtra eum irrideat, quod injuriam non ulciſcatur.

D. 2. Palpo, ſi moveat alterum ad inferendum damnum, vel non reparandum illatum, tenetur ad reſtitutionem; quia habet ſe per modum conſulentis. Sufficit autem, ſi prævideat, ex tali actione probabiliter ſecuturam, aut natam ſequi alterius damnificationem, aut de hoc prudenter dubitet; hinc non excuſatur ex eo, quod dicat ſe non feciſſe animo movendi ad tale damnum. Poteſt tamen quandoque excuſare bona fides, ignorantia, vel inadvertentia.

Reſ. Qui marito V. G. exprobrat adulterium ſuæ conjugis, & ideo ille impatiens ignominiæ occidit adulterum, vel adulteram, tenetur ad reſtitutionem; eſt enim cauſa efficax damnorum. Qui autem poſt damnum illatum laudat damnificantem, peccat quidem graviter: non tamen tenetur ad reſtitutionem, niſi laus, vel adulatio eſſet cauſa, cur reſtitutio non fieret, aut novum damnum inferatur.

(67) *Recurſum dans* dicitur, qui facilitatem, occaſionem, patrocinium, refugium, aut ſecuritatem præſtat malefactori, ut vel damnum inferat, vel illatum non compenſet: qui prædas ſervat &c.

D. 3. Recipiens tenetur ad reſtitutionem, quando influit in damnum, ut fiat, vel ut factum non reparetur. Patet *ex præcedentibus.*

Reſ. 1. Magnates, parentes, domini tenentur ad reſtitutionem damnorum, ſi ſubditi, filii, famuli damnum inferant, videntes eorum protectionem, dummodo hoc advertant, & diſſimulent.

Reſ.

Reſ. 2. Qui res furtivas recipiunt, & conſervant pro fure, tenentur ad reſtitutionem, quamvis nihil ex iis ſibi retineant: hinc ſiquis domi ſuæ abſcondat furem cum ſpoliis fugientem, ne dominus ſua recipiat, tenetur ad reſtitutionem.

Reſ. 3. Qui furem, ſicarium, aut alium malefactorem defendit, protegit, hoſpitio recipit, inſtrumenta ſervat, prædas emit, illas cuſtodit, tenetur ad reſtitutionem.

(68) *Reſ.* 4. Excuſatur, qui malefactorem recipit ex metu gravis mali; cum enim receptio ſit indifferens, poteſt cauſam excuſantem admittere. Sic excuſari poſſunt caupones in hoſpitiis ſolitariis habitantes, dum latrones recipiunt, carnes V. G. furtivas coquunt, prædas cuſtodiunt, easque furi reddunt, ſi faciant ex timore gravis mali, ne V. G. incendant ædes &c.

Reſ. 5. A peccato, & reſtitutione immunis eſt, qui malefactorem recipit titulo amicitiæ, conſanguinitatis &c. ſi per hoc non ſit cauſa damni illati, reſtitutionis omiſſæ, aut novi damni inferendi.

Reſ. 6. Licite recipio furem, & occulto, dum eum lictores inſequuntur, ex commiſeratione, ne capiatur, infametur, pœnam præſertim capitalem luat; cum enim licite ipſe fugiat, mihi licet ipſum adjuvare: niſi obſtet juſtum mandatum, nec fugienti præbeatur ſpes ſimilis impoſterum recurſus, qua confiſus tunc evadens rurſus damna inferat; eſt enim opus miſericordiæ, licet per accidens relapſus ſequatur. Si tamen fur quæratur præciſe in ordine ad reſtitutionem rei ablatæ, qui occultando hoc impedit, ad reſtitutionem tenetur.

Reſ. 7. Advocatus licite defendit malefactorem in judicio, quoad illa, in quibus ipſemet poteſt ſe defendere: V. G. dum factum in judicio plene probari nequit, dum contra eum proceditur non ſervato juris

ordine &c. defenditur enim non ut malefactor, ſed ut jus habens.

(69) *D.* 4. Dupliciter poteſt aliquis eſſe *Participans*, vel *ratione rei acceptæ*, vel *injuſtæ acceptionis.* *Primo modo* dicitur participans, qui partem prædæ accipit, aut conſumit; & hic, ſi noverit eſſe furtivam, tenetur reſtituere qua poſſeſſor malæ fidei, *de quo ſupra.* *Secundo modo* dicitur participans, qui ad furtum inſtrumenta porrigit, ſcalas defert, claves adulterinas conficit, furem defenſionis cauſa comitatur, excubias agit, prædas aſportat; hi omnes tenentur ad reſtitutionem, vel totius, ſi in totam damnificationem influxerint, vel partis, ſi tantum ad partem damni concurerint. Ubi

Obſ. Duplex hic intercurrit actio, una *per ſe injuſta*, V. G. fores infringere, furibus arcas aperire, & hæc per ſe non eſt licita: alia *de ſe indifferens* V. G. prædas aſportare, & hæc etiam eſt illicita ac reſtitutioni obnoxia, ſi fiat libere: ſi autem metu gravioris mali, excuſari debet a peccato, & onere reſtitutionis; ideoque excuſantur ruſtici, qui poſt iniquas deprædationes coguntur a militibus, aut etiam latronibus, ut equos, currus, imo ſe ipſos accommodent ad vehenda ſpolia. Idem eſt, ſi cogantur ſequi fures, modo nihil facere mali ſtatuant, licet ex eorum conſortio fures magis animentur. *Ratio horum eſt:* quia exercetur actio de ſe indifferens ad finem bonum ſcilicet grave damnum evadendum: ad furtum autem habent ſe permiſſive, nec tenentur cum tanto ſuo incommodo impedire, *de quibus plura, ubi de ſcandalo* (a).

Ob. Tales cooperatores licite occiduntur ab illis, qui injuſte rebus ſuis ſpoliantur, ſi malum aliter averti non poſſit; ergo injuſte agunt. *Deinde* licet talis actio ſecundum ſe non ſit mala, tamen mala eſt, prout hic

(a) *Vid. Tract. I. de Virtut. Theol. Q. XI.*

hic & nunc exercetur; ergo cooperatio eſt illicita. ℞. *Ad* 1. *d.* Licite occiduntur in vim neceſſariæ defenſionis. *c.* in vindictam tanquam rei criminis. *n. Ad* 2. Eſt mala, prout procedit a cogentibus. *c.* a coactis. *n.*

QUÆSTIO IV.

(70) *Qualiter teneantur cooperantes negative, & quis ordo inter cooperantes?*

D. 1. *Mutus* dicitur, qui ante damnum illatum non loquitur, non monet, non clamat, ne damnum fiat. *Non obſtans*, qui, dum damnum infertur, non impedit, rem non cuſtodit, perſonam non defendit. *Non manifeſtans*, qui damnificantem non manifeſtat poſt factum, ut reparetur. Hi omnes, ſi ad hoc teneantur ex officio, contractu, vel ſtipendio, tenentur ad reſtitutionem damni illati, ſi culpabiliter non impediant, & moraliter impedire poſſint; non vero tenentur ad reſtitutionem, quando tantum tenebantur impedire ex charitate; tunc enim peccant tantum contra charitatem, ſi ſine ſuo gravi incommodo poſſint impedire. Patent hæc ſatis *ex præcedentibus.*

Reſ. 1. Princeps, Magiſtratus, & alii Superiores, quibus ex officio incumbit procurare indemnitatem ſubditorum, tenentur ad reſtitutionem damnorum a latronibus, furibus, vel ab aliis illatorum ſuis ſubditis, ſi ex gravi negligentia non impediant. Idem eſt de Aſſeſſoribus, Conſiliariis &c. ſi taceant, ſi ſe abſentent, ſi non impediant iniquas conſtitutiones, *de quo ſupra.*

Reſ. 2. Ad reſtitutionem tenentur parentes aut heri, quibus ex officio incumbit vigilare, ne per eorum filios ſub ſua poteſtate conſtitutos, ſubditos, famulos

mulos damnum inferatur; idem eſt de eorum animalibus. Similiter tenentur ad reſtitutionem curatores, tutores, adminiſtratores bonorum non impedientes damna pupillis, vel Eccleſiis provenientia. *Ratio eſt*: quia ex aſſumpto officio oritur obligatio impediendi damna in iis, quæ illorum officium concernunt.

Reſ. 3. Nemorum, vinearum, vectigalium cuſtodes tenentur ad reſtitutionem damni, quod dominus patitur, ſi non impediant fures, venatores, piſcatores, fraudantes vectigalia &c. cum ad hoc ex juſtitia, ſeu pacto teneantur, etiamſi aliquando fraudantes vectigalia, vel venatores ipſi non peccent. Debet tamen damnum eſſe magni momenti, & dominus eſſe invitus rationabiliter; hinc ſi cuſtos permittat pauperem aliquid modicum accipere, non tenetur ad reſtitutionem ſaltem ſub gravi: ſicut ſi defraudans ſit talis conditionis, ut probabiliter judicet dominum non fore invitum, aut ſi ſciret, poſtea ratihabiturum; non tamen tenentur ſolvere mulctam conſtitutam in defraudantes, *ut in ſimili dictum eſt ſupra num.* 5. *Si dicas:* Tales ex juſtitia tenentur deferre damnificantes. ℞. tenentur, ut vectigalia ſolvant, damna impediant. *c.* ut procurent mulctas. *n.* Deinde mulcta tantum ex juſtitia vindicativa, non commutativa debetur.

Dices: Tales ſecundario conſtituuntur, ut per mulctas & occupationem mercium reparetur, quod aliorum injuria ac fraude deperditum eſt: ergo hoc damnum reſarcire tenentur per ſolutionem mulctarum.

℞. Si de hoc conſtaret, poſſet admitti, quod ad mulctas tenerentur.

(71) *Reſ.* 4. Sæpe poteſt hic excuſare juſta cauſa: ſic multa mala permittuntur in republica, ne graviora ſequantur. Similiter, qui non impedit id, ad quod ex juſtitia tenetur, ut obligetur ad reſtitutionem, debet

bet impedire poſſe ſine ſuo majori, aut etiam æquali damno in vita, honore, fama, aut bonis fortunæ; non enim cenſentur ſimiles hæc officia ſuſcepiſſe cum tanto ſuo gravamine, niſi intercedat ſpeciale pactum, ut eſt V. G. in milite, qui etiam cum evidenti periculo vitæ ſervare debet ſtationem ſuam: ſimiliter Parochus cum periculo vitæ adminiſtrare Sacramenta neceſſaria, ſuos contra hæreticos ab errore defendere; quia ad hoc ſunt conſtituti.

Reſ. 5. Non tenentur ad reſtitutionem parentes, ſi injuſte negent filiis alimenta; quia non ex juſtitia, ſed ex pietate ad hoc tenentur. Econtra tenetur ad reſtitutionem dominus, ſi alimenta neget famulo; quia ex contractu ſe obligavit.

Reſ. 6. Non tenetur ad reſtitutionem, qui extreme indigenti non ſuccurrit, licet ex tali denegatione moriatur; quia peccavit tantum contra charitatem, non contra juſtitiam. Idem eſt de illo, qui videt hominem ab inimicis invadi, & non ſuccurrit, cum facile poſſit mortem impedire: ſicut & de illo, qui, cum poſſit ſuo clamore furem deterrere a furto, & non facit: quæ vera ſunt, licet id fiat ex animo pravo, ex odio contra proximum. Imo ſiquis ex odio, attamen ſine vi aut fraude, impediat Titium volentem obſtare furi, & impedire damnum Caji, ad quod Titius tantum ex charitate tenebatur, non tenetur ad reſtitutionem; ſi enim non peccet contra juſtitiam Titius non obſtando, non peccat contra juſtitiam, qui impedit Titium, ne obſtet: ſi autem vi vel dolo impediat, tenetur; quia dominus habet jus, ne ſic impediatur ſui defenſio.

(72) *Reſ.* 7. Si famulus advertat alium domeſticum, vel famulum furari ex rebus domini, & taceat, ſatis probabiliter non tenetur reſtituere, niſi cuſtodia

iſtius rei ſit ipſi ſpecialiter commiſſa; quamvis enim per ſe loquendo peccet tacendo, non tamen ex officio vel juſtitia tenetur res domini tueri contra domeſticos; quia officium domini eſt curare, ut domeſticos habeat fideles. Sed contrarium eſt tutius; quia adeſt tacita cooperatio. Multo magis hoc verum eſt, ſi res ſint ejus curæ concreditæ, V. G. qui habet claves cellæ, jam ex officio tenetur hæc cuſtodire, ideoque, ſi diſſimulet, vel non impediat, tenetur ad reſtitutionem. Si vero extraneus furetur, licet res non ſint ipſi concreditæ, adhuc tenetur; quia ratione famulatus implicite ſe obligavit ad res domini tuendas contra extraneos: hæc enim eſt communis perſuaſio; hinc etiamſi videat alium V. G. famulum furari, & velle aufugere, adeoque occulte convaſare ablata, tenetur ad reſtitutionem, ſi taceat; quia jam eſt quaſi extraneus.

Reſ. 8. Si recipias munera, vel pecuniam a fure, ne impedias, clames, aut manifeſtes, ſi hoc munus ſit pars furti, certum eſt te teneri ad reſtitutionem illius: ſi vero donet de ſuo, poteris retinere poſt factum, non ante, *ut dicetur de contractu turpi* (a). Quoad damna autem a fure illata, licet ex officio non tenearis impedire, ſi tamen fur per hoc fiat animoſior, quia certus eſt, ſe non detegendum, obligaris ad illa damna compenſanda: imo licet nihil acceperis, ſi tamen promittas, quod velis tacere, adhuc obligaris; quia illa promiſſio furem animat, & audaciorem reddit, ſicque poſitive moraliter influis in actionem injuſtam; & hæc ſententia eſt abſolute tenenda.

Reſ. 9. Non tenetur ad reſtitutionem teſtis, qui etiam juridice interrogatus in judicio non manifeſtat veritatem, licet ex non manifeſtatione alter injuſte patiatur; quia teſtis non tenetur ex juſtitia commutativa

(a) *Vid. Part.* 3. *Tract. II. Diſſ.* 1. *Q.* 6.

tiva aperire veritatem, ſed tantum ex charitate erga innocentem, & ex obedientia erga Judicem, aut etiam ex religione, ſi juraverit dicere veritatem; ſicut utique non tenetur ad reſtitutionem Religioſus, vel filiusfamilias, qui juſſus a patre extinguere incendium in domo vicini, non extinguit. Atque hæc aſſertio vera omnino eſt, ſi teſtis alias ipſe grave damnum ſubiret. Aliud eſt: ſi poſitive dixiſſet falſum contra innocentem cum damno illius; quia tunc eſſet cauſa poſitiva hujus damni.

Reſ. 10. Peccant, & ad reſtitutionem tenentur multi ſimplices, qui, dum aliquid vendunt, emunt, commutant &c. advertunt alteram partem errare V. G. minus exigendo, quam ſibi debeatur, vel plus, quam debet, ſolvendo, & nihilominus tacentes recipiunt; tenentur enim monere, & accipiunt alienum invito rationabiliter domino.

(73) *D.* 2. Si plures ad auferendam rem, vel inferendum damnum concurrant, 1. Tenetur is, apud quem res eſt in ſe, vel in æquivalenti: quia talis ſimul tenetur ex re accepta, qui; titulus eſt major, utpote adhærens rei, quæ clamat ad ſuum dominum. Detentori æquiparatur, qui rem ſciens, aut dubitans eſſe alienam conſumpſit. Si res apud neminem exſtat, vel pure illatum ſi damnum, V. G. ædes combuſtæ, 1. tenetur cauſa principalis, & alii in defectu illius. Pro quo

Reſ. 1. Cauſa principalis, & primo loco obligata eſt mandans, quando exequens ob reverentiam, vel timorem mandantis movetur: V. G. Dux imperat militi, dominus ſervo, pater filio, vel qui alium minis, vi, fraude impulit; quia ab hoc incipit actio injurioſa; & hinc injuſte onus ſatisfactionis injecit alteri; adeoque primo loco illud in ſe ſuſcepit.

Reſ. 2. Tanquam cauſa principalis tenetur, qui quocunque modo alium induxit, ut ſuo nomine in ſui gratiam, vel commodum alteri damnum inferret; quia hoc ipſo, quod in ſui gratiam inferri voluerit, onus reſtitutionis in ſe ſuſcepit; & ideo, ſi alii minus principales reſtituant, debet illis compenſare. Hinc ſi conſilium fuerit utile ſoli conſulenti, hic prius tenetur: ſi fuerit utile tam conſulenti, quam exequenti, uterque tenetur æque primo.

Reſ. 3. Inter cauſas principales eſt exequens; hinc prius tenetur, qui eſt executus, quam qui comitatur, qui arma dedit, auxilium præſtitit, quam qui ſimplex conſilium dedit, laudavit. *Ratio eſt:* quia poſt eum, qui mandavit, coëgit, aut ſuo nomine fieri induxit, executor eſt cauſa principalis, reliqui quaſi acceſſoriæ; quod enim faciunt, propter exequentem faciunt, ut inſtruant, roborent, &c. hinc executore reſtituente reliquæ cauſæ acceſſoriæ ſunt exemptæ; quia tantum obligantur in defectum illius: nec aliquid tenentur executori; quia licet illum induxerint, aut juverint, libere tamen eſt executus. Hæc tamen intelligenda ſunt de executore, qui ſuo, vel mandantis nomine rem agit; ſi enim aliorum cooperantium nomine agat, non prius, nec plus, quam illi, tenentur, V. G. quinque ineunt commune conſilium incendendi domum, & unus pro omnibus, ac eorum nomine ignem injicit, alii 4. æque tenentur ad illud; quia non minus ſunt cauſæ principales, quam ille; unde hoc reſtituente alii tenentur ipſi ſuam partem reſtituere.

(74) *Reſ.* 4. Si cauſa principalis reſtituat, alii ad nihil tenentur: non domino, cui jam eſt ſatisfactum: nec cauſæ principali: quia hæc utpote inducens ceſſit juri ſuo: ſi tamen, cauſa principali reſtituente, res apud alium inveniatur in ſe vel in æquivalenti, huic reſtituenda eſt; quia juri domini ſuccedit.

Reſ.

Reſ. 5. Cauſa principali non potente, vel nolente reſtituere tenentur ſecundariæ, 1. poſitive influentes, & in defectu illarum negative; ſic enim damnificaverunt. Non tenentur autem ſecundariæ, ut conſulens, laudans &c. niſi in defectu principalis, & tunc omnes æque primo, cum inter illas non detur ſubordinatio: & quæ magis influxit, quod ex circumſtantiis colligendum eſt, plus tenetur reſtituere. Poſt has tenentur negative concurrentes, pariter absque ordine inter illas.

Reſ. 6. Singuli cooperantes, ſociis deficientibus, tenentur in ſolidum, ita ut V. G. mutus debeat reſtituere totum, ſi priores deficiant; quia ſinguli in totam damnificationem influxerunt.

Reſp. 7. Si cauſæ ſecundariæ pro principali reſtituerint, vel una in defectu alterius, principalis manet obligata ad refundendum illi totum, & aliæ in defectu principalis ad refundendas partes ſuas pro rata; ſupplevit enim defectum illarum; ergo ideo non debet pati detrimentum.

Reſ. 8. Si cauſæ principali obligatio remittatur, liberantur etiam ſecundariæ, non econtra; quia ruente principali ruit acceſſorium, non econtra; ergo debitum remiſſum principali cenſetur remiſſum ſecundariis, non econtra.

(75) *Reſ.* 9. Si plures æque primo teneantur, & uni condonetur, non ideo condonatur aliis, niſi de hoc conſtet; ergo reliqui manent obligati, non ad totum, ſed ad illud, quod detracta parte, cujus remiſſio facta eſt, reſtat: alter autem manet abſolute liber, etiamſi alii non reſtituant.

Reſ. 10. Si plures mutuo conſilio, exhortatione &c. velut una manu damnum inferant, V. G. vineam devaſtent, domum incendant, viatorem ſpolient, ſuffragium in electione ferant, ſinguli tenentur ad totum in defe-

defectu aliorum; quia, licet phyſice a ſingulis partialiter forte cauſetur effectus, moraliter tamen totus a quolibet procedit ob mutuum auxilium, conſilium, &c. Idem eſt: ſi absque mutuo conſilio damnum inferant, ita tamen ut ſpe mutui auxilii id fiat, prout communiter contingit; vix enim unus auderet niſi aliorum auxilio fretus.

Reſ. 11. Si plures ingrediantur V. G. vineam auferentes uvas, licet unus alterum videat furantem, modo illum non incitet, aut animet, ſinguli tenentur tantum ad partem ſuam.

Reſ. 12. Si tres ad furtum 30. aureorum ex mutuo conſenſu concurrant, ſinguli per ſe tenentur tantum reddere 10. aureos: ſed ſi duo vel non poſſint, vel non velint ſuam partem reſtituere, tertius debet dare 30. aureos, quod facile applicatur aliis exemplis. *Denique*

Reſ. 13. Si pœnitens neſciat, an alius, qui fuit cauſa principalis, aut æqualiter ſimul concurrens, reſtituerit totum vel partem ſuam, ideoque an ipſe teneatur reſtituere totum, vel ſufficiat ſuam partem reſtituere, prout ſæpe contingit in confeſſionali, poteſt præſumere, alium ſuæ conſcientiæ ſatisfeciſſe; malum enim non præſumitur, niſi forte perſona ſit in tali genere diffamata. Hinc ſufficit, ſi Confeſſarius ipſum obliget ad reſtituendam partem ipſi incumbentem: nam manente dubio, & adhibita, ut ſupponitur, ſufficienti diligentia dubium eſt pœnitenti de obligatione, adeoque tenetur pro rata dubii; hinc niſi conſtet, aut ſal. prudenter præſumat alios ſuæ parti non ſatisfeciſſe, & non poſſe, aut nolle ſatisfacere, non tenetur ad partem illorum. Tenetur autem omni diligentia in rei veritatem inquirere; nec poteſt ſtatim deobligari a toto.

DIS-

DISSERTATIO V.

DE

CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS, ET CAUSIS AB EA EXCUSANTIBUS.

QUÆSTIO I.

(76) *Cui facienda ſit Reſtitutio?*

D. 1. Si res ſit ablata ab ipſo domino, huic eſt reſtituenda, niſi aliquid obſtet. Patet ex natura reſtitutionis. *Dixi: niſi* &c. Hinc

Reſ. 1. Peccat contra charitatem, qui rem reſtituit domino eo tempore, quo prævidet eam ipſi, aut alteri nocivam in ſpiritualibus, V. G. repetit pecuniam apud me depoſitam in ordine ad peccandum. *Ratio eſt:* quia ex lege charitatis tenemur proximi ruinam ſpiritualem, quantum commode poſſumus, impedire; nec ille poteſt eſſe rationabiliter invitus, quod reſtitutionem pecuniæ depoſitæ V. G. differam; quod tamen intellige ſi ſit ſpes talem detentionem profuturam ad evitandum peccatum.

Reſ. 2. Peccat ſimul contra juſtitiam, qui reddit domino rem ſuam in illis circumſtantiis, in quibus prævidetur mox certo illa abuſurus contra juſtitiam, V. G. gladio reddito occiſurus ſe, vel alium innocentem, etiamſi inſtet, ut res ſibi reſtituatur. *Ratio eſt:* omnis cooperans poſitive proxime ad injuſtum alterius damnum peccat contra juſtitiam cum onere reſtitutionis: ſed hoc hic fit; dat enim illi inſtrumentum, quo ſibi vel proximo nocet; ergo. Attamen rurſus intellige; ſi res commode negari poſſit; ſi enim ex detentione immineat tibi grave malum, poteris

teris reddere, & damnum imminens non tibi, ſed alterius malitiæ imputatur. Hinc

Reſ. 3. Si V. G. latro minetur tibi mortem, niſi ei reddas gladium, potes reddere, quamvis tali mox alterum occidendum videas; nemo enim tenetur damnum alienum vitare cum gravi damno ſuo: ſi tamen ille, qui prævidetur occidendus, eſſet perſona publica, bono communi valde neceſſaria, tenereris non reddere, ſi per hoc illum ſalvare poſſes.

D. 2. Ordinarie res ablata ab eo, qui illam bona fide, & cum juſto titulo poſſidebat, non domino, ſed illi reddenda eſt; quia alias læditur jus poſſeſſoris: privatur enim juſta poſſeſſione, adminiſtratione, uſu &c. *Dixi:* 1. *ordinarie:* ſi enim nullum inde nocumentum eveniat poſſeſſori, parum refert, an huic, an domino fiat reſtitutio. *Dixi: bona fide &c.* Nam, ubi poſſeſſor eſt malæ fidei, aut juſtum non habet titulum, non huic, ſed domino eſt reſtituenda: niſi in caſu valde probabili, *de quo ſupra* (a), ſi pretium aliter recuperari non poſſit; debet tamen tunc moneri injuſtus poſſeſſor de facta reſtitutione, ne iterum reſtituat, aut maneat in mala voluntate non reſtituendi.

(77) *Reſ.* 1. Qui furatur V. G. a ſartore veſtem, linteamina a lotrice, tenetur reſtituere ſartori, non domino; quia alioquin exponeretur periculo perdendi pretium laboris; imo eſſet periculum, ne ob præſumptam incuriam deſereretur ipſius officina.

Reſ. 2. Res commodata, depoſita, oppignorata &c. reddenda eſt commodatario, depoſitario &c. quia in poſſeſſione ſuccedunt in jus domini.

Reſ. 3. Quando poſſeſſor rei, vel dominus eſt defunctus, reddenda eſt hæredibus; quia hæres etiam ab inteſtato ſuccedit in omnia jura realia defuncti, adeoque in jura debitorum realium ſive ex contractu, ſive

(a) *Num.* 33.

ive ex delicto aliorum: nec ſufficit (ut putant multi ndocti Confeſſarii, & pœnitentes ſimplices) dari pauperibus, vel legi Miſſas pro anima defuncti; quia jam non defunctus, ſed illius hæres dominium habet.

QUÆSTIO II.

Cui reſtituenda ſint bona, vel debita incerta?

N. Dupliciter poteſt dominus rei eſſe incertus: 1. ſimpliciter, dum ignoratur tam in communi, quam in particulari. 2. Dum ignotus eſt in particulari, ſed eſt notus in communi, quod fieri poteſt in injuſta ſpoliatione pagi, in defraudatione, quam faciunt mercatores, vel quando ex duobus, vel tribus dubitatur, quis ſit dominus.

(78) *D.* 1. Quando aliquid debetur ex delicto formali, ut accepta per uſuram, contractus injuſtos, defraudationes, ſpoliationes &c. & dominus eſt ſimpliciter ignotus, vel ita abſens, ut ei reſtitui non poſſit, debet dari pauperibus, vel expendi in cauſas pias. *Eſt communis, & definivit Alexander III. C. 5. de uſur. Ratio eſt:* quia ſic præſumitur de voluntate domini, quod velit rem ſuam ſibi vel ſuis prodeſſe ſalutem ſpiritualiter, quando non poteſt corporaliter. *Nec obeſt:* quod rei dominus mortuus forte ſit Judæus, hæreticus; hoc enim per accidens eſt, & forte hæredibus proderit.

Reſ. 1. Antequam reſtitutio rei incertæ fiat pauperibus, præmittenda eſt diligens, & conſideratis circumſtantiis judicio prudentis ſufficiens inquiſitio veri domini, vel juſti poſſeſſoris illius rei; ſi enim prætermiſſa hac diligentia inter pauperes diſtribuatur, fit injuria vero domino, qui injuſte privatur ſpe recuperandi rem ſuam.

Reſ.

Reſ. 2. Quando detinens re ipſa ſecundum ſuum ſtatum vere eſt pauper, poteſt retinere ſibi qua pauperi etiam propria authoritate, ſi paupertas ſit certa; attamen cavendum, ne mentiatur iniquitas ſibi, & ut abſit fraus, præſertim quando res eſt acquiſita ex delicto: V. G. furto, adeoque aperiatur via furibus ſub ſpe, quod domino non comparente poſtea a reſtitutione ſint immunes.

(79) *Reſ.* 3. Quando præmiſſa inquiſitione debita res eſt data pauperibus, vel applicata piis cauſis, & poſtea comparet dominus, ad nihil tenetur; non ex re accepta; quia illam amplius non habet: neque ex injuſta acceptione; licet enim mala fide, V. G. furto acceperit, poſtquam tamen dominum invenire non potuit, culpam purgavit rem expendendo juxta voluntatem domini prudenter præſumptam. Pari modo ad nihil tenentur pauperes, ſi rem ſic acceptam conſumpſerint.

Reſ. 4. Si tamen comparente domino res adhuc exſtet apud pauperes, reſtituenda eſt domino; quia prior diſtributio erat tantum conditionata: ſi non compareat dominus: ergo hoc comparente, antequam ſit conſumpta, huic eſt reſtituenda.

Reſ. 5. Si non præceſſerit ſufficiens diligentia, & res adhuc exiſtat apud pauperem, hic tenetur reſtituere: ſi pauper conſumpſerit, obligatur, qui illam dedit; quia transferre non potuit dominium, cum dominus eſſet rationabiliter invitus. Attamen ſi pauper ex conſumptione factus ſit ditior, ipſe tenetur, & in defectu illius, qui dedit.

Reſ. 6. Si Confeſſarius bona fide, ſed non præmiſſa ſufficienti inquiſitione dixerit V. G. furi, ut rem daret pauperibus, probabilius eſt, iterum teneri furem dare pretium domino comparenti; ſi enim fur ipſemet absque præmiſſa inquiſitione bona fide dediſſet,

uti-

utique teneretur reſtituere vi primæ acceptionis injuſtæ; ergo & jam; præſumi enim non poteſt, quod dominus voluerit dari pauperibus, niſi ſufficiens præcederet inquiſitio.

Ob. Fur ad conſilium Confeſſarii fecit, quod potuit, & debuit; ergo eſt liber. ℟. *d. a.* Fecit, quod potuit ad evitandum novum peccatum. *c.* ad reddendum dominum efficaciter indemnem, prout tenetur. *n.*

(80) *D.* 2. Debita incerta abſque delicto, vel ex contractu, poſtquam poſſeſſor cognoſcit eſſe aliena, probabilius expendenda ſunt ad cauſas pias, propter eandem rationem ſcilicet voluntatem domini prudenter præſumptam. Oppoſitum tamen præſertim de bonis inventis graves Theologi docent, quod poſſit retinere ſibi (a) donec compareat dominus.

(81) *D.* 3. Quando dominus eſt ignotus in particulari, ſed notus in communi, reſtitutio non debet fieri pauperibus, ſed facienda eſt diviſio modo, quo fieri poteſt, meliori, attentis circumſtantiis; quia dominus tunc non eſt ſimpliciter ignotus; ergo ſi reſtitutio ita fiat, eſt ſaltem aliqua ſpes, ut æqualiter reparetur damnum illatum.

Reſ. 1. Quando civitas V. G. eſt injuſte ſpoliata, reſtitutio fieri debet Magiſtratui, aut Epiſcopo loci, qui dividant inter ſingulos juxta proportionem jacturæ.

Reſ. 2. Si mercatores, caupones, piſtores &c. indifferenter fraudarint mercibus, menſura, pondere injuſto, debent ad eorum officinam venire ſolitis vendere viliori pretio merces meliores, aut meliori pondere vel menſura, ut ſic paulatim reſtituant, quod paulatim abſtulerunt, & quantum fieri poteſt, damnum

(a) *Vid. ſupra Diſſ.* 2. *Q.* 2.

num compenſetur; ſi autem fraudaverint omnino ignotos, reſtituendum eſt pauperibus, quod facile applicatur ſimilibus.

Reſ. 3. Quando ſcitur aliquid deberi uni ex duobus vel tribus, & facta ſufficienti inquiſitione dubium manet, res inter ipſos eſt dividenda juxta proportionem dubii, aut curandum, ut fiat transactio.

QUÆSTIO III.

Quando, quo loco, cujus expenſis, & cujus periculo facienda ſit Reſtitutio?

Voluntas ipſa reſtituendi concipi debet ſtatim mathematice: hoc eſt, ipſo inſtanti, quo reflectis te detinere injuſte alienum, debes velle non amplius retinere. De exteriori

(82) *D.* 1. Reſtitutio facienda eſt ſtatim moraliter, hoc eſt: prima opportunitate, dum cognoſcitur res eſſe aliena. Patet ex præcepto reſtitutionis, quod ſaltem virtualiter eſt negativum (a); hoc ſi culpabiliter non faciat, incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei. Quanta autem requiratur dilatio ad peccatum mortale, non poteſt generaliter decidi, ſed pendet a circumſtantiis, & maxime a detrimento domini. Hinc

Reſ. Ut cognoſcatur, utrum gravis intervenerit culpa, attendendum eſt, an dilatio ſit multum damnoſa creditori, isque ideo rationabiliter multum invitus; alioquin a mortali excuſabitur debitor ex contractu etiam longiori tempore ſolutionem differens; ſi autem creditori ex dilatione emergat grave damnum, ceſſet lucrum, in debitore ſit periculum incurrendi impotentiam, etiam aliquot dierum voluntaria dilatio poteſt eſſe mortaliter mala. Si adſit juſta cauſa differendi,

(a) *Vid. Num.* 13.

rendi, quia V. G. exſpectat commodiorem occaſionem, nullum eſt peccatum, ſi nullum naſcatur damnum.

(83) *D.* 2. Reſtitutio debitorum ex contractu V. G. mutuo, locato *&c.* facienda eſt tempore tacite vel expreſſe præfixo: ſi nullum tempus præfixum ſit, dum rationabiliter petit creditor; in contractu enim ſtandum eſt pacto; ergo ubi terminus eſt præfixus, ſervari debet, licet dominus non urgeat; quia dies interpellat pro homine. Ubi autem non eſt præfixus terminus, non poteſt convenientius tempus aſſignari, quam dum creditor rationabiliter petit, niſi forte impeditus exigere non poſſit, vel a potentiori exigere non audeat; tunc enim terminus ſolutionis eſt, qui prudenter judicatur eſſe de rationabili intentione creditoris.

Reſ. 1. Ubi debitum poteſt ſimul commode reſtitui, vel ſolvi, non debet fieri per partes, alioquin continuatur injuria quoad partem, quam differt.

Reſ. 2. Culpabiliter differens ſolutionem tenetur ad damnum emergens, & lucrum ceſſans, quod inde patitur creditor; quia hoc dominus patitur ex culpa debitoris, vel poſſeſſoris iniqui.

(84) *D.* 3. Poſſeſſor bonæ fidei non tenetur facere expenſas pro reſtitutione, ſed ſufficit præſentare rem eo loco, quo illam poſſidet; cum enim injuriam non fecerit, nec tenetur ſubire damnum; hinc ſufficit monere dominum, qua via velit eam ſibi reſtitui: & ſi pro cuſtodia interim faciendæ ſint expenſæ, refundi debent. In contractu tamen ordinarie facienda eſt in loco, in quo factus eſt contractus, idque expenſis illius, in cujus favorem, aut commodum contractus factus eſt. Poſſeſſor vero malæ fidei debet rem ſuis ſumptibus reſtituere eo loco, quo dominus eſſet eam habiturus, ſi non eſſet ablata, deſtructa &c.; quia hic debet dominum efficaciter ſervare indemnem;

poterit nihilominus ſubtrahere expenſas a domino rei in aſportatione faciendas. Difficultas hic eſt, ſi ad rem domino reſtituendam, vel remittendam requirantur expenſæ majores, quam res valet, V. G. horologium ablatum, vel equus remittendus eſt in Hungariam; & ſatis probabile eſt, quod adhuc poſſeſſor malæ fidei teneatur mittere; quia dominus habet jus ad rem ſuam, & fur ſibi imputet, quod ſe ad has anguſtias redegerit. Attamen probabilius videtur, ſi debitor in expenſis faciendis patiatur damnum longe majus, quam dominus ex carentia rei ſuæ, ſi pretium mitti nequeat, eum poſſe exſpectare commodiorem occaſionem: ablata autem hac ſpe poſſe reſtituere ejus proximis conſanguineis, hæredibus, & in horum defectu pauperibus; quia hoc videtur dictare charitas, & recta ratio, & nemo tenetur ad medium omnino improportionatum, quale eſſent expenſæ multo majores, quam debitum valeat. Interim

Obſ. Pro definienda magnitudine damni tam creditoris, quam debitoris damnum non eſt penſandum materialiter & abſolute, ſed formaliter & comparative ad ſubjectum; fieri enim poteſt, ut damnum 100. aureorum reſpectu debitoris pauperis ſit longe majus, quam mille aureorum reſpectu creditoris divitis, & econtra; eoquod unus per jacturam 100. ſit conjiciendus in ſtatum pejorem, quam alter per jacturam mille, quod valet in ſimilibus.

(85) *D.* 4. Si aliquid debeas ex re accepta tantum, & remittas, pereat autem apud, vel per latorem, diſtinguendum eſt: ſi enim creditor deſignaverit latorem, aut tibi dederit optionem eligendi, & elegeris hominem communiter habitum fidelem, item ſi proprium famulum miſerit, ſignificans ſe velle, ut ei dares, ad nihil teneris, etiam in mutuo; tunc enim cenſetur acceptaſſe per deſignatum, etiamſi forte loco deſig-

deſignati venerit alius fingens ſe eſſe deſignatum, ſi fraudem advertere non potueris. Si autem tradideris ex te, iterum diſtinguendum eſt: ſi enim res ſit domini, ut in commodato, locato &c. & adhibueris diligentiam debitam in inquirendo hominem fidelem, perit domino; ſi talem non adhibueris, videndum, ex qua culpa tenearis, *de quo ſupra.* (a) Si autem res, quam remiſiſti, non ſit eadem V. G. in mutuo, & in via pereat, perit tibi; quia creditor nondum acquiſierat ejus dominium.

(86) *D.* 5. Si debeas aliquid ex delicto, & remittas per latorem a domino deſignatum, ſi pereat, illi perit; ſi dominus non deſignaverit, & tu elegeris etiam fideliſſimum V. G. proprium Parochum, aut Confeſſarium, & quocunque modo pereat, antequam tradatur, teneris reſtituere pretium vi præteritæ acceptionis injuſtæ, non aliter, ac ſi res caſu apud te periiſſet; quia (*ut ſæpe dictum eſt*) teneris dominum efficaciter ſervare indemnem, & hoc ipſius damnum ſequitur ex prima tua injuria. Feciſti quidem iterum, quod debuiſti in ordine ad vitandum peccatum, ſed dominus non cenſetur contentus, niſi rem ſuam recipiat: præſumitur quidem dominus conſentire, ut ſic reſtituas, ſed ſalvo jure ſuo, ſi modus ille non ſuccederet.

QUÆSTIO IV.

(87) *Quo ordine facienda ſit Reſtitutio?*

Difficultas eſt, dum quis obligatus pluribus non poteſt ſingulis ſatisfacere integre; ſi enim hoc poſſit, parum refert, cui prius ſatisfiat.

D. 1. Quando res aliena exſtat in individuo, V. G. equus ablatus apud furem, ante omnia reddenda eſt domi-

(a) *Vid. Num.* 27.

domino; quia creditores non habent jus, ut ſibi ſolvatur ex bonis alienis, ſed ex bonis debitoris tantum. Hinc, ſi ignoretur dominus rei in individuo exſtantis, certo tamen alienæ, videtur prius applicanda cauſis piis, quam ſatisfiat creditoribus. (a)

D. 2. Debita certa præferenda ſunt debitis incertis; hoc enim æquitas poſtulat.

D. 3. Si res ſit empta. V. G. & nondum tranſierit in dominium debitoris, ante omnia reſtituenda eſt, prout jam ſupra: ſi autem tranſierit in dominium debitoris, licet nondum ſit ſoluta, modo venditor illam habuerit ut ſolutam, quia V. G. contentus erat fide emptoris, non videtur præferenda; quod enim alii dicunt venditorem habere tacitam hypothecam in re vendita, quousque pretium ſolvatur, gratis dicitur, nec ullo jure probatur.

(88) *D.* 4. Ex bonis debitoris 1. ſolvi debent, quæ debentur pro funeralibus, medicamentis, alimentis familiæ, pro inventario, confectione teſtamenti, mercede operariorum, & famulorum ad neceſſarios uſus conductorum; hæc enim debita ſunt potius in utilitatem, quam damnum aliorum creditorum; fieret enim debitor minus potens ad ſolvendum, ſi a nullo auxilium haberet. 2. Debita ex titulo oneroſo, vel ex delicto prius ſolvi debent, quam debita ex titulo gratuito, in his enim ſubintelligi debet conditio: ſi absque præjudicio tertii fieri poſſit. 3. Solvendum eſt habentibus hypothecam ante alios, qui non habent; quia creditoribus hypothecariis non ſolum perſona debitoris, ſed & ejus bona ſpecialiter obligata ſunt. 4. Inter creditores hypothecarios prius ſolvendum eſt iis, qui tempre ſunt priores, ſive hypotheca ſit expreſſa, ſive tacita, ſive generalis ſive ſpecialis; hic enim valet: (b) *qui prior eſt tempore, potior eſt jure,* niſi poſterior

(a) *Vid. diſſert.* 2. *Q.* 2. (b) *R. J.* 54. *in b.*

ſterior hypotheca habeat privilegium a jure; circa quod conſulendæ ſunt locorum conſuetudines, quæ obligant in conſcientia. 5. Creditoribus perſonalibus ejuſdem rationis ſolvendum eſt pro rata ſecundum proportionem debitorum, quousque ſe extendunt debitoris facultates, non attendendo, an debita tempore ſint priora, an prius petantur; nam per hoc, quod prius petas, plus juris non habes, & regula: *qui prior* &c. tantum valet pro hypothecatis: modo tamen prius petita non ſint tradita; nam jura vigilantibus ſcripta ſunt, nec ullo modo revocari conceditur id, quod accepit creditor; quoniam alii creditores exactionem negligentes ſibi imputare debent. *Ita L. pupillus ff. quæ in fraudem creditoris.* 6. Si res debitoris apud me exiſtat, mihi non oppignorata, non poſſum ex ea totum meum debitum ſubducere, ſed attendere debeo, an non ſint alii habentes jus præferentiæ, aut ſi habeant jus æquale, debeo cum eis concurrere pro rata. 7. Debitor ſciens ſe non eſſe ſolvendo, peccat contra juſtitiam, ſi acceptare nolit donationes, legata, ex quibus ſolvere poſſit. Magis peccat, ſi res ſuas alteri donet, vel alienet cum præjudicio creditorum; quia facit ſe impotentem ad hoc, ad quod ex juſtitia obligatur: donatio tamen eſt valida; quia eſt ſuorum dominus, ideoque, qui bona ſaltem fide acceptavit, licite retinet. 8. Qui omnibus ſolvendo ſe imparem novit, non poteſt, excepto ſaltem caſu nimiæ paupertatis, uni integre ſatisfacere in fraudem aliorum: alioquin illis faciet injuriam. *Plura de his Juriſtæ*, & ſi de ſimilibus conſulatur Theologus, non reſolvat ex tempore, ſed ad Juriſtas remittat, vel hos conſulat; quia plura pendent a jure poſitivo, & legibus particularibus locorum.

QUÆSTIO V.

(89) *An, & quomodo a reſtitutione excuſet impotentia?*

D. Impotentia tum phyſica, tum moralis, quamdiu durat, excuſat a reſtitutione. *Prima pars eſt certa:* quia ad impoſſibile nemo tenetur. Quod etiam excuſet impotentia moralis, dum ſcilicet fieri non poteſt reſtitutio, niſi debitor longe majus damnum patiatur ex reſtitutione, quam creditor ex ejus dilatione, inde patet; quia tunc dominus eſſet irrationabiliter invitus; vellet enim ipſe, ut ita ſecum ageretur. Unde dicere poteſt debitor illud Evangelii (a): *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi;* debet tamen illud damnum eſſe diſtinctum ab ipſa re reſtituenda. Hinc ſi non ſit aliud, quam quod privetur re vel lucro ex illa ſperato, non ſufficit ad dilationem reſtitutionis; alias quo plus fur abſtuliſſet, magis excuſaretur. *Dixi: longe majus;* ſi enim ſit æquale, non excuſat; quia æquitas naturalis exigit, ut tunc potius patiatur debitor, quam creditor.

Reſ. 1. Impotentia extremæ neceſſitatis vel tuæ, vel tuorum proxime conſanguineorum excuſat a reſtitutione, ſicut & neceſſitas vere gravis ob rationem datam.

Reſ. 2. Si debitor, & creditor eſſent in pari neceſſitate extrema, adhuc excuſaretur; nam & ordo charitatis requirit, ut debitor prius ſibi, ſuisque proxime conjunctis, quam extraneo creditori ſubveniat: & aliunde extrema neceſſitas facit, ut bona tunc ſint communia, adeoque primo occupantis. Hinc ſi fur, & dominus eſſent in neceſſitate extrema, poſſet fur rem ablatam conſumere, nec teneretur poſtea reſtituere, niſi eam prævie per commixtionem V. G. feciſſet ſuam; quia tunc de ſuis ſibi ſubveniſſet: attamen auferre non licet,

(a) *Matth.* 18. *v.* 26.

licet, cum faceret injuriam occupanti; *ut dicitur infra* (a).

Reſ. 3. Si debitor creditorem conjecerit in illam extremam neceſſitatem per ſuam malitiam: V. G. calumnia aut falſo teſtimonio alterum conjeciſti in periculum mortis, infamiæ, amiſſionis omnium bonorum, teneris reſtituere, retractando calumniam non obſtante tua æquali, vel etiam extrema neceſſitate; in æquali enim periculo potior debet eſſe ratio innocentis. Hinc in ſimili non potes dominum dejicere ab equo, quo ſalvat vitam ſuam, ut ſalves tuam: potes tamen auferre equum alienum, ſi aliter non poſſis ſalvare vitam.

(90) *Reſ.* 4. Quando debitor, & creditor ſimul ſunt in neceſſitate gravi, res reſtituenda eſt; cum enim hæc non faciat rem eſſe communem, melior eſt conditio creditoris.

Reſ. 5. Non tenetur debitor vendere domum, villam, agros, &c. multo minoris, quam valeant, ſi ſpes ſit aliunde poſtea ſatisfaciendi. Minus tenetur artifex vendere inſtrumenta, quibus victum quotidianum ſibi & ſuis comparat, ſicut nec plebejus proprias veſtes, pauca utenſilia, quibus actualiter utitur; cum non ſit juſtum & chriſtianum, ut quis ad avertendum creditoris incommodum redigatur in tantam extremitatem.

(91) *Reſ.* 6. Reſtitutionem licite differt, vel per partes ſucceſſive reſtituit, qui ideo deberet totaliter mutare ſtatum ſuum juſte acquiſitum: V. G. Nobilis deberet ſe privare omni famulitio, aut redigi ad ſtatum civilem: civis ad plebejum: ingenuus ad conditionem ſervilem. *Dixi: totaliter;* quia tenetur, quantum poteſt, intra decentiam de ſuo ſtatu detrahere: V. G. pauciores famulos alere, parcius vivere: vilius veſtiri,

(a) *Part.* 3. *Diſſ.* 1. Q. 4.

ri, &c. equos aliquos dimittere, &c. Hinc abſolvi non poſſunt, qui debitis obſtricti nihl de ſplendore ſtatus remittunt. *Dixi etiam: juſte acquiſitum*; ſi enim ſtatus ille ſit injuſte acquiſitus: V. G. ſi ex uſuris, rapinis, fraudibus, aliisque malis artibus ad honorabilem ſtatum quis ſe extulit, tenetur ſtatim reſtituere cum jactura hujus ſtatus; quia hoc non eſt de ſuo ſtatu cadere, ſed ab eo, qui non eſt ſuus, ad priorem ſibi debitum redire. Attamen adhuc ſi paſſim habeatur vir honeſtus, nec poſſit ſtatim reſtituere, niſi ſe infamet, excuſatur propter hanc infamiam, *de quo infra ſtatim.*

Reſ. 7. Reſtitutionem licite differt, qui non poteſt reſtituere niſi cum gravi detrimento bonorum ſuperioris ordinis. Pro quo

Obſ. Quatuor ſunt ordines bonorum: *in primo & ſupremo* ſunt bona interna animæ, ſive ſupernaturalia: ut gratia & virtus per ſe infuſa: ſive naturalia, ut uſus rationis, memoria, ſcientia, &c. *In ſecundo* ſunt bona corporis: ut vita, integritas membrorum &c. *In tertio* eſt fama, honor &c. *In quarto & infimo* ſunt bona externa fortunæ: ut pecunia, & res pecunia æſtimabiles, frumentum, ager, pecora &c. Quando ergo ex reſtitutione V. G. equi a te furto ablati tua vel tuorum ſalus, fama, vel honor graviter periclitatur, non teneris reſtituere, quamdiu durat tale periculum; cum equus ablatus ſit ex bonis inferioris ordinis.

Reſ. 8. Non tenetur ſtatim reſtituere, quando ideo ſequeretur magnum damnum animæ V. G. proximum periculum peccati mortalis ipſi, vel ejus familiæ: V. G. reſtituendo aliena ad tantam veniret miſeriam, ut vel ipſe, vel familia præ anguſtia animi, non ex mera malitia, exponatur periculo deſperationis, proſtitutionis filiarum, &c. Ubi retinendo ex induſtria ſua ſibi

&

& familiæ provideret, ac diſponeretur ad paulatim ſatisfaciendum.

(92) *Reſ.* 9. Mulier adultera, ſi ſit bonæ famæ, regulariter non tenetur crimen revelare nequidem in articulo mortis, ne in diviſione bonorum damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet ſpurius; excuſat enim gravis infamia, ac præterea fieri poteſt, ut maritus & filii legitimi malint perdere portionem ſibi debitam, quam cum tanto ſuo probro ſcire matris crimen cum periculo evulgationis. Nec filius ſpurius tenetur matri credere, niſi aliunde evidenter probaret; alleganti enim propriam turpitudinem non eſt habenda fides. *Dixi; regulariter;* quia ſi ſpurius eſſet primogenitus in Principatu ſucceſſurus, & peſſimæ vitæ, ex quo bonum commune, præſertim fides, periclitaretur, teneretur etiam cum periculo vitæ manifeſtare.

Reſ. 10. Notarius, qui ſcripturam falſificavit, teſtis, qui falſum teſtatus eſt, non tenetur aperire crimen ſuum, ne alter gravetur in bonis fortunæ, quamvis teneatur alia via damnum reparare; tenetur autem aperire, ſi alter patiatur in fama aut vita, etiam cum periculo famæ aut vitæ; quia in pari periculo melior eſt conditio innocentis.

Obſ. Siquis per ſe ipſum non poſſit reſtituere niſi cum periculo infamiæ V. G. debet hoc facere per Confeſſarium, vel alium virum fidelem; ſi non poſſit reſtitui res ſine tali periculo, poſſit autem ejus pretium, debet hoc fieri. *Dixi ſup. Reſ.* 7. ***cum gravi detrimento bonorum ſuperioris ordinis;*** ſi enim non ita graviter læderetur V. G. fama, reſtituendum foret; quia tunc dominus eſſet rationabiliter invitus; hinc V. G. qui propter furta priora male audit, nec poteſt reſtituere, niſi declaret novum furtum, per ſe non excu-

ſatur:

ſatur : hoc enim non cenſetur damnum notabile homini jam antea infami. Contra hæc

Ob. Nemo poteſt accipere rem alienam, ut evitet damnum proprium, ſaltem in rebus ejusdem ordinis; ergo neque poteſt rem alienam retinere ob hanc cauſam. *c. p.* ejusdem malitiæ eſt retinere aliena, & accipere ; ac retentio eſt quaſi continuata acceptio. ℟. *n. c.* diſp. eſt: quia præceptum reſtituendi, quamvis fundetur in negativo, habet tamen aliquid affirmativi, & qua tale petit debitas circumſtantias loci, temporis, opportunitatis, quæ non adſunt, quando fieri non poteſt ſine jactura V. G. ſtatus juſte acquiſiti. Deinde plus eſt rem alienam auferre, quam retinere; ſic non licet furari ad ſervandam famam, & tamen ſecundum omnes licitum eſt non reſtituere eo tempore, quo graviter inde periclitatur fama; & ſic de aliis.

(93) Difficultas hic eſt: an, qui ob dictas cauſas juſte differt reſtitutionem, obligetur ad recompenſationem damni, quod creditor patitur ex tali dilatione, ſcilicet ad lucrum ceſſans, & damnum emergens. ℟. 1. Si ſit poſſeſſor malæ fidei, ſeu debeat ex delicto, tenetur ad intereſſe; quia talis mora fuit culpabilis in cauſa prima, ſcilicet injuſta acceptione. ℟. 2. Si debeat ex contractu, non tenetur; quia mora nec in ſe, nec in ſua cauſa eſt culpabilis. ℟. 3. Si differat ſolutionem præciſe ad vitandum damnum proprium ejusdem ordinis, videtur obligandus ad recompenſandum intereſſe; quia æquum non eſt, ut debitor ſervet ſe indemnem cum damno creditoris, & cum ex dilatione ſentiat commodum, illud onus in ſe ſuſcipere debet; niſi tamen differat, ne incidat in extremam neceſſitatem; quia hæc dilatio non cenſetur voluntaria.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

(94) *Quænam ſint aliæ cauſæ excuſantes.*

Compenſatio eſt debiti, & crediti inter ſe contributio, eſtque tunc, quando duo ſibi mutuo debent: V. G. debeo tibi 100. aureos propter emptum pannum, & tu totidem mihi debes; quia injuſte cauſaſti damnum. *Ceſſio fori* eſt actio, qua quis debitis ſolvendis inſufficiens bona ſua relinquit creditoribus dividenda ſecundum proportionem. *Compoſitio cum Pontifice eſt*, quando Papa injuncta certa parte ſtatim ad cauſas pias applicanda reliquum debitori remittit.

(95) *D.* 1. Condonatio facta a creditore extinguit obligationem reſtitutionis, ſi ſit omnino libera, a jure non impedita, & a potente condonare. *Ratio eſt:* quia ideo fit reſtitutio, ne dominus patiatur damnum: ſed qui libere condonat, non patitur injuſte damnum; volenti enim & libere conſentienti non fit injuria. *Dixi* 1. *Si ſit omnino libera;* hoc eſt: plene deliberata, nullo metu, fraude, vel nimia debitoris tergiverſatione extorta; eſt enim ſpecies donationis, quæ omnimodam requirit libertatem. *Dixi* 2. *a jure non impedita;* quia aliqui in jure prohibentur condonare, & invalidatur eorum condonatio: ſic ſi Epiſcopus viſitans Eccleſias ſibi ſubjectas aliquid accipiat præter ſumptus tunc neceſſarios ad victum, tenetur ad duplum intra menſem, nec valet condonatio (a). Idem eſt de Judicibus delegatis. Sic ſi Canonicus abſens ab horis accipiat diſtributiones illis horis competentes, tenetur reſtituere, non obſtante qualibet remiſſione eorum, quibus talis portio accreſcit. *Trid. Seſſ.* 24. *de Reform. c.* 12. *Dixi* 3. *a potente condonare;* qui ſcilicet habet rerum iſtarum actuale dominium, & liberam adminiſtrationem; hinc non valet condonatio facta a pu-

(a) *Cap. Exigit. in* 6. *Tit. de cenſibus.*

pupillo, filiofamilias, Religioſo, prodigo habente curatorem, exactore vectigalium, & ſimilibus.

Reſ. 1. Nulla eſt remiſſio illius, qui debet V. G. 100., & non vult ſolvere, niſi dimidium remittatur; quod notare debent avari, qui mechanicis, & ſimilibus remiſſionem ſolutionum potenter, ſed injuſtiſſime extorquent. Idem eſt de Magnatibus, & ſimilibus; cum enim miſeri deſperent accipere totum debitum, conſentiunt quidem accipere partem, ſed mixto involuntario, adeoque gravi injuria, & damno a debitoribus in conſcientia compenſando.

Reſ. 2. Nulla eſt remiſſio, ſi quis ſimulet ſe impotentem, pauperiorem, majora damna paſſum, &c. quam revera ſit; non enim eſt plene voluntaria.

Reſ. 3. Remiſſio blanditiis vel precibus obtenta valida eſt, & libera; quia iſta non reddunt condonationem involuntariam, niſi forte preces ſint ita importunæ, ut creditor malit re ſibi debita carere, quam tantam tolerare importunitatem.

Reſ. 4. Excuſat ſubinde remiſſio præſumpta, dum prudenter credis creditorem non eſſe invitum, ſi rem ipſius retineas, aut facile condonaturum ejus reſtitutionem, ſi ab ipſo peteres: quia ſic non retinetur res invito dominio, & ideo ſæpe a reſtitutione excuſantur filii-familias, & alii domeſtici, qui quamvis peccent ſurripiendo a parentibus, vel dominis, non tamen peccant non reſtituendo, quando prudenter præſumunt eos non eſſe invitos quoad ſubſtantiam rei acceptæ, licet modus accipiendi diſpliceat, aut facile condonaturos, ſi rogarentur. In dubio tamen, an dominus eſſet remiſſurus, debet peti remiſſio; quia dominus eſt in poſſeſſione.

(96) *D.* 2. Extra caſus in jure exceptos, ſi debita ſint ejusdem rationis, & æqualia, extinguitur obligatio reſtituendi per compenſationem, dummodo 1. aliter

non

non fuerit conventum. 2. Si cætera ſint paria; non enim valet, ſi unum debitum ſit certum, aliud dubium, unum præſens, aliud futurum. 3. Si non fiat compenſatio in depoſito; ſi enim Petrus apud me depoſuerit veſtem valentem 100. aureos, & ipſe debeat mihi ex contractu 100., non licet mihi pro debito retinere veſtem; nam depoſitum eſt privilegiatum, idque ad fidem inter homines ſervandam: ſimiliter ſi debita ſint diverſæ rationis V. G. pecunia & equus, non valet compenſatio; alter enim injuſte cogeretur permutare rem ſuam: licebit tamen tunc per retorſionem rem non ſolvere, donec alter viciſſim ſolvat; ſic etiam in foro conſcientiæ, ſi debitum ſit certum, depoſitarius licite retinet rem depoſitam, usque dum deponens ſatisfecerit.

(97) *D.*3. Qui cedit bonis vel foro, non poteſt quidem moleſtari in foro externo, attamen ſi ad meliorem fortunam redeat, tenetur in conſcientia ſatisfacere creditoribus; hoc enim privilegium fundatur in impotentia; ergo hac ceſſante ceſſat excuſatio. Hinc tenetur in conſcientia laborare, conari, ut acquirat, unde ſolvat, quantum conditio perſonæ permittit; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media ſaltem ordinaria.

Reſ. 1. Concluſio eſt vera, etiamſi Judex illi ceſſioni addiderit ſolemnitatem ignominiæ; hæc enim adhibetur in pœnam præſumpti criminis, ut homines abſterreantur a contrahendis debitis ſua ſubſtantia majoribus: non tenentur tamen poſtea, niſi in quantum commode poteſt, hoc eſt, retenta ſuſtentatione congrua.

Reſ. 2. Qui cedit foro, poteſt in conſcientia reſervare neceſſaria ſuſtentationi pro ſe & ſuis, quibus conformiter ad ſtatum ſuum parce vivat, modo hæc ſint legitime acquiſita. Idem poſſunt uxores & liberi mortuo patre debitis gravato; quia his jure naturæ debetur honeſta ſuſtentatio ex bonis paternis.

Reſ.

Reſ. 3. Iniqua eſt praxis illorum, qui, antequam foro cedant, pretioſiora ſeponunt; faciunt enim apertam injuriam creditoribus. Porro beneficium hoc ceſſionis tantum habet locum in debitis ex contractu, & illis, quos honeſte viventes, aut negotiantes depreſſit adverſa fortuna; unde ſi quis ex induſtria diſſipaſſet bona, potius pœnæ ſeveritatem meretur. Nec in debitis ex delicto locum habet ceſſio fori.

(98) *D.* 4. Compoſitio cum Pontifice excuſat in debitis incertis ad pias cauſas applicandis, absque præjudicio perſonæ particularis ea ratione, qua Papa poteſt pia legata commutare: ſi autem debita ſint certa, excuſat, quando obligatio reſtituendi oritur ex jure poſitivo: V. G. reditus Eccleſiaſtici ſunt male percepti; poteſt enim Papa in hoc jure diſpenſare, adeoque obligationem tollere: alias, ſi debita ſint certa, & creditores noti, ordinarie locum non habet hæc compoſitio; Papa enim non poteſt res unius donare alteri.

QUÆSTIO VII.

An, & quomodo excuſet ingreſſus Religionis?

Debitis gravatus ante Religionis ingreſſum debet vel ſolvere debita, vel pro ſolvendis ſufficientia relinquere, & diſponere, ut debito tempore ſolvantur, ſi poſſit; ſi non poſſit, nec ſit probabilis ſpes, quod manens in ſæculo poſſit ſatisfacere, poteſt facta creditoribus bonorum ceſſione ingredi Religionem; tunc enim nullam infert illis injuriam per ingreſſum.

(99) *D.* 1. Debitis gravatus non poteſt licite Religionem ingredi, ſi manens in ſæculo poſſit etiam per longum tempus ſatisfacere creditoribus per labores congruos. Ita videtur probabilius contra plurimos, quorum aliqui volunt poſſe ſtatim ingredi, alii nonniſi poſt 3. aut 4. annos, ſi illud tempus ſufficiat pro debitis

bitis ſolvendis. *Ratio pro nobis eſt :* 1. Non debet omitti præceptum naturale, quale eſt ſolvendi debita, ut impleatur conſilium, quale eſt ingreſſus Religionis: non enim eſt gratum Deo votum, quod in alterius cadit injuriam. 2. Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ſed non ſolvere eſt malum; quia contra legem naturalem. 3. Filius obligatus parenti inopi non poteſt ingredi Religionem, ſi manens in ſæculo ſucurrere poſſit, ut certum; ergo nec debitor; quia utrumque eſt de lege naturæ: & licet quoad parentes ſit præceptum fortius, manet tamen præceptum naturale.

Ob. Præceptum reſtituendi non obligat, quando ex ſolutione longe majus damnum patitur debitor, quam creditor ex dilatione, *ut ſupra* (a); ſed hoc hic fit: quia debitor privatur medio ad ſalutem ſecuriori; ergo. ℟. 1. *M.* eſt vera de bono majori jam acquiſito, non acquirendo; non enim poſſum omittere reſtitutionem, ut majorem V. G. famam conſequar. ℟. 2. Hic non quæritur de dilatione, ſed de extinctione obligationis. *Deinde* cum ſæculari non deſint viæ ad ſalutem ſecuræ, modo faciat, quod in ſe eſt, non debet dici per hoc adeo grave detrimentum pati, ut poſſit præceptum naturale omittere.

Inſt. 1. Poteſt quis alicui peccato ita eſſe affectus, ut ſola Religio ſit remedium; ergo tunc ſaltem ingredi poterit. ℟. *t.* totum, ſed nihil contra nos; quia hoc dicimus per ſe loquendo & ordinarie. *Dixi t.;* quia mirum foret, non poſſe aliud medium præſcribi.

Inſt. 2. Poteſt ſponſus non obſtante obligatione juſtitiæ ſponſalium ingredi Religionem; ergo & hic. ℟. *n. c.* In ſponſalibus ex traditione Eccleſiæ imbibitur conditio: *niſi religionem profeſſus fuero ;* quæ conditio neutri infert injuriam, cum utraque pars gaudeat æquali jure;

(a) *Num.* 91.

jure; nil ſimile eſt in obligatione debiti ſaltem oneroſi, vel ex delicto: *quod additur;* quia in debitis gratuitis videtur pariter ſubintelligi conditio: *niſi Deus vocaverit me ad ſtatum perfectiorem cum ſolutione incompoſſibilem.*

Reſ. 1. Omnino obligatur debitor ad differendum ingreſſum, ſi intra breve tempus, duos ſcilicet vel 3. annos ſpem habeat ex magna parte ſolvendi debita; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media non nimis difficilia, quale eſt ad tale tempus differre ingreſſum.

Reſ. 2. Certum eſt poſſe ſtatim ingredi, ſi debita ſint incerta, in uſus pios eroganda; cum nihil ſit magis pium, quam ſe & ſua Deo in religione dicare.

Reſ. 3. Si debita ſint modica, poterit ſtatim ingredi; quia creditores non poſſunt eſſe rationabiliter inviti.

Reſ. 4. Debitis gravatus valide profitetur; quia licet Sixtus V. profeſſionem annullaverit, illam tamen poſtea validam declaravit Clemens VIII. relinquens prohibitiones & pœnas in Sixtina taxatas, & hoc quantum eſt de jure communi; quia apud nos profeſſio eſt invalida, propter conſtitutiones particulares, in quibus declaratur, ſuperiorem tam ad receptionem, quam ad poſſeſſionem eorum nullum præſtare conſenſum, adeoque ſimiles ſtatim, ac innotuerit, a Religione ejiciendos; ergo profeſſio eſt invalida ratione contractus, quem cum Religione facit profitens.

(100) *D.* 2. Debitis gravatus ita Religionem profeſſus tenetur ad opera ſtatui & conditioni præſenti convenientia, quibus lucrari poſſit, & ſolvere cum conſenſu ſuperioris; ideo enim Religio liberat, quia impedit modum ſolvendi; ergo ſi hunc non impediat, non magis liberat, quam ſtatus Eccleſiaſticus; tenetur ergo etiam ab amicis, ſi poſſit, petere.

Reſ.

Reſ. 1. Excuſatur Religioſus, ſi Superior neget licentiam laborandi; tenetur enim magis obedire Superiori.

Reſ. 2. Si ſine hac licentia ex labore occulto ſatisfaciat creditoribus, eſt fur, cum reſtituat ex alieno; valet enim communis, & certa regula: *Quidquid acquirit Monachus, acquirit monaſterio, Religioſus Conventui.*

Reſ. 3. Si monaſterium debitorem ſuſceperit, ſciens illum potuiſſe ſaltem intra breve tempus ſatisfacere, tenetur ejus debita ſolvere etiam ex rebus Monaſterii; quia cooperatur injuſtæ damnificationi creditorum. Si bona fide ſuſceperit, quia debita occultavit, adhuc tenetur ex illis, quæ monaſterio intuitu talis Religioſi ex donatione, legato, vel hæreditate obvenerunt, deductis tamen expenſis; quia tranſeunt cum hoc onere.

Reſ. 4. Si monaſterium mala fide ſuſceperit, tenetur Superior ex juſtitia dare licentiam laborandi: ſi bona fide, ex charitate tantum, ſi nihil ſit inconvenientiæ; quia nihil tunc debet creditoribus; habetque jus in ſubditum, ejusque operas fortius, quam creditores; cum habeat traditionem ipſius perſonæ.

De Injuriis, & Reſtitutione in communi.

Caſus I. Titius mercator ſæpiſſime gabellas defraudavit, inſpectores corrupit, moriturus deſuper anxius legat 100. aureos ſeminarii alumnis per Epiſcopum pro cujusque inopia, vel merito diſtribuendos: hic autem inter ſingulos æqualiter dividit, qui idem Epiſcopus in conferendis beneficiis ſæpe hos præfert, erga quos magis afficitur, aut affines ſuos. *Q.* 1. *An Titius peccaverit?* 2. *An ad reſtitutio-*

nem teneatur? 3. *An & qualiter peccet Epiſcopus?* 4. *Et an ad reſtitutionem teneatur?*

℞. *Ad* 1. Peccavit *per ſe loquendo* mortaliter quoties in notabili quantitate defraudavit; quia curam communitatis habens habet jus ſtrictum, ut ſibi præſtentur neceſſaria ad ſuſtentationem, & onera publica (a). Corrumpendo inſpectores graviter peccavit peccato ſcandali, & hi contra juſtitiam ac juramentum, ſi emiſerint. Hinc *ad* 2. Tenetur, & in defectu inſpector corruptus. Interim, qui non ſolvunt gabellas, poſt factum non ſunt multum adeo urgendi, ſi probabilius videatur, quod gabellæ adeo multiplicatæ non juſtæ (b). *Ad* 3. Epiſcopus peccat contra juſtitiam commutativam; quia cum legator æquam proportionem ſervari voluerit, idem eſt, ac ſi ſingulis certam pecuniæ ſummam aſſignaſſet, & ideo reſtituere debet, quod minus dedit. *Ad ultimum:* ſi ſint æque digni, per ſe non peccat: ſi notabiliter minus digni, per ſe peccavit graviter, ſaltem ſi ſint beneficia curata, aut alia majoris momenti; eſt enim acceptor perſonarum in re gravi, & eſt lex Tridentini (c).

Caſus II. Cajus non habens hæredem neceſſarium, Titium ſcripſit hæredem, quod audiens Sempronius animo nocendi Titio perſuadet Cajo, ut teſtamentum ad acta jam traditum mutet. Sempronius infirmus intendit certæ congregationi legare mille florenos, quod audiens ejus filius patrem ſpe vitæ longioris lactat, imo dum Notarium petit, fingit non poſſe haberi; hinc Sempronius ſine teſtamento moritur. Q. 1. *Quid ſit reſtitutio, & quomodo neceſſaria?* 2. *Ad quid teneatur, qui alium impedit a conſecutione boni.* 3. *quid ad caſum?*

℞. *Ad*

(a) *Vid. Num.* 3. (b) *Vid. Num.* 5. *in fine.*
(c) *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. *Vid. Num.* 8.

℞. *Ad* 1. Eſt actus juſtitiæ commutativæ, quo vel ſuum domino redditur, vel damnum illatum reparatur (a): oritur ex violatione ſolius juſtitiæ commutativæ, hæc enim ſola reſpicit jus ſtrictum, non diſtributivæ, niſi concomitetur commutativa: eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti, non medii nequidem in voto; quia non eſt medium collativum gratiæ primæ. Reducitur ad illud: *Non furtum facies.* *Ad* 2. Impediens aliquem a conſecutione boni, ad quod habet jus in re, vel ad rem, tenetur ad reſtitutionem; quia lædit jus alterius cum damno; ſi tale jus non habeat, tenetur pro rata ſpei, ſi vi, fraude, detractione vel alio modo injurioſo impediat; habet enim jus ſtrictum, ne ſic impediatur, modo bonum ſit licite conſequendum: ſecus ſi ſine illis, licet ex odio; non enim lædit juſtitiam. Hinc ſi Sempronius non fuerit uſus motivis falſis, detractione &c. ad nihil tenetur: quia per teſtamentum, quod ſemper mutari poteſt, Titius nullum jus acquiſivit. *Ad* 3. Si pater fuerit dives, peccavit graviter ſubdole impediendo piam ejus intentionem, & fraudulenter privando Congregationem ſpe legati. Quantum pro rata ſpei ſit reſtituendum, regula univerſalis dari nequit, ſed ſpectandæ ſunt circumſtantiæ, major, vel minor ſpes &c.

Caſus III. Petrus 1. non ſuccurrit Paulo extreme indigenti, qui inde moritur, quod dudum optaverat Petrus: 2. legitime interrogatus qua teſtis non fatetur veritatem, unde alter innocens patitur: imo 3. falſum contra hunc deponit: quod dum 4. confitetur Parocho, hic ipſum a reſtitutione deobligat: aut ſaltem 5. de hac non monet: 6. idem Parochus,

(a) *Vid. Num.* 10.

rochus, dum venationi prohibitæ vacat, hominem occidit. *Q. An hi ad reſtitutionem teneantur?*

℞. *Ad* 1. Non tenetur; quia peccat tantum contra charitatem (a). *Nec obeſt*: quod mortem optaverit; quia actus mere internus (ſi judicium temerarium excipias) non parit onus reſtitutionis, cum damnum non inferat. *Ad* 2. Non tenetur juxta graves Theologos compenſare damna, quæ ex hac taciturnitate ſequuntur: quia non violat juſtitiam commutativam (b). *Ad* 3. Tenetur; quia ex juſtitia tenetur non cooperari poſitive ad damnum alterius. Hinc *ad* 4. Parochus, niſi expoſt tempeſtive errorem corrigat, tenetur loco illius (c). *Ad* 5. Non tenetur; Confeſſarius enim non tenetur ex officio, adeoque juſtitia quærere bonum temporale aliorum, ſed tantum ſpirituale pœnitentis. *Ad* 6. Cum peccet tantum contra obedientiam, non tenetur, modo omnem adhibuerit diligentiam, ne aliquem læderet.

Caſus IV. Titius res a ſe furtim ablatas partim retinet, partim aliis vendit, aut donat: nuper dum nocte cum lumine ingreditur domum Caji ad furandum, aliquid e candela in linum incidit, & plurima mobilia incendio comburuntur. *Q.* 1. *Quænam ſint generales radices reſtitutionis?* 2. *Ad quid teneatur emens rem furtivam, aut donatam accipiens? Et* 3. *ad quid Titius ratione incendii?*

℞. *Ad* 1. Sunt duæ: *res accepta, & injuſta acceptio*; per hanc intelligitur quælibet injuſta damnificatio (d): ex prima tenetur quis reſtituere, quantum ex re aliena habet, vel factus eſt ditior, vel pepercit rebus ſuis (e): ex ſecunda totum damnum, quod alter ex actione ipſius eſt paſſus, ita ut hic efficaciter ſervetur

(a) *Vid. Num.* 71. (b) *Num.* 72. (c) *Num.* 75.
(d) *Vid. Num.* 14. (e) *Num.* 30. & 31.

vetur indemnis (a). *Ad* 2. Videndum, an bona fide inculpabiliter ignorans eſſe furtivam? An mala aut dubia? ſicque teneatur ex prima vel ſecunda radice? *Ad* 3. quæ ſecum aſportavit, reſtituere tenetur: ſi tamen adhibuerit omnem diligentiam in cuſtodiendo lumine, ad nihil tenetur ratione incendii; quia combuſtio fuit illi involuntaria (b).

Caſus V. Cajus 1. die feſto laborando ſuam, & vicini domum incendit: 2. dedit alapam Titio, qui per hoc valde commotus in morbum incidit, ideoque expenſas multas fecit: 3. occidit Titium, quod imputatum eſt Petro: 4. annulum Bertæ projicit in Rhenum putans tantum valere duos aureos, cum valeat 10. 5. nocte intrans domum vicini ad furandum, dum egreditur, non claudit oſtium, unde alii intrant, & furantur. *Q. An, & qualiter teneatur ad reſtitutionem?*

℟. *Ad* 1. Si communem adhibuerit diligentiam, vel eam ex oblivione naturali omiſerit, ad nihil tenetur ſaltem ante ſententiam Judicis; quia laborando non peccavit formaliter contra juſtitiam. *Ad* 2. Tenetur ſatisfacere pro injuria perſonali, non vero reparare damnum ſecutum; quia talis alapa non eſt cauſa ſufficiens, & per ſe generativa talis morbi, ſed potius ſequitur ex inordinata alterius paſſione (c). *Ad* 3. Debet reſtituere damna, quæ inde patiuntur hæredes occiſi, de quo alibi, & ſi Petrus illa compenſaverit, huic ſunt refundenda: non alia damna, niſi fuerit cauſa imputationis, quod tunc fit, quando ponitur actio, ex qua ut plurimum ſequitur imputatio; alias non eſt cauſa, niſi per accidens, & occaſio tantum imputationis ex ignorantia, vel malitia alio-

(a) *Num.* 34. (b) *Num.* 18. *in fine.*
(c) *Vid. Num.* 20.

rum ſecutæ. *Ad* 4. Si inculpabiliter ſine formidine putaverit tantum valere duos, hos tantum tenetur reſtituere; quia ultra voluntarie non læſit (a). Probabilius tamen eſt oppoſitum: debet enim compenſatio fieri ad æqualitatem. *Ad* 5. ſi invenerit oſtium apertum, non tenetur ad furta aliorum; non enim tenebatur ex juſtitia claudere: ſi ipſe aperuerit, tenetur; quia egit contra jus vicini, & occaſio aperti oſtii eſt de ſe allectiva furis.

Caſus VI. Cajus 1. arma non ſat caute tractando occidit inimicum, quem ad necem quæſivit: 2. qua Advocatus ſæpe cauſas perdidit, quia non ſatis penetravit, aut ſtuduit: 3. electus a Principe Judex civilis ſtipendio pingui aſſignato plus venationibus, deambulationibus, aut curis domeſticis, quam muneri ſuo attendit. Q. 1. *Quid, & quotuplex ſit culpa?* 2. *Qualis extra contractum pariat obligationem reſtitutionis?* 3. *Ad quid teneatur Cajus?*

℞. *Ad* 1. Culpa alia eſt *Theologica* ſeu peccatum, alia *Juridica*, eſtque omiſſio diligentiæ, ex qua damnum proximo ſequitur, & eſt lata, levis, leviſſima (b). *Ad* 2. Requiritur Theologica gravis, & juridica lata *per ſe loquendo*, ut quis teneatur ad reſtitutionem ante ſententiam judicis ſub peccato gravi (c); ſi peccatum ſit veniale ex parvitate materiæ, eſt obligatio reſtituendi venialis, niſi læſus libere condonet (d): ſi ſit veniale ex imperfectione actus, hæc imperfectio actus, dum damnum eſt grave, raro contingit, & in dubio præſumitur gravis (e). *Ad* 3. *In primo* ſi adhibuerit omnem diligentiam, ad nihil tenetur ob occiſionem. *Nec obeſt* mala voluntas interna; quia hæc non

(a) *Num.* 19. (b) *Vid. Num.* 17.
(c) *Num.* 18. (d) *Num.* 22. *D.* 4.
(e) *Num.* 21.

non influxit in occiſionem. *In ſecundo* ſi non habeat ſcientiam ordinariam, vel omittat ſtudium, quod alii boni Advocati communiter adhibere ſolent, tenetur compenſare damna; ſi hanc habuerit, & diligentiam ordinariam adhibuerit, *per ſe loquendo* ad nihil tenetur, niſi ſpecialia ſaltem implicite promiſerit, vel negotii arduitas hæc requirat (a). *In* 3. Tenetur 1. ad reſtitutionem ſtipendii pro rata omiſſionis, & negligentiæ: 2. ad compenſanda damna, quorum ob notabilem negligentiam, vel ignorantiam fuit cauſa ſive in ſubſtantia litis, ſive in expenſis ſuperfluis.

Caſus VII. Titius profecturus Bonnam accipit a Cajo equum locatum, pallium commodatum, inſuper mutuo 20. aureos, ſimulque ejus horologium Bonnæ reparandum aſſumit; hisque omnibus ſpoliatur in via. Q. 1. *Ex quali culpa in contractu oriatur obligatio reſtitutionis? 2. An, & quid teneatur reſtituere Titius?*

℟. *Ad* 1. Regulæ hic bene notandæ ſunt. Prima: *omnis res caſu pereuns ſuo domino perit,* niſi adſit ſpeciale pactum aſſecurationis. Secunda: *omnis res, quæ ex culpa perit, culpabili perit.* De jure naturæ requiritur culpa lata, & Theologica gravis: leges autem civiles ſtatuunt, ut ſi contractus ſit in utilitatem ſolius domini, requiratur culpa lata: ſi in utriusque contrahentis, ſufficiat levis: ſi in ſolius recipientis, leviſſima; hæ tamen leges quia non videntur in tanto rigore receptæ, probabiliter non obligant in conſcientia ante ſententiam Judicis, niſi adſit ſpecialis ſtipulatio vel pactum (b). *Ad* 2. Si perierint ſine omni culpa, nil tenetur, niſi aureos, quorum per mutuum erat dominus, reſtituere: equum tenetur ex

(a) *Num.* 24. (b) *Vid. Num.* 26. & 27.

culpa levi, pallium ex leviſſima, horologium ex culpa lata tantum. Patet ex priori.

Caſus VIII. Cajus aurifaber emit maſſam argenti conſtantis 30. florenis, ex qua confectum calicem vendit certo monaſterio pro 60. florenis, expoſt audit hoc argentum illi monaſterio fuiſſe furtim ablatum, hinc dubitat, & de aliis rebus a ſe emptis: item dono accepit pallium valoris 10., quod attrivit parcendo interim ſuis veſtibus tum magis, tum minus pretioſis. Q. 1. *Ad quid teneatur poſſeſſor bonæ fidei?* 2. *Ad quid dubiæ fidei?* 3. *Ad quid Cajus?*

℟. *Ad* 1. Mox ubi certo cognoſcit rem eſſe alienam, niſi eam præſcripſerit, tenetur eandem in individuo ſtatim moraliter ſponte ſine refuſione pretii, niſi exiguum eſſet, reſtituere; omnis enim res clamat ad ſuum dominum, ſi conſumpſerit, alienaverit, tenetur, in quantum ex re aliena factus eſt ditior (a). *Ad* 2. Si cum dubio acquiſiverit, male fecit, & ſi dominus diligenter inquiſitus compareat, tenetur reſtituere ex injuſta acceptione: ſi dubium maneat, pro rata dubii (b): ſi inquirere neglexerit, ac modo non poſſit, tenetur pro rata ſpei inveniendi dominum (c). *Ad* 3. Si adhuc aliquid de iſto argento habeat, debet reddere: ſi totum calici impenderit, ad nihil tenetur, cum non ſit factus ditior expendens ſuam pecuniam; quod enim ſupra accepit, eſt artis ac laboris, non argenti pretium: ergo ditior factus eſt occaſione tantum rei alienæ. Ita caſum reſolverunt viri docti; ſed videtur teneri reſtituere monaſterio, non quod pro labore accepit, ſed quod pro argento; hoc enim cum ex juſtitia ipſi monaſterio gratis deberetur ut-

(a) *Vid. Num.* 30. & 31. (b) *Num.* 38.
(c) *Num.* 39.

utpote ipſius, per errorem circa ſubſtantiam emptum eſt. Si utendo pallio pepercerit minus pretioſis V. G. 6. florenorum, nonniſi 6. debet reſtituere; quia in tantum factus eſt ditior: ſi pepercerit pretioſioribus V. G. 20. nonniſi 10. tenetur; quia plus de alieno non poſſedit, & per accidens eſt, quod pepercerit.

Caſus IX. Cajus 1. per quadriennium mala fide poſſedit agrum alienum, ex quo intra illud tempus meliorato uberes percepit fructus: 2. menſe Auguſto abſtulit menſuram tritici valentem 10. florenis; poſtea 15, modo tantum 8. 3. abſtulit equum valoris 50, quem ad alium locum ducens vendit pro 70, dein comparet dominus. Q. 1. *Ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei? 2. Quos fructus teneatur reſtituere poſſeſſor tum bonæ, tum malæ fidei, & præſertim Cajus? 3. Quid de tritico, & valore ejus? 4. Quid de equo?*

℞. *Ad* 1. Tenetur ad totum damnum, quod alter ex ipſius injuſta actione eſt paſſus, adeoque ad damnum emergens, & lucrum ceſſans (a). *Ad* 2. Poſſeſſor bonæ fidei, ſecluſa præſcriptione, tenetur reſtituere fructus naturales perceptos exſtantes, vel in quantum ex iis factus eſt ditior, demptis expenſis (b): omnis enim res fructificat ſuo domino. Malæ fidei tenetur perceptos, licet nequidem in æquivalenti exiſtant, inſuper non perceptos, ſi dominus eos percepiſſet (c). Cajus etiam uberiores; res enim domino ſuo melioratur, & fructificat. *Ad* 3. Attendi debet, quo tempore conſumpſerit, vel dominus conſumpſiſſet: ſi conſumpſerit, vel diſtraxerit primo tempore, non tenetur niſi 10, ſi & dominus tunc conſumpſiſſet, vel alienaſſet, quia nonniſi in his damnifica-

(a) *Vid. Num.* 84. & 35. (b) *Num.* 46.
(c) *Vid. Num.* 47.

ficavit : ſi dominus vendidiſſet, aut conſumpſiſſet, dum valebat 15, vel tunc debuerit emere pro 15, tenetur ad hos ; quia tunc tanti valebat : ſi dominus ſervaſſet usque modo, tenetur tantum ad 8 : ſi conſumpſerit, dum valebat 15, dominus vero conſervaſſet usque modo, adhuc tenetur ad 15 : quia in locum rei conſumptæ ſuccedebat pretium, quod tunc erat 15. *Ad* 4. lucrum illud, cum ſit induſtriale, non tenetur reſtituere (a).

Caſus X. Titius 1. mandat famulo ſuo, ut dormienti furetur ex ſacco horologium, qui hoc ſimul & pecuniam accipit : 2. eidem mandat occidere Cajum, ſed ille per inculpabilem errorem occidit Sempronium : vel 3. ipſe famulus vulneratur, dum mandatum exequitur, & ex vulnere moritur : 4. mandatum, ductus pœnitentia, vult revocare, ſed ob diſtantiam mandatarii non poteſt. *Q.* 1. *Quot ſint modi cooperandi ad damnificationem alterius ?* 2. *Ad quid teneatur Titius ?*

℞. *Ad* 1. ſunt 9, quorum 6 primi concurrunt *poſitive*, tres alii *negative ;* qui poſitive cooperatur, ſic ut ſit cauſa efficax damni, hoc eſt : ut alter ab ipſo moveatur, tenetur ad reſtitutionem, licet ſine ipſius cooperatione damnum illatum fuiſſet (b) : qui negative, non tenetur, niſi ex officio, vel contractu impedire teneatur. *Ad* 2. Titius in 1. tenetur ad reſtitutionem horologii, non pecuniæ, niſi ex circumſtantiis ſaltem confuſe præviderit, hanc ſimul eſſe auferendam (c). *In* 2. probabiliter ad nihil tenetur Titius ; quia non juſſit Sempronium occidere, nec frequenter contingit, ut alter loco alterius occidatur a mandatariis ; hinc mors non ſequitur ex mandato, ſed ex errore mandatarii, qui tenetur ; voluit enim occi-

(a) *Num.* 45. (b) *Vid. Num.* 53. (c) *Num.* 56.

occidere hominem ibi ſtantem V. G. quem falſo putavit Cajum: dominus non juſſit hominem ibi ſtantem, ſed Cajum occidi. At probabilius eſt, eum ab onere reſtitutionis non eximi: fuit enim vera cauſa damni illati. *In* 3. tenetur famulo, & ejus hæredibus ſatisfacere, quia vi mandati aliquo modo coëgit: ſi autem non fuiſſet ſubditus, & ſponte omnino mandatum ſuſcepiſſet, maxime mediante pretio, ad hæc non teneretur; quia ſcienti & volenti non fit injuria (a). *In* 4. Tenetur ſaltem monere damnificandum, ut ſibi caveat etiam cum æquali ſuo damno, ſi ſit ſpes hoc modo malum impediendi; quia in pari cauſa melior eſt conditio innocentis: non tenetur cum damno longe majori, vel altioris ordinis; quia jam cenſetur moraliter impoſſibile; attamen adhuc tenetur reparare damnum ex mandato ſecutum, quia adhuc ſequitur ex injuſta actione ſua præterita (b).

Caſus XI. Cajus Titio ad furandum parato 1. ſuadet, ut diviti potius, quam pauperi furetur: 2. volenti furari equum Petri dicit, quod facilius poſſit, dum ille cum familia ſua eſt in Eccleſia: 3. oſtendit alteri occaſionem ſecure furandi, vel circa media ad hoc inſtruit, de quo ex poſt oſtendit ſe ſincere dolere. Q. 1. *Quis teneatur qua conſulens?* 2. *Ad quid in his teneatur Cajus?*

℟. 1. Qua conſulens tenetur, qui conſulendo, monendo, promittendo, animando, oſtendendo modum, ſuggerendo media, vel motiva, alterum movet ad injuſte inferendum damnum, idque licet hoc conſilium ſecundum ſe non fuiſſet ſufficiens, modo ut aliis conjunctum moveat (c). ℟. 2. Si tantum propoſuerit, ut furetur potius a divite, nullum determinando, ad nihil obligatur ſi Cajus aliunde a propoſito

(a) *Num.* 57. (b) *Vid. Num.* 55. (c) *Num.* 58.

ſito furandi non potuit dimoveri. Quia proponendo hanc veritatem ſpeculativam nemini facit injuriam: ſi vero ſuaſerit, ut furetur ab hoc divite, tenetur ad reſtitutionem; quia dives habet jus, ne determinetur ad damnum ſibi inferendum (a). *In* 2. tenetur pro rata ſpei, quam habebat facilius deprehendendi furem, ſi alio tempore furatus fuiſſet: non ad totum; quia ad ſubſtantiam furti non movit (b). *In* 3. Cum conſilium ſit qualificatum, non ſufficit oſtendere dolorem, aut dicere ſe pœnitere, rogare, ut non faciat &c.; ſed debet ante executionem omnem vim motivorum propoſitorum elidere, ut ex iis moveri amplius non poſſit; alias modus ille, motivum, occaſio, utilitas ſuggeſta pergunt movere, adeoque manet cauſa efficax damni: hinc qui oſtendit occaſionem furandi, monere debet dominum, ut ſibi caveat (c).

Caſus XII. Titius 1. dedit conſilium malum, ſed quia damnificans videbatur jam determinatus, dubitat, an ſuo conſilio influxerit: 2. eſt aſſeſſor judicii, & novit collegas muneribus corruptos reſolviſſe injuſtam ferre ſententiam, ne autem hos offendat, addit votum ſuum: 3. alia vice, ne idem contingat, ſub ſpecie infirmitatis emanet. *Q. Ad quid teneatur?*

℞. *ad* 1. Tenetur ſaltem pro rata dubii; cum enim conſtet de ſufficientia cauſæ datæ, & ſimul de damno ſecuto, præſumptio eſt contra conſulentem, cui incumbit onus probandi conſilium non influxiſſe (d). *Nec juvat*, quod damnificans prævie paratus fuerit; quia ſufficit, quod ex novo motivo fecerit, & ſe denuo determinaverit; & ſic conſulens vere eſt cauſa damni. *Ad* 2. Si non requirantur omnium vota, & addat

(a) *Num.* 59. (b) *Num.* 60. (c) *Vid. Num.* 61.
(d) *Num.* 40.

addat ſuum, dum ſufficiens numerus eſt ſuffragatus, non tenetur non enim efficaciter influit, cum cauſa damni jam ſit poſita: ſi autem ante dederit, vel ſententia feratur per unanimen conſenſum, vel potuiſſet alios revocare, tenetur compenſare (a). *Ad* 3. Si ſua præſentia potuerit impedire, tenetur compenſare damnum; quia ex officio ire, & impedire tenebatur (b).

Caſus XIII. Titius caupo 1. recipit ſtudioſos, qui potu, luſu &c. pecunias male conſumunt: 2. accipit mandatum a Judice ad deponendum de re controverſa teſtimonium veritatis, & exhibendam ſcripturam, ſi forte habeat, ſed nec teſtimonium dat, nec ſcripturam exhibet; 3. nuper in via interrogatus, an advertiſſet prædones, falſo negat; unde alii quaſi ſecuri pergunt, & ſpoliantur. Denique Berta ejus famula videt hoſpites clam auferre res ex domo, & dum quandoque mittitur ad penum, famulus ſimul irrepit aliqua auferens, ad quæ illa tacet. *Quid de his judicabit Confeſſarius?*

℞. *Ad* 1. Si ſciat eos conſumere pecuniam paternam, & illis ſubminiſtret chartas, lumen &c. peccat contra juſtitiam cum obligatione reſtitutionis: quia cooperatur ad injuſtam damnificationem parentum rationabiliter etiam quoad ſubſtantiam ſæpe invitorum: ſi tamen ſumma non ſit notabilis, parentes ſæpe non curant reſtitutionem, dum pecunia fuit male expenſa, & ſic excuſari poſſet. *In* 2. peccat graviter contra charitatem ejus, cui ſuo teſtimonio ſuccurrere poterat, non tamen contra juſtitiam commutativam; renuens vero exhibere ſcripturam, quam habet ad cauſam ligitantis pertinentem, peccat contra juſtitiam; quia ſcriptura eſt quid externum, de quo Judex poteſt diſponere in ordine ad bonum commune: nam actus libe-

(a) *Num.* 64. (b) *Num.* 65.

liberos tantum præcipere poteſt. *In* 3. tenetur ad reſtitutionem damni; licet enim non teneretur ex juſtitia manifeſtare prædones, & citra injuriam tacere potuiſſet ſimulando, quaſi non intellexiſſet, non poterat tamen per mendacium viatores inducere ad iter proſequendum, & habet ſe quaſi conſulens. Denique famula tenetur reſtituere; quia res Heri debet cuſtodire contra extraneos, & etiam quoad famulum; dum enim clavem accipit, cura pro eo tempore ipſi ſpecialiter committitur (a).

Caſus XIV. Cajus mandat famulo, ut burſam Pauli ſurripiat: Petrus conſulit ei, ut mandatum exequatur, quod facit, & deponit eam apud Cajam furti conſciam; Joannes Pauli famulus furtum advertit, & non impedit. Q. *Quinam teneantur ex his reſtituere primo, & quo ordine?*

℟. Primo loco tenetur Caja, apud quam pecunia eſt depoſita, licet eam male conſumpſerit; quia tenetur ſimul ratione rei injuſte acceptæ, quæ eſt fortiſſima obligatio. Hac non reſtituente, tenetur mandans: quia mandans authoritative eſt prima cauſa, niſi quis per vim vel fraudem induxiſſet ad mandandum; hic enim prius teneretur, in defectu priorum tenetur executor; quia eſt prima cauſa reſpectu reliquorum cooperantium: in defectu hujus tenetur poſitive, denique negative cooperans (b). Si, qui primo loco tenebatur, reſtituat, aut ei condonetur, ſequentes ad nihil tenentur: ſi vero quis ex minus principalibus reſtituat, priores tenentur illum ſervare indemnem (c).

Caſus XV. Titius multa inique congeſſit, dubitat, quibus teneatur reſtituere; quia 1. aliquorum dominus eſt defunctus. 2. congeſſit pondere & menſura injuſtis, nec poteſt ſcire, quos defrauda-

(a) *Vid. Num.* 72. (b) *Num.* 73. (c) *Num.* 74.

daverit. 3. Caja ejus famula invenit 3. ducatos papyro involutos, cumque nullus deſuper mentionem faciat, neſcit, quis ex hoſpitibus perdiderit. 4. exenterando piſcem invenit in eo gemmam, quam ei eripit hera. Q. 1. *Cui debeat reſtitutio fieri?* 2. *quid utrique debeat reſpondere Confeſſarius?*

℞. 1. Si nihil obſtet, debet fieri domino, cui ablata eſt res, vel juſte poſſidenti, ſi huic ablata fuerit, V. G. veſtis ſartori (a). ℞. 2. Bona ſimpliciter incerta ſi habeantur ex delicto, expendenda ſunt in cauſas pias, dum adhibita diligentia morali inveniri non poteſt dominus; hæc enim præſumitur eſſe voluntas domini (b). Quod idem conſulendum in praxi, etiam dum habentur ſine delicto. ℞. 3. Domino defuncto, reſtitutio debet fieri hæredibus: quia hæres ſuccedit in jura realia defuncti. ℞. 4. Debet per aliquod tempus minuere pretium, vel augere pondus & menſuram, ſi ſic ſit ſpes, ut ſatisfiat læſis vel ſaltem eorum hæredibus aut conſanguineis; alias debet dare pauperibus, aut impendere in cauſas pias; non enim reportare debet lucrum ex delicto (c). *Ad* 3. ℞. Licet nemo hactenus inquiſiverit, non poteſt ideo retinere, ſed tenetur per annum circiter conſervare, & interea apud hoſpites præſertim interrogare in genere, an nihil perdiderint, expoſt poteſt reſervare ſibi, præſertim cum tales communiter ſint pauperes. *Ad* 4. Gemma pertinet ad famulam; quia ejus dominium non acquiſivit hera emendo, cum de illa non cogitaverit, ideo erat primo occupantis.

Caſus XVI. Titius 1. confitetur, ſe ante annos aliquot Viennæ abſtuliſſe horologium a Cajo nunc exiſtente Romæ. 2. ablatam hic pecuniam, ne infametur, dat Confeſſario reſtituendam, ſed

(a) *Vid. Num.* 76. (b) *Num.* 78. (c) *Num.* 81.

ſed antequam reſtitutio fiat, ab alio aufertur. 3. Idem Confeſſarius excipiens confeſſionem moribundi advertit eum ad reſtitutionem obligatum in aliquibus certo, in aliis ita dubie, ut ſe reſolvere non poſſit, nec adeſt tempus conſulendi alios. Q. *Quando, quo loco, cujus expenſis & periculo fieri debeat reſtitutio, & quid ad caſum?*

℞. 1. Reſtitutio facienda eſt ſtatim moraliter; quia præceptum reſtitutionis virtualiter eſt negativum prohibens detentionem rei alienæ (a). Poſſeſſor malæ fidei etiam ſuis expenſis, ſuoque periculo facere tenetur eo loco, quo rem dominus eſſet habiturus, ſi ablata, vel deſtructa non fuiſſet; hoc enim requiritur, ut dominus ſervetur indemnis (b); hinc ℞. 2. Peccavit graviter differendo reſtitutionem ad plures annos per ſe loquendo, teneturque horologium ſuis ſumptibus non omnino exceſſivis, & periculo mittere Romam, ſi alter ſecum aſportaſſet, & nunc ob cauſam aliquam rationabiliter vellet; alias ſufficit mittere pretium. *In* 2. pecuniam Confeſſario datam denuo debet reſtituere; alias dominus non manet efficaciter indemnis (c), ſuæque primæ actioni injuſtæ imputet, ſi denuo idem accideret. *In* 3. inducat moribundum, ut ſcripto vel verbo coram duobus teſtibus declaret ſe velle, ut hæres talem pecuniæ ſummam Confeſſario det in cauſam piam, de qua cum ipſo egit; & ſi poſtea invenerit non fuiſſe obligatum, poterit in cauſam piam impendi, vel caute per alium ſub alio prætextu dari hæredi, prout convenit cum defuncto, & expedire videbitur.

Caſus XVII. Cajus 1. pluribus eſt debitor, nec eſt ſolvendo omnibus. 2. Vendidit, ac tradidit dolium vini Titio, antequam autem ſolvatur, audit circa bona Titii concurſum inter creditores inſtitui:

(a) *Vid. Num.* 82. (b) *Num.* 84. (c) *Vid. Num.* 88.

ſtitui: hinc vinum repetit, ſed negatur. 3. bonis inter creditores diviſis furatur 30. imperiales a Petro, qui nunc in magna eſt neceſſitate, in qua pariter eſt Cajus. *Q.* 1. *Quis Ordo inter creditores ſervandus?* 2. *quæ neceſſitas excuſet a reſtitutione?* 2. *quid ad Caſum?*

℞. *Ad* 1. Si res exiſtat in individuo, reddenda eſt domino, qui ſolus in eam habet jus in re (a). Debita titulo oneroſo præcedunt debita titulo gratuito: certi creditores præcedunt incertos: omnibus præferuntur facta pro funere &c. Dein hypothecata: cæteris ſolvendum pro rata ſecundum proportionem debitorum; ſed ſpectanda eſt locorum conſuetudo (b). *Ad* 2. Excuſat impotentia phyſica vel moralis, neceſſitas extrema, imo & gravis, niſi ſimul in gravi ſit creditor: uti ſi non poſſis, niſi cum amiſſione ſtatus juſte acquiſiti, aut gravi detrimento boni altioris ordinis V. G. ex fragilitate, non malitia, tu vel filii cadent in deſperationem &c.; quia in his creditor eſt irrationabiliter invitus (c). *Ad* 3. peccat Cajus graviter, ſi non habenti jus præferentiæ ſolvat totum, ſaltem ſi non petat. Vinum, ſi jam ſit translatum dominium, eoquod ementis fide fuerit contentus, juſte negatur; quod enim alii de tacito pignore dicunt, ſolido caret fundamento. 30. imperiales, ſi ſint in pari neceſſitate, non extrema, tenetur reddere, ratione naturali id exigente.

Caſus XVIII. Titius pauper, ſed talentatus ſtudioſus multa debet: nam 1. abſtulit horologium a quodam Religioſo, cujus venditi pretium conſumpſit: attamen Religioſus per amicum rogatus condonavit. 2. furtis ſucceſſive abſtulit 50. florenos & totidem credito accepit: denique alicui puellæ promiſit matrimonium, quia tamen modo valde incitatur ad ſtatum Religioſum, vellet illum ingredi.

 Q. Quæ-

(a) *Num.* 37. (b) *Num.* 87. (c) *Num.* 88.

Q. Quænam ſint aliæ cauſæ excuſantes a reſtitutione? & quid ad cauſam?

℞. *Ad* 1. Excuſat remiſſio creditoris potentis donare omnino libera, etiam præſumpta tantum: ut ſi prudenter tibi perſuadeas, dominum non eſſe invitum, vel libenter condonaturum, ſi peteres: quandoque etiam compenſatio debiti; quia bene circumſtantionata eſt moralis debiti ſolutio: quandoque compoſitio cum Pontifice, non tamen ceſſio fori, niſi in quantum adeſt impotentia (a). *Ad* 2. Condonatio a Religioſo facta eſt nulla defectu dominii: promiſſio matrimonii per ſe non obeſt: continet enim implicitam conditionem: niſi Religionem ingreſſus, & profeſſus fuero; obſunt autem debita contracta, ſi manens in ſæculo ſolvere poſſit (b); quia præceptum naturale prævalet conſilio.

DISSERTATIO IV.

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS IN BONIS FORTUNÆ.

QUÆSTIO I.

(1) *Quid ſit Furtum, Rapina, & quale Peccatum?*

D. 1. Furtum eſt acceptio occulta rei alienæ invito rationabiliter domino. *Dr. Acceptio:* & comprehenditur continuata rei alienæ detentio. *Dr. Occulta:* id eſt, quæ fit ſine vi, & cum intentione, ut dominus neſciat, & differt a rapina, quæ fit ſciente,

(a) *Num.* 95. & *ſeq.* (b) *Num.* 99.

te, vidente, & quantum in ſe eſt, reluctante domino. *Dr.* *Rei alienæ:* hoc eſt, quæ ſubeſt alterius vel dominio, vel uſufructui, vel alteri modo juſtæ poſſeſſionis. *Dr.* *Invito*] *rationabiliter domino;* ſi enim hic conſentiat, vel attentis circumſtantiis credatur conſenſurus, ſi adeſſet, & res moram non patiatur, non eſt furtum. Pariter ſi ab amente, ebrio, furioſo gladium V. G. auferas, ne ſe vel alium lædat, furtum non committis. Sic non erant fures Iſraelitæ bona Ægyptiorum auferentes; quia id fecerunt ex mandato Dei, cui nemo rationabiliter reſiſtere poteſt.

Reſ. 1. Commodatarius, conductor, & ſimiles, ſi aliter, quam conventum eſt, ſine præſumpto ſaltem rationabiliter conſenſu domini, re commodata V. G. utantur, furtum committunt.

Reſ. 2. Non eſt reus furti, qui alienum accipit joci cauſa, ut fieri ſolet inter amicos; vel qui accipit in bonum ejus, a quo accipit, V. G. uxor aufert marito pecunias, ne in luſus, vel compotationes impendat; aufers librum prohibitum Petro, ne legat, &c.

(2) *D.* 2. Furtum apud Theologos dividitur in *furtum ſtricte*, *rapinam*, & *ſacrilegium:* dum res ſacra, vel non ſacra ex loco ſacro aufertur; *de quo ſupra* (a). Apud Juriſtas furtum aliud eſt *manifeſtum*, in quo fur deprehenditur cum re furtiva, antequam detulerit ad locum ſibi deſtinatum: aliud *non manifeſtum*, in quo ita non deprehenditur. Aliud eſt *diurnum*, quod fit in ea luce, in qua poteſt fur agnoſci; aliud econtra *nocturnum*. Statuit autem lex, ut fur nocturnus poſſit impune occidi, ita tamen, ut occidens illud cum clamore teſtificetur: ſed hoc ab alia lege recte limitatur, ſi ei ſine periculo parcere non poſſit. Aliud iterum eſt furtum *qualificatum*, quod in jure habet ſpeciale nomen; talia ſunt *Peculatus*, dum res vel

(a) *De Virt. Relig. Q.* 13. *n.* 37.

bona publica ad Fiſcum, vel Principem pertinentia auferuntur. *Abigeatus*, ſiquis ex grege, vel paſcuis fraudulenter abigat plura pecora, vel unum magnum; ad hoc reducitur furtum inſtrumentorum neceſſariorum ad culturam agri, quod ſeverius punitur; quia ſimilia neceſſe eſt ſæpe in agris vel paſcuis relinquere. *Plagium:* Si homo liber invitus doloſe intercipiatur, vendatur, &c.

(3) *D.* 3. Rapina eſt *violenta acceptio rei alienæ invito rationabiliter domino:* differt ſpecie a furto; quia ſuperaddit modum tendendi in rem alienam notabiliter diverſum, ſcilicet cum vilipendio, & injuria perſonæ præſentis, ac retinentis. Per vim etiam intelligitur metus gravis injuſte incuſſus; poteſt autem actus aliquis eſſe mortalis in ſpecie rapinæ, & venialis tantum in ſpecie furti: V. G. ſi a viro nobili præſente ac graviter retinente tollas rem modicam.

D. 4. Furtum eſt peccatum ex genere ſuo mortale; patet ex illo; *Neque fures, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt* (a): per accidens ſæpe eſt veniale tantum, præſertim ex parvitate materiæ.

QUÆSTIO II.

(4) *Quando materia furti ſit gravis.*

N. 1. Certum eſt dari poſſe materiam etiam leviſſimam ſufficientem ad mortale ratione damni extrinſeci; V. G. aufers a ſutore ſubulam, a ſartore acum, ita ut laborare non poſſit, priveturque ſuo quæſtu; aufers rem parvi momenti ab illo, qui eam tanti facit, ut ex ejus amiſſione in infirmitatem V. G. incidat. In priori peccas graviter contra juſtitiam cum onere compenſandi lucrum ceſſans, & damnum emergens;

(a) 1. *ad Cor.* 6. *v.* 10.

gens: in altero peccas graviter, ſed contra charitatem tantum, leviter autem contra juſtitiam.

N. 2. Qui rem parvam furantur, dum furtis ſunt aſſueti, ſæpe habent animum accipiendi plus, ſi poſſent, ideoque in affectu peccant mortaliter; de quo ſimiles prudenter interrogantur a Confeſſario, qui hic debet potius eſſe rigidus, ut homines ad furta proclives abſterreantur; ideoque etiam in minutis urgenda eſt reſtitutio, ſi commode fieri poſſit, & dominus præſumatur hoc velle.

(5) *D.* 1. Probabilius eſt gravitatem furti non eſſe menſurandam præciſe ex quantitate rei ablatæ, ſed ſimul ex circumſtantiis perſonæ, cui aufertur: an ſit dives, pauper, &c. *Prob.* & ſimul enervatur fundamentum contrarium. Furtum eſſentialiter eſt injuſta acceptio alieni domino rationabiliter invito; ergo ejus natura, adeoque & gravitas debet deſumi partim per ordinem ad rem, quæ aufertur, partim ad rationabilem voluntatem ejus, cui aufertur. *Subſ.* ſed certum eſt pauperem pati majus damnum, & eſſe magis rationabiliter invitum reſpectu ſolidi V. G. quam divitem; ergo

Confirm. In detractione gravitas materiæ ſumitur reſpective ad perſonam, cui detrahitur, ut habet communis, *de quo infra;* ergo ſimiliter in furto.

Ob. 1. Ut plurimum neſcimus, quinam vere ſint divites, vel pauperes; ergo nunquam poterit ſtatui regula, quantum circa mortale liceat furari huic, vel illi. ℞. 1. *t.* Totum: hinc habes cauſam nulli furandi, ut a periculo te liberes. ℞. 2. *n. c.* quia quisque poteſt haberi talis, qualis communiter habetur, niſi aliud conſtet.

Inſt. Avarus valde dives in furto rei minoris eſt magis invitus, quam alius; ergo & tunc magis pecco. ℞.

d. a. Eſt magis invitus rationabiliter. *n.* Irrationabiliter. *c.*

Ob. 2. Jus divitis ad ſuum V. G. ſolidum eſt æque magnum, quam jus pauperis ad ſuum; ergo lædo æque magnum jus; ergo æqualiter pecco contra juſtitiam, quamvis gravius contra charitatem reſpectu pauperis. ℞. *d. a.* Jus divitis eſt æque magnum materialiter. *c.* Formaliter *n.* Jus formaliter ſpectatur ſecundum utilitatem; & neceſſitatem habentis, quæ eſt major in paupere.

Inſt. 1. Solidus pauperis non plus valet, quam ſolidus divitis; ergo eſt æquale furtum: ℞. *d.* Non plus valet materialiter. *c.* Formaliter *n.* Plus enim valet pauperis, cui unus ſolidus eſt neceſſarius; adeoque licet furtum materialiter ſit æquale, non tamen formaliter.

Inſt. 2. Quod unus ſit pauper, alter dives, eſt conditio furto extrinſeca; ergo ſe habet per accidens. ℞. *d. a.* Eſt extrinſeca furto materialiter ſpectato. *c.* Formaliter in ratione injuriæ ac damni. *n. Pro ſequentibus.*

N. Materia furti eſt gravis vel *abſolute*, vel *reſpective. Abſolute gravis* eſt, quæ reſpectu omnium eſt gravis, licet non tanta ſemper requiratur: *reſpective gravis* eſt, quæ cenſeri debet gravis reſpectu aliquorum, non omnium.

(6) *D.* 2. Materia *abſolute gravis* probabilius ſtatuitur quantitas duorum circiter ducatorum; quia quilibet etiam Rex opulentiſſimus ſpectatis omnibus expenſis in jactura tantæ ſummæ cenſetur rationabiliter invitus graviter: & ſi tam notabilem ſummam citra mortale liceret furari, cederet in graviſſimum præjudicium reipublicæ, propter homines ad furta inclinatos. Materia *reſpective gravis* communiter ſtatuitur valor requiſitus ad congruam ſuſtentationem pro die integra re-

reſpectu perſonæ, cui aufertur; qui enim tollit homini neceſſaria ad ſuſtentationem pro die integra, cenſetur illi dare cauſam gravis contriſtationis, & diſſolvendæ amicitiæ: reddit enim illum pro die illa valde miſerum. Per ſuſtentationem hic intelliguntur neceſſaria ad honeſte vivendum pro ſua perſona tantum illo die quoad victum, veſtitum, habitationem, ſecundum communem vivendi modum talis perſonæ. Magis practice

Reſ. 1. Sic ſtatui probabiliter poteſt quantitas reſpective gravis, ut reſpectu potentiſſimi Regis ſint duo circiter ducati, reſpectu inferioris Principis unus ducatus, reſpectu viri illuſtris, aut mercatoris valde divitis unus imperialis, reſpectu mediocriter divitis medius imperialis, reſpectu communis civis tertia pars imperialis: reſpectu tenuioris civis, aut ruſtici duo ſolidi, hoc eſt, quarta pars imperialis: hominis utcunque pauperis ſesqui ſolidus: plane pauperis ſolidus, aut etiam minus, quo ſe illa die utcunque aleret. Debent autem hæc ſumi non mathematice, ſed moraliter; in moralibus autem, quæ parum diſtant, nihil diſtare cenſentur.

Ob. Videtur nimis laxum, allicitque homines ad furta multiplicanda dicere, quod poſſit quis ſine peccato mortali a Rege tres imperiales furari.

℞. Hoc graviſſimi Authores negant, idemque ſequeretur, ſi duos V. G. imperiales poſſit ſine peccato mortali auferre; nec tamen hoc cenſetur nimis laxum. Periculum illud non eſt proximum repetendi talia furta; quia repetendo fit mortale.

Reſ. 2. In furto rei ſacræ pretio temporali æſtimabilis V. G. Calicis gravitas determinanda eſt, ſicut in re profana: ſi ſit adæquate ſacra, V. G. Reliquiæ, conſideranda eſt dignitas & raritas; ideo minimam particulam S. Crucis furari dicitur mortale, de corpo-

re alicujus Sancti auferre aliquid non deformans reliquias, nec minuens æſtimationem, nec aliunde pretioſum eſt veniale extra diſtrictum Romanum.

QUÆSTIO III.

(7) *An, & quomodo peccetur furtis minutis?*

D. 1. Qui animo perveniendi ad quantitatem magnam, ſive uni, ſive pluribus furatur modica, in ſingulis furtis peccat mortaliter, quia per ſingulas vices exequitur intentionem mortaliter malam; hinc qui injuſto pondere, menſura, ulno intendunt ſe locupletare, in ſingulis etiam minimis peccant graviter; idem eſt de caupone, qui ſolet modicum aquæ miſcere vino, & de ſimilibus; non tamen tot ſunt numero diſtincta mortalia in ordine ad confeſſionem, quot ſunt furta minuta, ſed unum continuatum, niſi intercurat moralis interruptio; *de quo alibi* (a).

Obſ. 1. Majorem requiri quantitatem dimidio, aliquando duplo majorem prudentis judicio metiendam, ſi pluribus, quam ſi uni fureris; quia damnum diviſum in plures cenſetur minus, ideoque ſinguli non ſunt ita graviter inviti; hinc quo ſunt plures, plus requiritur.

Obſ. 2. Etiam major requiritur quantitas, ſi furta modica mere occaſionaliter fiant ab eodem cum notabili intervallo poſt 4. vel 5. menſes; quia homines minus ſentiunt, & minus ægre ferunt ſibi ita ſucceſſive tolli, quam ſi ſimul; imo poteſt tantum intercedere intervallum, ut moraliter non cenſeantur connexa: V.G. ſi omni anno modicum furando tandem poſt plures annos pervenias ad materiam notabilem, ſeclu-

(a) *Part. I. Tract. 2. de peccat.* Q. 3. *n.* 6.

ſecluſo animo per hoc diteſcendi, non peccares graviter per ſingula furta, bene vero per ultimum: tunc enim grave damnum intuliſti.

(8) *D.* 2. Qui mera occaſione ſine animo accipiendi rem notabilem ſucceſſive pervenit ad quantitatem gravem; non quocunque actu, ſed illo, per quem complet materiam gravem, peccat graviter, niſi ex inadvertentia inculpabili ad priora excuſetur. *Ratio eſt:* quia licet ultima illa acceptione materia de novo ablata ſit ſecundum ſe levis, relate tamen ad acceptiones antecedentes, & ipſis juncta eſt gravis, completque damnum notabile; ideoque non ſolum detentio, ſed & ipſa acceptio eſt mortalis. *Dixi: niſi ex inadvertentia &c.*; quia qui inculpabiliter nequidem confuſe advertit ad priora, vel materiam gravem, nec advertit ad gravem malitiam; ergo nec peccat graviter; attamen ſi expoſt advertat, ſe per ſucceſſiva furtula ad materiam gravem perveniſſe, tenetur ſub mortali reſtituere: non quidem totum, ſed tantum, ut non amplius maneat materia gravis; ſicut enim auferre rem levem non eſt mortale, ſic nec retinere; hinc poteſt eſſe obligatio gravis reſtituendi ratione injuſtæ detentionis, licet quælibet ablatio fuerit tantum venialis. Sed difficultas eſt, ſi nihil amplius ex illis exſtet, nec inde factus ſit ditior, cum ex culpa veniali non oriatur obligatio gravis reſtituendi; *ut dictum eſt* (a). Attamen communiſſima, & vera ſententia eſt, adhuc teneri ſub mortali; quia dum advertit, ſe per plura furta deliberata perveniſſe ad notabilem quantitatem, advertit ſe damnificaſſe graviter cum plena deliberatione; ergo ſub mortali tenetur ad reſtitutionem, non ratione culpæ venialis, ſed ratione damni plene voluntarie illati.

Reſ.

(a) *Tr. de injur. & reſtitut. in communi num.* 22.

Reſ. 1. Si res modicæ a diverſis auferantur, adhuc eſt peccatum grave, dum pervenitur ad materiam notabilem; licet enim tunc nulli in particulari fiat gravis injuria, aut cauſetur damnum grave, fit tamen communitati; quia vergeret in graviſſimum præjudicium communitatis, in qua deſineret omnis induſtria, & fures otio dediti furtis minoribus ſe quotidie alerent. Simile non eſt in læſione famæ, vel corporis in ſingulis levi, ubi etiam nihil accipit.

Reſ. 2. Qui poſt levia furta, quæ non poteſt reſtituere, ſuperaddit aliud leve, quo completur quantitas gravis, adhuc peccat graviter; quia libere conſentit in damnum grave illud complendo. *Deinde* ſequeretur pauperem, vel Religioſum ſucceſſive damna modica inferentem non peccare graviter; quia manet impotens ad reſtituendum.

Reſ. 3. Si ſimilis haberet efficacem voluntatem reſtituendi priora, ſaltem usque ad materiam levem, excuſabitur a mortali, quia non amplius adeſt voluntas cauſandi damnum grave; ſed efficaciter non poteſt velle, ſi ſciat ſe non poſſe.

Reſ. 4. Si poſt completam quantitatem gravem iterum fureris modicum, multi dicunt eſſe veniale tantum; quia non additur damnum notabile, ſed illud jam cauſatum eſt, leviterque augetur. Probabilius tamen eſt, admitti mortale, quoties cum advertentia ad priora etiam leve quid aufertur; quia implicite ſaltem adeſt voluntas prius damnum grave faciendi majus: neque poſteriora ſe habent quaſi ſeorſim a prioribus, ſed conflant damnum cum illis grave, in quod conſentit.

(9) *Reſ.* 5. Si plures communi conſilio modicum furentur, quæ omnia ſimul ſunt quantitas gravis, ſinguli peccant graviter, *de quo alibi* (a).

(a) *de reſtit. in Comm.* 75.

Reſ. 6. Si plures committant furta levia ſe mutuo non moventes, nequidem exemplo, attamen advertentes per omnia ſimul cauſari damnum grave, V. G. auferendo uvas ex vinea, multi dicunt ſingulos peccare graviter; quia conſentiunt in damnum grave, ad quod ſcienter concurrunt: attamen probabilius eſt tantum peccare venialiter; quia ſinguli non ſunt cauſa phyſica nec moralis damni ab aliis illati, ſed tantum a ſe illati, quod leve eſt; nec, ut ſuppono, tenentur ex juſtitia impedire. *Deinde* ſi oppoſitum eſſet verum, quisquis diviti parum furaretur, credere deberet ſe peccare graviter; quia moraliter certum eſt, alios eidem diviti ſimiliter furatos eſſe. *Item* qui ex vinea uvam furaretur, peccaret graviter, imo gravius, quam omnes priores, quos novit vineam devaſtaſſe; quia prioribus damnis aliquid ſuperadderet; ſed hæc nemo dicet; ergo. *Nec obſtat* 1. quod ſciam cauſari damnum grave, in quod partialiter influo; nam influo in illud ut diviſibile reſpectu ſingulorum, reſpectu quorum per accidens eſt, quod ſit grave; ſicut ſi centum dent pauperi nummum, ſinguli merentur quid leve, quamvis per accidens ex omnibus illis nummis ſimul pauperi fiat magna eleemoſyna. *Nec obſtat* 2. quod mortaliter peccet, qui aliorum vulneribus addit leve vulnus, ex quo læſus moritur; nam *diſp.* eſt: quia hoc ultimum vulnus eſt cauſa mortis, quæ eſt effectus indiviſibilis; econtra meum furtum leve tantum auget malum illatum, cujus cauſa non ſum quoad reliquas partes, eſtque diviſibile. *Dixi ſupra: nequidem exemplo;* quia ſi unus moveatur exemplo alterius, valde probabile, eſt peccari graviter contra juſtitiam; de quo alibi. (a)

(10) Q. 1. *Quid de furtis filiorum-familias &c.?*

℞. Præ-

(a) *de injur. & reſtitut. in communi. N.* 62.

℟. Præter ea, quæ deſuper dicta ſunt (a), requiritur hic major materia ad peccatum mortale; tum quia bona, quæ ſurripiunt, minus ſunt aliena; tum quia parentes minus ſunt inviti. Idem extenditur communiter ad Religioſos. Quænam autem quantitas ſufficiat, prudens Confeſſarius non tantum ex materia ablata, ſed & ex ſtatu, & facultatibus parentum, ex eorum genio, & affectu erga filium, ex filiorum pluralitate, &c. conjicit, ne facile ſcrupulum peccati mortalis, & laqueum injiciat filio, nec econtra multum laxet habenas ad furandum notabiliter de bonis paternis. Quod dicitur de filiis, cum majori proportione aliqua applicandum eſt uxori, cum minori domeſticis, conſanguineis, familiaribus; quæ tamen reſpectu domeſticorum magis habent locum in furtis eſculentorum, ſi ſint de his, quæ ſolent famuli, & ancillæ manducare, fiantque raro admodum, & in modica quantitate. In his enim vix erit mortale, dummodo ipſi conſumant, nec aliis vendant, aut donent, nec ſint extraordinaria: quia in his cenſetur dominus quoad ſubſtantiam, in prioribus quoad modum tantum invitus. *Dixi: eſculentorum*; quia in aliis rebus, ut pecunia, aliisque pretioſis æque, imo magis peccant famuli, quam extranei; quia merito Heri ſunt magis inviti.

Reſ. Famuli, quibus equi, aliaque jumenta commiſſa ſunt, graviter peccare poſſunt, ſi clam frumentum ſurripiant, ut, quo ſe paſſim excuſant, eadem vegeta, & pinguia conſervent; ubi tamen ad mortale valde magna quantitas requiritur. *Ratio*, cur a peccato ordinarie non excuſentur, *eſt*: quia, cum domini ſint adminiſtratores rerum ſuarum, ſupponendum eſt, quod jumentis debite provideant. *Dixi: ordinarie;* nam ſi famulus certo videat portionem eſſe inſuffi-

(a) *Tr. 2. de Jure & Juſtitia. Num. 36.*

ſufficientem, quod non ex cerebro, ſed arbitrio bonorum œconomorum, aut conſuetudine probata determinandum eſt, excuſabitur, ſi tantum ſurripiat, quantum eſt neceſſarium: vix autem hic tenebitur ad reſtitutionem, ſi a jumentis abſumptum ſit non nimis ſuperflue; quia dominus, in cujus fructum ceſſit, non cenſetur hanc velle. Aliud foret, ſi paſtor ovium proprias oves ſic impinguaret &c.

(11) *Q. 2. Quid de ſartoribus, textoribus retinentibus, vel ſurripientibus fragmenta materiæ datæ?*

℟. Si hæc ſint alicujus momenti, & curentur a dominis, concreſcente materia *per ſe loquendo* peccant graviter, ſicut alii fures. *Dixi 1: ſi ſint alicujus momenti;* quia ſi ſint parvi momenti, nec curentur a dominis, eoquod non repetant, dum facile poſſunt, retineri poſſunt etiam a famulis tanquam habita pro derelictis; ideoque & licite vendi. *Dixi 2: per ſe loquendo:* quia excuſari quandoque poſſunt hoc titulo, quod ſoleant ſuſcipere veſtes minori pretio conficiendas ſub tacita conditione, ut ea fragmenta retineant; quia ſartores etiam timorati teſtantur, ſolere ſibi a dominis ſolvi minus mercedis, quam mereantur; dummodo non ideo plus materiæ petant, nec mentiatur iniquitas ſibi. Aſt, Confeſſarius non credat ſimilibus, ſed potius plerumque ad reſtitutionem obliget.

QUÆSTIO IV.

(12) *An a furto excuſet neceſſitas, & quid de occulta compenſatione?*

D. 1. In extrema neceſſitate licitum eſt auferre rem alienam neceſſariam ad ſublevandam illam neceſſitatem; quia prævalet præceptum conſervandi vitam, nec bonorum diviſio jure gentium introducta huic

huic obeſſe poteſt. Neque tunc eſt furtum, cum non fiat domino rationabiliter invito, & neceſſitas extrema faciat rem communem, ſaltem quoad uſum pro illa neceſſitate.

Reſ. 1. In neceſſitate extrema poteris auferre rem alienam per vim, & dominum nolentem dare cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere; habes enim jus accipiendi neceſſaria, licet alter probabilius nonniſi contra charitatem peccet, ſi ſine vi, & dolo ſua abſcondat, & non ſuccurrat.

Reſ. 2. Si dominus ſit in ſimili neceſſitate extrema, vel tua ablatione in eam incideret, non poteris auferre; quia *in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis.*

Reſ. 3. Si petendo poſſis rem habere, teneris petere; attamen ſi ex erubeſcentia omittas petere, non peccas, niſi venialiter. Si tamen humili petitione poſſis habere a Petro, peccas mortaliter auferendo a Paulo.

Reſ. 4. Si non habeas hic, habeas autem alibi, aut in proxima ſpe, teneris rem accipere ſub onere reſtitutionis mutuo, vel commodato.

Reſ. 5. Si neceſſitate ceſſante res adhuc exiſtat: V. G. equus, quo indigebas ad effugiendum hoſtem, teneris reddere; non enim indigebas niſi ſolo uſu; econtra ſi ſit conſumpta V. G. frumentum, quo indigebas ad ſuſtentandam vitam, ad nihil teneris, licet ad pinguiorem fortunam veneris; non enim eſt radix reſtitutionis, niſi rem habueris mutuam, vel furto ablatam, & per mixtionem feciſſes tuam; tunc enim rem propriam conſumpſiſſes, & maneret prior obligatio redeunte potentia reſtituendi.

(13) *D.* 2. In neceſſitate tantum gravi non eſt licitum accipere aliena; oppoſitum enim eſt damnatum *ab Innoc. XI.* in Prop. 36., quæ ſic ſonat; *Permiſ-*

ſum

ſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi. Ratio eſt : quia diviſio rerum potuit, & debuit comprehendere frequentiſſimos caſus gravis neceſſitatis; ſequerentur enim innumeræ lites, & quilibet facile apprehenderet ſe eſſe in neceſſitate gravi; niſi tamen neceſſitas gravis ſit quaſi extrema; tunc enim huic moraliter æquivalet.

(14) *D.* 3. Occulta compenſatio eſt licita, ſi adſint debitæ conditiones; quia jure naturali poteſt quis ſe indemnem ſervare citra alterius injuriam; ſed qui utitur occulta compenſatione, hoc facit; cum accipiat, quod æquivalenter eſt ſuum; ergo. *Deinde* debet ſupereſſe medium obtinendi, quod ſibi ſtricto jure debetur; ſed non ſupereſſet medium; ergo.

Conditiones ſunt ſequentes : 1. ut debitum ſit *moraliter certum ;* hinc non ſufficit, quod probabiliter putes tibi deberi ; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, eſtque injuſtum, ut pro debito incerto certam tibi ſolutionem tua authoritate tribuas. 2. Ut ſit debitum *ex Juſtitia*, non ex ſola charitate, gratitudine, &c. quia ſic non eſt jus ſtrictum. 3. Ut debitum ſit *actu præſens;* ſi tamen prævideas debitum brevi V. G. poſt menſem futurum nunquam eſſe ſolvendum, niſi jam te compenſes, poſſet anticipari compenſatio; quia eſt moraliter præſens, & habes jus te reddendi indemnem. 4. Ut *compenſatio fiat ad æqualitatem*, ita ut non plus accipiatur, quam debeatur; quod maxime advertendum eſt, dum compenſatio deficientibus rebus ejusdem rationis fit in rebus alterius ſpeciei, V. G. accipis veſtes pro pecunia tibi debita. 5. Ut *res, quam accipis, ſit tui debitoris*, non illi V. G. commodata; & hæ conditiones ſervandæ ſunt ex ſtricta juſtitia. 6. Ut debitum *non poſſit alia via* in- vel extra judicium *commode recuperari*, aut non absque magnis expenſis, cum jactura ami-

amicitiæ multum utilis; hanc non obſervans non tenetur in conſcientia reſtituere, cum acceperit rem ſibi debitam; peccat tamen contra juris ordinem, ſed per ſe nonniſi venialiter. 7. Ut *accipiens faciat*, quantum in ſe eſt, *ſine gravi incommodo*, ut debitor, vel ejus hæredes iterato non ſolvant, imo ut non maneant in affectu non ſolvendi. 8. Ut fiat *in eadem ſpecie*, & cum minimo domini damno. 9. Ut fiat *ſine damno tertii*, V. G. ne famulus putetur eſſe furatus; quia tamen hoc per accidens ſequitur, hinc, ſi absque notabili damno non poſſit omitti compenſatio, nullum erit peccatum, alias contra charitatem tantum. *Denique* ut fiat *ſine præjudicio tertii:* V. G. ſunt alii creditores, quibus de jure debetur ſolutio anterior, *de quo ſupra* (a). Cum autem hæ conditiones omnes raro adſint, vix unquam a Confeſſariis eſt conſulenda, raro permittenda. An autem adſint, judicare non debet ipſe compenſans; quia propria cupiditas facile excedet: ſed alius vir prudens, & peritus, cui ſincere omnia ſunt exponenda.

Obſ. Damnata eſt *ab Innoc. XI.* hæc Propoſitio (b): *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam judicant majorem ſalario, quod accipiunt. Ratio damnationis eſt;* quia hoc debitum vix unquam eſt certum; ſponte enim conſenſerunt in hanc mercedem, herus forte non indiguit eorum opera, vel alios habere potuit pro iſta mercede: ſpe promotionis, inſtructionis, aut ſimili modo compenſavit. Aliud eſt, ſi certo conſtaret de injuſtitia ſalarii, V. G. metu, vel fraude coacti ſunt ad laborandum pro iniquo ſtipendio, coguntur ad laborem non conductum, modo per hoc non ſint liberi ab aliis operibus æque difficilibus,

(a) *De injur. & reſtitut. in communi. Num.* 88.
(b) 37.

ous, vel ſi lapſo tempore ſalarium ex contractu debi-
um negetur &c. in ſimili enim caſu ſalva damnatione
propoſitionis licita erit compenſatio, ſi adſint debitæ
conditiones, quæ tamen rariſſime omnes adſunt.

Obj. Nemo poteſt eſſe Judex in propria cauſa, nec condemnari inauditus, ſed compenſans eſt judex in propria cauſa; alter condemnatur inauditus, ergo. ℟. *ad* 1. *n. min.* compenſans enim tantum exequitur jus ſuum, ſicut ſi rem meam apud alium exiſtentem clam auferam, dum alio modo non poſſum. Judex eſt, qui dirimit controverſiam, quod non facit compenſans, ſed hic tantum utitur jure ſuo certo, & ulteriorem injuriam propulſat. *Ad* 2. ℟. Non eſt injuſtum, dum conſtat eſſe reum, & in judicium non niſi difficillime trahi poteſt.

DISSERTATIO VII.

DE INJURIIS FAMÆ, ET HONORIS, AC RESTITUTIONE DEBITA.

QUÆSTIO I.

(15) *Quid, quale peccatum ſit judicium temerarium, ſuſpicio &c.*

Suppono 1. *Fama* hic eſt bona de aliquo exiſtimatio quoad aliquod ejus bonum V. G. virtutis, ſcientiæ, donorum gratiæ, aut naturæ, quæ apud homines magni fiunt. Econtra *infamatio* eſt actio illa, qua aufertur habita bona exiſtimatio, & mala inducitur. *Infamia* eſt mala de aliquo exiſtimatio quoad aliquod ejus malum, V. G. crimen.

men. *Honor* eſt externa teſtificatio de alterius excellentia; unde fama præcipue conſiſtit in mente, honor in ſignis externis; quod ſi fiat verbis, dicitur *Laus;* utriusque effectus eſt *Gloria*, quæ definitur, clara cum laude notitia.

Suppono 2. Famam lædi poſſe dupliciter: 1. *mere interne:* ut fit in judicio temerario, quo læditur in nobismetipſis; 2. *per actum externum:* ut fit in detractione, qua læditur in aliis.

(16) *D.* 1. Judicium temerarium eſt *aſſenſus firmus de defectu alterius ex levibus indiciis procedens. Dr.* 1. *aſſenſus;* & diſtinguitur a dubitatione, qua fluctuando inter bonam, & malam de proximo exiſtimationem aſſenſum ſuſpendimus, cum judicio ſaltem virtuali de incertitudine: tum a ſuſpicione, qua licet nondum abſolute aſſentiamur, tamen in malam partem magis inclinamur. *Dr.* 2. *firmus;* & differt ab opinione, qua aſſentimur, ſed non firmiter, ideoque cum magna formidine de oppoſito. *Dr.* 3. *ex levibus indiciis;* hoc eſt: quæ regulariter non habent connexionem cum tali crimine; ſi enim adſint ſufficientia motiva, non eſt judicium, aut ſuſpicio temeraria: poſſunt autem aliqua eſſe ſufficientia reſpectu unius perſonæ, & non reſpectu alterius: minus etiam requiritur ad prudentem dubitationem, vel ſuſpicionem, quam ad prudens judicium. *Dr. de defectu alterius*, intellige: vel naturali, vel morali, ratione cujus proximus poteſt vilipendi.

(17) *D.* 2. Judicium temerarium eſt peccatum ex genere ſuo mortale contra juſtitiam. *Eſt communis. Ratio eſt:* quia quilibet habet jus, ut ſine fundamento non perdat bonam æſtimationem apud alium; hinc Scriptura ait (a): *Nolite judicare, & non judicabimini.* Ut autem in praxi ſit mortale, quatuor requiruntur.

(a) *Luc.* 6. *v.* 37.

runtur. 1. Ut ſit verum judicium, & non ſola rei repræſentatio; quod bene notandum eſt pro ſcrupuloſis, qui putant ſe habere judicium, dum mera eſt repræſentatio. 2. Ut ſit plene deliberatum; hinc, ſi V. G. videndo mulierem fabulantem cum milite ſubito apprehendas aliquid mali, vel erit nuda repræſentatio, vel actus judicii imperfectus, & ad ſummum veniale: aliud eſt; ſi facta reflexione illud approbes. 3. Ut ſit de re gravi; gravitas autem petitur ex circumſtantiis perſonæ, an prudenter credatur hic, & nunc graviter illius famam lædere: ſive in ſe ſit mortale, ſive veniale, *ut magis infra patebit* (a). 4. Ut ſit ex levibus conjecturis.

Reſ. 1. Judicium temerarium in ſe eſt peccatum unum ſpecie infima; quia ejus malitia ſumitur ex eo, quod quis apud ſe lædat exiſtimationem de proximo, ubi mere materialiter ſe habet diverſitas materiæ, ſicut in ſimili eſt de furto.

Reſ. 2. Non eſt judicium temerarium, adeoque nec peccatum, ſiquis habeat, aut bona fide putet ſe habere fundamentum ſufficiens ad ſuum actum: caute tamen hic procedendum eſt; tum quia ſæpe decipimur exiſtimantes nos habere indicia ſufficientia, cum tamen non habeamus: tum quia operantis intentio nobis incerta eſt; ex quo fit, ut opus ex ſe mortale ob ignorantiam, præcipitantiam, vel aliam cauſam excuſetur a peccati gravitate.

Reſ. 3. Nec peccat ſemper mortaliter, qui ad motivorum inſufficientiam plene non advertit, vel negligentiam tantum levem committit in repellendo judicio. *De ſcrupuloſo circa hoc alibi* (b).

(18) *D.*3. Suſpicio temeraria, vel magis dubitatio ordinarie non ſunt peccata mortalia, maxime ſi procedant

(a) *Num.* 21.
(b) *Vid. part.* 1. *De Conſcien. ſcrupul. Num.* 33.

ex errore intellectus, quo indicia ut ſufficientia apprehenduntur. Ita communis cum *D. Thoma.* *Ratio eſt:* quia per ſuſpicionem non tollitur ſimpliciter fama proximi; manet enim in mente ſuſpicantis aliquo modo bona exiſtimatio; ergo non fit gravis injuria: fit tamen aliqua; quia temere dubitatur. *Dixi: ſi procedunt ex errore;* quia ſi ex malo affectu, gravi odio, erunt peccatum mortale: ſicut & ſi annexum habeant effectum graviter damnoſum, V. G. Superior ex ſuſpicione ſubditum punit, ab officio amovet, ſuffragium negat, &c. Item ſi tuam ſuſpicionem aliis manifeſtes cum gravi alterius infamia, vel damno: aut ſi crimen ſit tam enorme, & rationes tam leves, ut læſus merito graviter doleat, quod talia etiam tantum de ipſo ſuſpicemur.

Reſ. 1. Si ſint probabiliora indicia pro eo, quod aliquis ſit malus, licitum eſt poſitive dubitare, an malus, an bonus ſit; quia nemo poteſt eſſe rationabiliter invitus, ſi hoc, quod vere dubium eſt, judicem eſſe dubium: non potero tamen poſitive judicare eſſe malum; quia in dubio nemo eſt condemnandus, & quilibet ſupponitur bonus, donec probetur malus: non tamen ideo teneor poſitive judicare eſſe bonum; quia non teneor me exponere periculo errandi; poſſum ergo, & teneor judicium meum ſuſpendere, vel deponere.

Reſ. 2. Quando agitur de damno mihi, vel alteri præcavendo, poſſum dubia quaſi in partem pejorem interpretari, non quidem poſitive judicando eſſe malum, ſed agendo, quaſi eſſet malus, qui eſt actus prudentiæ: nec fit injuria proximo; quia non ſuſpico eſſe malum, ſed tantum ſuppono poſſe eſſe malum quod verum eſt, nec ulli injurioſum, V. G. licite occludo pecunias, quia fieri poteſt, quod ſocius, famulus, vel hoſpes ſint fures, licet tales non judicem. Sic ſuperiores erga ſubditos, parentes erga filios, &c. poſſunt

poſſunt agere ex quadam ſuppoſitione ipſos monendo, cautelas, & remedia adhibendo, veriſimilitudinem mali patrati objiciendo, quædam interdicendo, &c. modo tamen præcaveatur rationabilis contriſtatio, & periculum ingerendi aliis ſuſpicionem malam.

Reſ. 3. Ex læſione famæ per judicium temerarium non oritur obligatio reſtituendi externe; quia nullum inde damnum exterius infertur proximo: teneris tamen ex juſtitia deponere judicium, ſuſpicionem, & debitam de proximo exiſtimationem concipere non obſtantibus levibus motivis; ſic enim, & non aliter fama redintegratur.

QUÆSTIO II.

(19) *Quid ſit detractio, & quale peccatum?*

D. 1. Detractio eſt *injuſta, & occulta famæ alienæ violatio. dr. injuſta;* ob caſus ponendos, in quibus juſte detegitur alterius crimen occultum. *dr. occulta;* & diſtinguitur potiſſimum a contumelia, quæ fit in præſentia diffamati, vel ſaltem cum intentione, ut ad ejus notitiam perveniat; adeoque contumelia habet ſe, ſicut rapina, eſtque cæteris paribus gravior detractione, a qua ſpecie diſtinguitur; quia honor eſt bonum a fama notabiliter diverſum. *dr. violatio;* quia non detrahit, qui de peccato proximi loquitur ſine læſione famæ, V. G. narras crimen coram eo, cui ſcis aliunde eſſe notum.

D. 2. Detractio alia eſt *Formalis*, quæ fit cum directa intentione famam alterius lædendi. Alia *Materialis*, quæ ſine hac intentione fit ex loquacitate V. G. attamen, ſi fiat cum præviſo periculo alteris infamiæ, ob voluntarium indirectum eſt peccatum.

(20) *D.* 3. Detractio fit octo modis his verſibus expreſſis:

Imponens: augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſe.

Per *Imponens* intelligitur: qui alteri falſum crimen, vel defectum affingit; qui modus eſt omnium peſſimus, vocaturque *calumnia*, ſeu *impoſitio falſi criminis*. *Augens dr.* qui alterius verum, vel falſum crimen, ſive defectum exaggerat. *Manifeſtans:* qui crimen, vel defectum verum, ſed occultum detegit. *In mala vertens:* qui ſiniſtre interpretatur alterius actionem. Per *Negat:* qui alterius virtutes, merita &c. negat. Per *Minuit:* qui ſimilia extenuat. Per *Reticet:* qui in iis circumſtantiis non laudat, in quibus ſilentium pro tacita vituperatione, vel recenſiti defectus confirmatione, vel approbatione ſumitur. Per *Laudat remiſſe:* qui ita frigide aliquem laudat, ut cedat in illius vituperium.

(21) *D.* 4. Detractio eſt peccatum ex genere ſuo mortale contra juſtitiam, per ſe gravius furto; per hoc enim aufertur pecunia, vel æquivalens, per detractionem tollitur fama: ſed *melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*, ait Sapiens (a). Pro praxi ſit regula generalis: quotieſcunque manifeſtatur defectus alteri graviter probroſus, ſive ſit naturalis, ſive non, ſive mortalis, ſive venialis, eſt peccatum mortale: alias tantum veniale. Ex hoc

Reſ. 1. Peccat mortaliter, qui de viro honorato, probo, vel de Religioſo dicit amare puellas; quia lædit graviter ejus famam: idem eſt, ſi hoc dicas de adoleſcente morigerato: peccata enim carnis valde maculant vitam. Si idem dicas de milite, & ſimilibus, leviter, vel nihil peccas; quia vel nullatenus, vel leviter famam lædit; nam hi de ſimilibus non erubeſcere,

(a) *Prov.* 22. *v.* 1.

re, ſed gloriari ſolent; ſic etiam eſt detractio gravis, ſi de gravi Sacerdote, aut Religioſo dicas, ſolere mentiri; quamvis hoc ſecundum ſe ſit veniale; quia mentiendi conſuetudo valde dedecet Religioſum, & omnem virum honeſtum.

Reſ. 2. Dicere de viro magnæ authoritatis, qui famam habet, vel habere debet boni judicii, & prudentiæ, quod ſit ſcrupuloſus, eſt communiter grave; quia ſignificatur defectus judicii naturalis, & prudentiæ, quod tali merito graviter diſplicet: dicere hæc de juvene, indocto, leve eſt.

Reſ. 3. Grave eſt dicere de muliere Galla, Hiſpana, Itala, item de Germana primæ, vel mediæ ſortis, quod ſit ebrioſa; quia habetur pro magno probro.

(22) *Reſ.* 4. Eſt autem veniale, certos defectus quaſi in genere dicere: V. G. aliquem eſſe iracundum, avarum, ſuperbum, &c. quia talia ſunt facile cognoſcibilia, & audientes plerumque interpretari ſolent de naturali inclinatione ad hæc vitia, aut ſunt defectus leves. Si tamen dicerentur tali modo in talibus circumſtantiis, de tali perſona, ut inde eſſet graviter contemnenda, eſſet mortale; quale etiam eſt, ſi dicas: eſt luxurioſus, injuſtus &c.

Reſ. 5. Per ſe loquendo non eſt mortale revelare defectus naturales animi, aut corporis. V. G. Quod quis ſit ſtupidus, ſpurius, &c. quia ſunt involuntarii: per accidens tamen ratione damni poteſt eſſe mortale: V. G. ſi de extraneo, qui habetur vere nobilis, dicas, eſſe plebejum: ſi de aliquo honeſtæ reputationis dicas, eſſe ſpurium &c. quia probra parentum redundant in filios.

Reſ. 6. Fieri poteſt, ut infamare in eodem genere ſit mortale. V. G. Conſtat de viro honeſto, quod ſit fornicatus; tu dicis, quod ſecunda vice factum ſit,

 peccas

peccas graviter; quia poterat cenſeri prima vice factum ex quadam fragilitate, ex occaſione extraordinaria &c. ſed quando dicis repetiiſſe, facile judicabitur abſolute impurus. *Idem eſt de multis aliis.*

(23) *Reſ.* 7. Si tot defectus leves ejuſdem hominis reveles apud eundem, ut tandem notabiliter minuatur æſtimatio, peccas graviter, nec opus eſt fieri intra breve tempus; nam defectus collecti in memoria audientis habet eundem effectum: ſi fiat apud diverſos, qui non communicabunt inter ſe, non erit peccatum grave.

Reſ. 8. Si leves illæ detractiones factæ ſint ab aliis, & tu addas aliquid leve, quod ſimul cum præcedentibus notabiliter minuit famam, peccas graviter; ſicut ſi poſt levia vulnera infligas vulnus occiſivum; ſicut enim mors conſiſtit in indiviſibili, ideoque moraliter tribuitur ultimæ læſioni, ad quam tota ſequitur, ſic, gravis infamia conſiſtit in judio indiviſibili de gravi alterius malitia, quod totum indiviſibiliter ſequitur ad ultimam detractionem, licet priores ad illud diſponant.

(24) *Reſ.* 9. Peccas graviter, ſi in genere tantum dicas: ſcio aliquid de Petro, quod ſi dicerem, magno illum rubore afficerem; vel loquendo de ipſo dicas: ſcio multa, ſed charitas jubet tacere &c.

Obſ. Omnia peccata externa contra famam, quatenus præciſe illi adverſantur, probabilius ſunt ejuſdem ſpeciei infimæ, adeoque non eſt neceſſe explicare in Confeſſione, in qua materia detractio facta ſit; quia bonum famæ in omnibus videtur eſſe ejuſdem rationis. Ratione tamen circumſtantiarum, V. G. odii ſcandali, &c. poteſt detractio diverſas ſpecie malitias contrahere.

D. 5. Qui refert alterius grave crimen non aſſertive, ſed tanquam dictum ab aliis licet vilibus perſonis,

nis, raro excuſatur a mortali; quia experientia conſtat, homines in malum proclives ſimilibus facile credere ſufficienter ad gravem proximi læſionem, cumque fama eundo creſcat, ſi primus narret ut relatum ab aliis, ſecundus, vel tertius narrabit ut certo factum; hinc licet primus forte non læderet graviter famam proximi, illam tamen exponit evidenti periculo notabilis læſionis.

(25) *D.* 6. Poteſt eſſe mortale revelare grave crimen alterius etiam apud unicum quamvis prudentem, & non divulgaturum. *Ita magis probabiliter contra plures;* quia videtur non minor eſſe injuria in hoc, quam in judicio temerario, & quilibet eſt merito graviter invitus, etiam ſuum verum crimen occultum alteri revelari: ut ſatis colligitur ex difficultate, quam ordinarie habent homines, ut grave peccatum ſoli Confeſſario manifeſtent, licet conſtet de ſigillo, & ſimul eſſe neceſſarium ad obtinendam veniam. *Dixi: poteſt eſſe;* quia non ſemper eſt; ſi enim fiat conſilii, vel auxilii neceſſarii petendi cauſa, non eſt peccatum. Similiter non peccat ſaltem graviter, qui ad ſolamen, vel mitigandum dolorem, injuriam ſibi occulte illatam manifeſtat viro prudenti, amico, &c.; quia nimis durum videtur illatam ſibi in ſecreto concoquere, ut parcat famæ injuriantis, qui injuriando cenſetur exponere ſe voluiſſe hujus manifeſtationis periculo, cum ſciat hujusmodi revelationem ſolere ſubſequi; debet tamen fieri cum minimo alterius damno: V. G. ſufficiat unus ad conſilium, vel ſolatium, non manifeſtetur pluribus; ſi poſſit fieri perſona non nominata, hæc non nominetur &c. item fiat ſine pravo affectu, ſine mendaciis, & judiciis temerariis, prout ordinarie contingit in mulieribus.

D. 7. Qui crimen occultum ita refert, ut nec perſona nominetur, nec illius cognoſcendæ ſit periculum,

lum, ordinarie non peccat ſaltem graviter, niſi redundet gravis infamia in talis perſonæ familiam, ordinem, monaſterium, &c. Sic peccas graviter dicendo: ex tali familia una fuit ſaga, unus ex tali monaſterio V. G. commiſit adulterium; licet enim communitas aliqua re ipſa non maculetur ex unius morbidæ ovis crimine, ſicut nec collegium Apoſtolicum ex proditione Judæ, maculatur tamen quoad homines ſimplices, & imperfectos, quibus id multiplici ſcandalo eſſe poteſt, quique, dum unum peccaſſe audiunt, omnes tales eſſe arbitrantur.

(26) *D.* 8. Reus eſt gravis detractionis, qui famam perſonæ defunctæ notabiliter minuit; quia defunctus æque habet jus ad famam ſuam, ac vivus, cum juxta communem hominum æſtimationem cenſeatur adhuc in fama ſua vivere, ideoque ſicut illius memoria capax eſt glorioſæ recordationis, ita & ignominioſæ detractionis.

QUÆSTIO III.

(27) *An infamatus in uno loco poſſit infamari in aliis?*

D. 1. Infamatus per ſententiam publicam, & declaratoriam perſonæ qua talis poteſt ubivis infamari ſine læſione juſtitiæ, aut charitatis; quia ideo ſententia fertur publice, & quidem illis diebus, quibus ad forum undequaque convenit populus, in aliorum exemplum. *Deinde* reus privatur jure ad famam; infamia enim hæc eſt una ex pœnis judicialibus. *Dixi: per ſententiam publicam;* quia ſi ſolum ſit notum ex confeſſione rei, aut etiam legitima teſtium depoſitione, de eo loquendum eſt, ſicut de infami facto, aut fama. Pro quo

N. Ali-

N. Aliquid dicitur *publicum facto*, quando coram pluribus eſt perpetratum, ita ut videatur non poſſe celari. *Publicum fama eſt*, ſi rumor ipſius pervenerit ad tot perſonas talis conditionis in talibus circumſtantiis, ut moraliter loquendo ſit evulgandum; quot autem perſonæ requirantur, ut aliquid ſit notorium facto, vel fama, pendet ex prudentis judicio, attentis circumſtantiis, *ut mox infra. Publicum*, vel *notorium jure* eſt, ſi, *ut ſupra*, per ſententiam publicam ſit publicatum.

(28) *D.* 2. Crimen notorium facto, vel fama poteſt ſine peccato manifeſtari in locis vicinioribus, non vero ubique. *Ratio primi eſt;* quia eo ipſo, quod quis peccavit publice, cenſetur ceſſiſſe juri, quod habebat ad famam in tali loco, ſicut & in aliis, ad quæ moraliter loquendo perventura eſt fama delicti, ſive propter locorum viciniam, ſive propter incolarum commercia, aut alias rationes, cum criminis notoreitas, & ejusdem taciturnitas moraliter opponantur. Cæterum indubitatum eſt, ſi fiat ex gravi odio, vindicta, vel cum novo damno alterius, eſſe mortale contra charitatem. *Ratio ſecundi eſt:* quia licet peccans publice implicite cedat juri ad famam in locis vicinioribus, non tamen in remotioribus ob rationem contrariam; quia fama non eſt crimen perlatura ad loca remotiora. *Deinde* peccans occulte retinet jus ad famam; ſed crimen hic patratum eſt vere occultum reſpectu locorum, ad quæ fama non pertinget; ergo.

Ob. Facta publica ponuntur in relationibus, imo & in hiſtoriis; ergo licitum eſt deferre ad loca remotiora. ℞. Ponuntur, ſed ſuppreſſo nomine: ſi quandoque nomen exprimatur, hoc fit, quando factum ita eſt extraordinarium, ut ejus notitia moraliter ſit perventura ad alia loca. *Deinde* non omnia, quæ habentur in relationibus, ſunt approbanda. Hiſtorici excuſa-

cuſari poſſunt, ſi crimen, & criminoſos referant eo tempore, quo nullus ſupervivit, qui eos novit, nec aliunde illorum cognatis, aut familiæ graviter noceatur; alias probabilius male faciunt.

Reſ. 1. Si communitas conſtet ex 8. hominibus, & ſciant tres: ſi ex 30. & ſciant 7. vel 8. ſi ex 100. & ſciant circiter 15. licite revelo aliis iſtius communitatis. Si in oppido ſint domus circiter 40. & ſciant 8. diverſarum domorum: ſi civitas habeat quingentos incolas, & ſciant circiter 30. diſperſi, ſatis notum eſt, ut apud ignaros ejusdem loci deſuper quis loqui poſſit. Ita quidem nonnulli cenſent; ſed res hæc nequit tam facile determinari: hinc caute procedendum eſt.

Reſ. 2. Si crimen ſit in domo tua notum, non ideo potes aliis in vicinia manifeſtare; ſi in tua vicinia tantum ſit notum, non ideo potes manifeſtare aliis in remotioribus partibus amplæ civitatis; ſi in tua civitate ſit notum, non ideo potes manifeſtare in loco remoto, ad quem tu extraordinariam occaſionem habes, & ſine te notitia criminis non perveniſſet.

Reſ. 3. Non videntur a mortali excuſari apud Religioſos tabellarii illi, & novellarii, qui crimen licet in hoc monaſterio notorium, aut etiam ad emendationem, vel vindictam publicatum, attamen intra terminos hujus loci ſepeliendum, ad alios conventus ſine juſta cauſa per modum novellarum ſcribunt, aut referunt. Alii mitius ſic diſtinguunt: ſi crimen in aliquo monaſterio ſit publicum, ſicut poteſt ulterius publicari intra idem monaſterium, ſic etiam poteſt referri ad Religioſos alterius Monaſterii ejusdem tamen Ordinis, ſi Religioſi illi ex uno Monaſterio in aliud mitti ſoleant; tunc enim videntur ſatis communicare, ut cenſeantur unum corpus; non ita, ſi ſint affixi loco, nec ita permiſceri ſoleant.

(29) *Reſ.* 4. Si crimen ſit injuſte publicatum, non peccas ulterius publicando, modo non ſit falſum; licet enim injuria non tollat jus ad famam, tollit tamen notoreitas ad injuriam ſecuta; alias vix unquam poſſet quis loqui de crimine publico per famam; quia primi ſermones potiſſimum fuerunt injurioſi. *Dixi*, *modo non ſit falſum;* quia alias certum eſt, tunc adhuc fieri injuriam, & manere jus ad famam. Hinc, ſi de falſitate ſit prudens præſumptio, ulterius divulgare non licebit. Pariter, ſi publicitas ſit dubia, non licet divulgare; quia poſſeſſio eſt pro bona fama.

Reſ. 5. Si crimen, quod antea fama, vel facto fuit publicum, ſit oblivione ſepultum, peccas contra juſtitiam iterum publicando; quia res per oblivionem redacta eſt ad ſtatum, in quo erat, antequam crimen eſſet publicum. Si autem per ſententiam antehac fuerit publicum, ſatis probabile eſt, poſſe iterum publicari, quia facultas publicandi a judice data, & non revocata, videtur adhuc moraliter perſeverare, non obſtante illa oblivione: ſed vide, ne charitatem lædas, aut omnino juſtitiam.

Reſ. 6. Infamatus publice de crimine principaliori poteſt ſine culpa ſaltem gravi infamari de crimine minus principali ordinarie connexo V. G. de homine ebrioſo dicere, quod ſit rixatus cum uxore, incurius circa familiam, &c.; quia non cenſetur nova infamia irrogari. Econtra infamatum de uno crimine infamare de alio non connexo eſt contra juſtitiam; V. G. de adultero dicere, quod ſit fur; quia fama eſt diviſibilis; ergo per hoc, quod amittatur in uno genere, non amittitur in alio.

(30) Q. *Quæ ſint aliæ cauſæ licite revelandi crimen alterius occultum?*

℟. Potiſſimum ſunt ſequentes: 1. quando hoc neceſſe eſt ad impediendum malum grave communitatis: ut

ut ſi quis moliatur crimen reipublicæ pernicioſum: V.G. hæreſin, proditionem, &c. & ad hoc ex charitate plerumque quis tenetur. 2. Si ſervato ordine fraternæ correctionis a CHRISTO præſcripto *Matth.* 18. detegatur proximi delictum, ut emendetur. 3. Si fiat ad vitandum grave damnum ſpirituale, vel temporale, quod aliter vitari non poſſit, etiamſi ille, cujus crimen detegitur, ſimili periculo exponatur, aut illud tibi ſub ſecreto naturali, non Sacramentali revelaſſet, quia non teneris alterius crimen occultare cum tanto tuo gravamine: nec eſt præſumendum, quod volueris te obligare in ſimilibus circumſtantiis, cavendum tamen eſt, ne plus dicatur, quam neceſſe ſit. Hinc, ſi Cajus machinetur Titio grave malum, & hoc averti poſſit, dicendo in genere Titio, ut ſibi caveat, ſua cuſtodiat, eſſe aliquem, qui ipſi intentet malum, non poteſt nominari Cajus. 4. Si fiat ad impediendum ſimile damnum in proximo innocente. Hinc

Reſ. Licet occultos defectus manifeſtare illius: V.G. ignorantiam Doctoris, aut Medici, qui ſua verboſitate famam ſibi fecit, & ad officium promovendus eſt cum publico detrimento; licite mones alios, ut ſibi caveant ab eo, quem ſcis eſſe furem: ut declinent conſortium illius, quem ſcis eſſe corruptis moribus, &c.; ſic non peccat reus, dum teſtium injurioſam contra ſe depoſitionem detecto eorum crimine infirmat: ſic ſi homicidium commiſſum ſit a Petro, & imputetur Paulo innocenti, qui ob id capite plectendus eſt, poteſt, qui novit Petrum eſſe reum, eum detegere: ſic licite Parocho indicatur occultum impedimentum dirimens, ne matrimonium ſacrilege celebretur: licite denuntiatur inhabilis, ne ordines indigne ſuſcipiat, neve beneficium ei conferatur. Et ita in plurimis aliis, modo aliter impediri non poſſit, & abſit pravus affectus, aut ex publicatione alterius peccati

gra-

gravius malum non timeatur, quam bonum ſperetur, nec dicatur plus, quam neceſſe ſit.

QUÆSTIO IV.

(31) *Quomodo peccent audientes detractionem?*

Certum eſt, injuſte detrahentes voluntarie, & ſine juſta cauſa audire, ac, cum facile poſſis, non impedire, eſſe peccatum ex genere ſuo mortale; unde *S. Bernardus* ait: detrahere, vel detrahentem audire, utrum horum deteſtabilius ſit, non facile dixerim. *Dixi: voluntarie*; non enim peccat, qui contra voluntatem adeſſe debet, nec impedire poteſt, V. G. famuli inſervientes menſis. *dr.* etiam: *ſine juſta cauſa;* quia ob cauſam rationabilem, & finem bonum licitum eſt audire detrahentem, nempe juxta dicta num. 30.

D. 1. Qui interrogando, excitando, avide attendendo, complacentiam oſtendendo, aut ſimili modo alterum inducit ad detrahendum, vel detractionem continuandam, peccat pro ratione materiæ graviter, vel leviter contra juſtitiam cum onere reſtitutionis, in defectu detrahentis, & charitatem; cooperatur enim poſitive, *de quo ſupra*, & detrahenti eſt ſcandalum, cum ad peccatum inducat, vel in peccato confirmet.

D. 2. Qui abſque omni poſitiva cooperatione detrahentem audit, ſibique in auditis interne complacet, *per ſe loquendo* peccat graviter contra charitatem, non juſtitiam. *Ratio primi* eſt; quia lætatur de damno proximi, quod eſt ſpecies odii. *Ratio ſecundi* eſt: quia non facit infamato injuriam, cum ſupponatur ad actionem detrahentis non cooperari, nec teneri ex officio impedire, ideoque ad reſtitutionem non tenetur; ad quam tenetur, qui poſitive influit.

D. 3. Qui nec inducit, nec lætatur, non impedit tamen detrahentem, quando commode poteſt, peccat dupliciter contra charitatem graviter *per ſe loquendo*, non impediendo detrahentis peccatum, & infamati infamiam, dum detractio eſt gravis, nec adeſt alius, per quem videt eam impediendam; lex enim charitatis obligat, ut, quando commode poſſumus, avertamus notabile damnum proximi. Qui vero ex juſtitia tenetur impedire: V. G. Superior, paterfamilias detrahentis, peccat ſimul contra juſtitiam cum onere reſtitutionis; tales enim ex officio tenentur impedire ſuos, ne aliis noceant; imo probabilius eſt, quod teneatur ex juſtitia impedire ſuos, ne aliis noceant; quamvis tantum ſit ſuperior illius, cui detrahitur; tenetur enim ſubditos ſuos protegere, & defendere tum in temporalibus, tum ſpiritualibus, prout eſt ſuperior. *Dixi: quando commode poteſt;* quia non tenetur, ſi videat monitionem nihil profuturam: ſi inde timeat grave incommodum: ſi ex rationabili verecundia ob authoritatem detrahentis timeat monere; debet tamen tunc diſcedere, ſi commode poſſit, faciem triſtiorem oſtendere, ſermonem alio divertere &c.; qui modi tacitæ correctionis plus proſunt, quam alii, ut experientia docet: niſi tamen ſit ſuperior, aut perſona reſpective gravis. Interim pro ſolatio ſcrupuloſorum, & aliorum timoratorum ex communi.

(32) *Obſ.* Quandoque accidit, quod quandoque ſubin inferior, quod æqualis non teneatur detrahentem corrigere; cujus *Ratio eſt* 1. quia audiens neſcit, an, quod dicitur, ſit notorium, poteſt enim tale eſſe, licet ego ignorem; in dubio autem non eſt, cur damnem detractorem: in quo multi errant, qui ſtatim, ac aliquid audiunt, putant eſſe detractionem. 2. Sæpe alter habet juſtam cauſam manifeſtandi, præſertim

ſertim uni ſoli. 3. Sæpe ſine gravi offenſione non poſſum corrigere. 4. Quia incepta detractione ſæpe magis conſulitur famæ proximi, ſi ſinatur abſolvi, quam ſi abrumpatur; nam ſi diſtincte explicetur, ſæpe non tam graviter apprehenditur, quam ab initio conceptum erat. *Deinde* ſi corrigatur, ſæpe plura dicet, dicta magis confirmabit. *Denique* ſpecialiter quoad ſcrupuloſum, quia ille non poteſt in praxi diſcernere, an detractio ſit gravis, vel levis (a). Nihilominus, ut advertit Reverendiſſimus Janſen, quia detractiones hodiedum inter æquales ſunt valde frequentes, non ſcrupuloſus fere ſemper tenetur triſtiorem vultum oſtendere, ſermonem alio invertere &c.?

(33) *Quæri hic ſolet: an liceat infamare ſe ipſum, ſed de hoc ſupra* (b).

Quæritur ulterius, quale ſit peccatum, vi, aut metu tormentorum fateri crimen ſibi falſo impoſitum. Ad quod ℞. Ad evitanda tormenta etiam graviſſima non licet absque gravi peccato confiteri falſum crimen, ob quod quis eſt morte plectendus, licet multi dicant eſſe veniale tantum. *Ratio noſtra* eſt: quia talis cenſetur ſcienter cooperari, & injuſte dare cauſam morti ſuæ, adeoque ſe ipſum moraliter occidere: ſicut ſine dubio cenſerer occidiſſe Petrum, ſi ex meo falſo teſtimonio per Judicem morti adjudicaretur; ſumus quidem famæ noſtræ magis domini, quam alienæ, non tamen vitæ; & licet non tenear conſervare vitam per media extraordinaria, non tamen licet poſitive ad mortem injuſte inferendam cooperari.

Ob. Poteſt, quis fateri verum crimen occultum, licet ideo ſit occidendus a Judice, nec ideo cenſetur ſe ipſum occidere, vel morti ſuæ cooperari, ad quam potius

(a) *Part.* 1. *de Conſcien. ſcrupul. n.* 33.
(b) *De Jure & Juſt. Q.* 4. *n.* 22.

tius ſe permiſſive habet; ergo pariter, qui falſum crimen fatetur, non cooperatur morti ſuæ. ℞. *n. c.* Quia crimen verum detegens non dat cauſam mortis, ſed tantum aperit cauſam, quam prius dederat, ceditque juri ſuo, quod habebat ad illam cauſam occultandam. *Nec refert:* quod ponat conditionem, ſine qua non fuiſſet occidendus; nam ex cauſa rationabili id licet; ſicut licet aperire ſuum crimen, ne innocens propter illud occidatur; quamvis detegens ipſe ſit interficiendus. *Deinde* ex juſta cauſa licitum eſt cooperari, vel deſiderare mortem, ut inferendam ab alio habente authoritatem; ſed cooperari ad mortem revera injuſte inferendam innocenti licitum non eſt; licet per accidens excuſetur Judex ratione erroris.

Reſ. Juxta aliorum ſententiam, qui faſſus eſt falſum crimen, non tenetur ſub mortali revocare, ſi prudenter timeat renovationem tormentorum, idque non obſtante perjurio forte commiſſo; hoc enim tranſiit, & per pœnitentiam coram Deo delendum eſt; ſed in ſententia noſtra tenetur, ſi per revocationem poſſet impedire cauſam mortis male poſitam, quam alias cenſetur voluntarie continuare. Aliud eſt, ſi absque hoc effectu id fieret, tunc enim non eſt amplius in poteſtate cauſa mortis, ejusque operatio; conſultum tamen eſſet, & fieri ſolet, ut ante executionem innocentiam ſuam metu tormentorum falſa confeſſione perditam publice ante mortem immediate teſtetur; quod etiam eſſet obligatorium, ſi ex falſa confeſſione ſequatur præjudicium famæ, vel aliud damnum aliorum.

QUÆSTIO V.

(34) *Quomodo fama ſit reſtituenda?*

D. 1. Detractor tenetur famam infamati efficaciter reparare, non tantum apud auditores immedia-

mediatos, quibus ipſe revelavit, ſed, & apud mediatos, ſeu illos, quibus primi audientes factum divulgarunt, ſi detractio facta ſit apud illos, qui merito timebantur, aut prævidebantur ulterius propalaturi, eoquod eſſent garruli, non ſervantes ſecretum, injuriato inimici &c. Item, quando primi audientes erant tot, ut crimen ipſis manifeſtatum cenſeretur publicum; tunc enim ſolet ſine ſcrupulo divulgari, ubi creditur eſſe verum. *Ratio hujus eſt:* quia tunc non tantum prima criminis revelatio, ſed & ſequens inde divulgatio eſt ipſi imputabilis; unde in defectu illorum, qui factum ulterius ſparſerunt, tenetur ex juſtitia integram reparationem procurare, ſive per Concionatorem, ſive per chartas publicas, etiam cum ſuo dedecore, & ſi aliter fieri non poſſit; ideoque debet etiam inquirere, an auditores immediati aliis dixerint. Ex quo patet, quam difficilis, & rara ſit efficax famæ reparatio, quæ tamen facile ſolet lædi.

Ob. Hoc ipſo, quod retractem apud auditores immediatos, implicite moneo illos, ut ſi apud alios famam propalarint, ſimiliter retractent; ergo ſatisfacio meæ obligationi. ℞. Totum eſſet verum, ſi monitio tua eſſet efficax, & auditores moniti retractarent, quod ſi negligant, tu teneris in defectu illorum.

Inſt. Hæc reſtitutio apud omnes facienda eſt impoſſibilis; ergo non obligat. ℞. Ideo adhibeatur retractatio publica; & ſi non poſſit apud omnes, fiat apud illos, qui deprehendi poſſunt.

(35) *D.* 2. Qui falſum crimen alteri affinxit, debet infamiam illam delere per ſinceram dicti ſui retractationem, dicendo, &, ſi opus ſit, jurando: ſe dixiſſe falſum, &c. Si omnia adhibuerit neceſſaria ad tollendam opinionem malam, eſt liber; quia quod illi tunc in mala opinione maneant, eorum malitiæ adſcribitur, ſi enim detrahens non mereatur fidem, dum

famam ita reſtituit, nec merebatur, dum auferebat. Qui vero alterius crimen verum, ſed occultum injuſte propalavit, non poteſt dicere: *Falſum dixi: ſum mentitus*, prout multi volunt, ſed: *Locutus fui male erravi: fui deceptus: proximum injuſte infamavi, &c.* quæ veriſſima ſunt, modo hæc ſufficiant ad famæ reparationem; quia in praxi aſtutiores ſimilia audientes magis ſolent confirmari in opinione admiſſi criminis. Unde tunc videtur ſufficere, ſi detractor quæſita occaſione honorifice de altero loquatur apud illos, coram quibus detraxit, illumque laudet, quantum fieri poteſt ſine mendacio, ipſum ſingulariter honoret coram aliis, familiariter cum ipſo converſetur; quia ſic declarat bonam ſuam de illo exiſtimationem; attamen fiat caute, ne videatur hoc facere pro reſtitutione; quia hoc eſſet infamiam refricare. *Ratio autem*, cur non poſſit dicere: *fui mentitus, &c.* eſt; quia hæc dicendo mentiretur. *Deinde* ſi tunc liceret uti amphibologia, & dicere: *Falſum dixi, ipſe hoc crimen non patravit, ſubintelligendo, publice, ut de eo licite apud alios loqui poſſimus &c.:* ſi, inquam, hæc licerent, vix ullus reſtaret modus reparandæ famæ per impoſitionem falſi criminis ablatæ; nam aſtuti hæc audientes crederent detractores uti æquivocatione, & infamatum eſſe reum criminis propalati, ſicque fierent poſteriora pejora prioribus.

D. 3. Qui alterum injuſte diffamavit, tenetur cum diſpendio famæ ſuæ alterius famam reparare; quia, *ut ſæpe dictum*, in pari cauſa, & damno melior eſt conditio innocentis. Aliud eſt de infamatore inculpabili, qui cum non peccaverit, non tenetur cum magno ſuo incommodo.

(36) *D.* 4. Infamator injuſtus etiam tenetur de damno ex ſua infamatione ſecuto, ſi ſaltem ſit confuſe prævîſum; V. G. alter ideo impeditus eſt a conſecu-

tione

ione beneficii, officii: magis, ſi ab officio ſit depoſi-
us; quia horum cauſa efficax fuit.

Obſ. Obligatio reſtituendi famam eſt perſonalis, ideoque non tranſit ad hæredes, ita ut hi teneantur ex charitate manifeſtare impactam calumniam; ſi tamen infamia infamati redundet in hæredes, V. G. patris in filium, etiam his reparanda eſt; quoad damna autem ex infamia ſecuta eſt obligatio realis, & tranſit ad hæredes infamantis, & infamati.

(37) *D.* 5. Reſtitutio famæ non obligat per ſe loquendo cum periculo vitæ, nec cum notabiliter graviore damno propriæ famæ, *ſequitur ex dictis ſupra* (a).

Reſ. Perſona illuſtris vel etiam Superior, ſi ex reſtitutione famæ deberet ſubire infamiam cum detrimento authoritatis ſuæ, ſatisfacit infamato ſigna honoris exhibendo, V. G. ipſum familiariter coram aliis alloquendo, officium vel beneficium, aut alia ſigna familiaritatis præſtando.

(38) *D.* 6. Cauſæ excuſantes adhuc ſunt ſequentes: 1. Si notabilis infamia ſecuta non ſit; quia V. G. detrahens nullius erat fidei, auditores jam aliunde ſciebant, infamia mox per corrigentem eſt impedita, &c. 2. Si fama alia via ſit ſatis reparata, V. G. experientia docuit eſſe falſum. 3. Si infamia lapſu longi temporis ſit deleta apud audientes, quo caſu maxima requ ritur prudentia, dum de hac oblivione non ſatis conſtat; quia ab una parte eſt periculum, ne retractando refricet memoriam; ab altera, licet auditores nunc non recordentur, periculum tamen eſt, ne data occaſione rurſus excitentur ſpecies, & memoria cum infamia reviviſcat; in hac ergo difficultate hoc de voluntate infamati præſumat, quod ſibi in iisdem circumſtantiis fieri vellet; hæc enim regula conformis eſt charitati & juſtitiæ, nec poteſt dari alia, & quamvis judi-

(a) *De injur. & reſtitut. in communi. Num.* 91.

judicetur infamia deleta, adhuc laudandus & honorandus eſt infamatus; ſic enim ſecuritati conſulitur. 4. Si crimen aliunde ſit juſte factum publicum. 5. Si injuria ſponte condonetur, aut prudenter præſumatur remittenda ab eo, qui poteſt efficaciter, ſcilicet ſine injuria tertii; ſic plebeji cenſentur ſibi invicem ſæpe remittere debitum reſtituendi. 6. Poſſum non reſtituere famam illi, a quo ſum infamatus, donec ille reparet meam; ſic enim fit quaſi compenſatio mutua: dummodo injuria utrinque ſit æqualis, nec patiatur tertius: non tamen poſſum infamare illum, a quo ſum injuſte infamatus; quia hoc non eſt medium efficax ad recuperandam famam. *Excipe:* niſi id cogar facere ad labefactandam infamantis authoritatem, ne illi habeatur fides, dicendo V. G. homo ille etiam alias ſolet mentiri; nam utor moderamine inculpatæ tutelæ, & quamvis crimen ſit verum, licite adhuc dico, eum quoad hoc eſſe detractorem, facere injuriam, &c. *Denique* qui non poteſt famam læſam reſtituere, non tenetur pecunia compenſare; quia tantum teneor reſtituere rem ablatam in ſe vel in æquivalenti; ſed pecunia non æquivalet famæ; ergo. *min.* patet; quia quamvis pecunia data manet infamatus. Interim ſi Judex in pœnam delicti imponat ſatisfactionem pecuniariam, ad hanc teneor.

Obj. Fama compenſari debet per honorem, ſi aliter non poſſit, ſed fama & honor ſunt diverſi Ordinis, ergo & per pecuniam.

℟. *D. m.* Sunt diverſi Ordinis, attamen practice ita affines, & inter ſe connexa, ut ex honoris exhibitione fama reparetur C. ſecus N. Honor communiter exhiberi ſolet ob bonam exiſtimationem, & ex tali exhibitione honoratus apud alios accipit bonam famam, non ſic ex pecunia.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quid circa revelationem ſecreti naturalis?

Revelatio ſecreti naturalis annexa eſt detractioni, eamque ſæpe includit, dum revelatur defectus occultus ſecreto commiſſus. *Secretum* aliud dicitur *commiſſum*, dum aliquid expreſſe vel tacite ſub ſecreto committitur: aliud *promiſſum*, dum audiens ſecretum promittit, etſi non fuerit ſub ſecreto commiſſum; aliud *nec commiſſum, nec promiſſum*, dum res ex ſe poſtulat manere occulta, & hoc obligat ſub mortali, ſi inde proximo poſſit evenire grave damnum; hinc ſi caſu fortuito cognoſcas, ubi alter habeat theſaurum occultum, & ex revelatione prævideas ſurripiendum, revelando peccas contra juſtitiam, & teneris ad reſtitutionem damnorum.

(39) *D.* 1. Qui ſine juſta cauſa revelat ſecretum commiſſum, peccat contra juſtitiam ob contractum onerosum intervenientem, graviter vel leviter pro ratione materiæ, & damni inde ſequentis. Promiſſum obligat, prout promittens ſe obligare voluit, ex juſtitia vel fidelitate tantum; & hoc in dubio præſumitur, ideoque illud revelare per ſe eſt veniale tantum.

Reſ. 1. Ex pacto & promiſſione tacita tenentur ad ſecretum Conſiliarii Principum, Officiales belli, Theologi, imo probabilius omnes, quibus conſilii, auxilii, vel ſolatii cauſa ſecretum aperitur; hoc ipſo enim, quod ſecreta ſuſcipiunt, tacite ad non revelandum ſe obligant.

Reſ. 2. Graviter contra juſtitiam peccant Viſitatores apud Religioſos, ſi perſonas, a quibus defectus corrigendi delati ſunt, directe vel indirecte manifeſtent, ex quo multa mala ſequuntur, & ſubditi retrahuntur a manifeſtatione defectuum neceſſario corrigendorum.

Reſ. 3. Peccant pariter Definitores in Capitulo, ſi expoſt declarent, quos patronos vel adverſarios quis habuerit in ordine ad officium, ad quod fuit propoſitus, aut dicant: ego & talis non fuimus tibi contrarii; ſatis enim indicant, qui ſe expoſuerint, ex quibus oriri poſſunt diſcordiæ, & averſiones animorum: magis, ſi hæc ſæcularibus amicis revelent.

(40) *Reſ.* 4. Si ex obſervatione ſecreti immineat reipublicæ vel privato innocenti grave damnum, revelari poteſt & debet, licet ſit juratum; quia charitas exigit, ut magis caveatur damnum commune aut innocentis, quam nocentis, neque juramentum ligat contra bonos mores.

Reſ. 5. Si ſub ſecreto ſcias impedimentum dirimens matrimonium, & non poſſis volentem contrahere aliter impedire, teneris revelare, ut impedias ejus peccatum, & Sacramenti irreverentiam.

Reſ. 6. Secreta reipublicæ aut exercitus, a quibus pendet ingens bonum, revelare non licet ob quævis tormenta, & mortem; quia prævalet bonum commune. In aliis ordinarie quis ſe tantum obligat ad cuſtodiam humanam, ſeu non nimis difficilem; hinc non obligant cum diſpendio vitæ, famæ, aut alterius gravis mali.

(41) *D.* 2. Qui per vim vel fraudem expiſcatur alterius ſecretum, peccat contra juſtitiam; quia facit ipſi injuriam; cuique enim competit jus ad ſuum ſecretum.

Reſ. 1. *Per ſe loquendo* eſt mortale alienas literas aperire, vel ad candelam vel ſolem legere; cum non conſtet, an non contineant rem gravem, famam alterius V. G. graviter lædentem, vel quam conſtare alteri ægerrime ferat, qui mittit, aut recipit; *per accidens* eſt veniale, ſi conſtet non continere rem magni momenti, ſcribentem non eſſe graviter invitum; vel

etiam

tiam nullum: ſi adſit legitima authoritas, vel conſenſus ſaltem prudenter præſumptus, & ex rationabili cauſa fiat: ubi tamen percepta celari debent.

Reſ. 2. Literæ enim apertæ, quas aliquis caſu perdidit, vel in loco ſecreto V. G. ſuper menſam cubiculi reliquit, non leguntur licite; nec adeſt licentia per hoc, quod ſint negligenter cuſtoditæ; ſicut non licet accipere pecuniam negligenter cuſtoditam.

Reſ. 3. Si pro certo judicares per epiſtolam grave damnum tibi vel alteri injuſte parari, nec poſſes aliter avertere, licite legeres, vel retardares; quia facis juſta defenſionis cauſa; ſed cave, ne hoc temere judices.

QUÆSTIO VII.

(42) *An & qualiter reparandus ſit honor læſus?*

Dupliciter poteſt quis inhonorare proximum: *negative*; omittendo honorem debitum, & *poſitive* per verba, facta, aut ſigna contumelioſa manifeſtando malam de altero exiſtimationem, ſicque eſt *contumelia*, & definitur: injuſta abnegatio vel diminutio honoris alterius facta præſenti, vel quaſi præſenti; hoc eſt: ea intentione, ut reſciat; eſtque ex genere ſuo mortale contra juſtitiam ſpecie diſtinctum a detractione, quia honor eſt bonum a fama notabiliter diſtinctum. Ejus gravitas deſumitur ex circumſtantiis verborum, factorum, & præſertim perſonæ offenſæ. Generaliter materia tunc eſt gravis, ſi in fama & honore cauſetur tale damnum, quod ſpectata communi hominum complexione aptum eſt cauſare magnam confuſionem, vel amicitiam diſſolvere.

D. 1. Injuriæ contra honorem ſunt 1. *Convitium*, quando crimen vel etiam defectus naturalis objicitur cum

cum alterius dedecore. 2. *Improperium* vel *contumelia*, quo hæc alicui præſenti in faciem objiciuntur; convitium enim poteſt fieri etiam abſenti. 3. *Irriſio*, qua quis præſens vel abſens objicitur riſui. 4. *Illuſio*, qua objicitur ludibrio quaſi tecte, & cum quadam deceptione; ut dum Judæi Chriſto velata facie illudebant dicentes: *prophetiza nobis* (a). 5. *Subſannatio*, qua quis objicitur irriſui per geſtus corporis & membrorum. 6. *Maledictio*, qua quis imprecatur alteri malum; cui communiter conjuncta eſt injuria contra honorem.

(43) *D.* 2. Per ſe non peccas graviter, nec teneris ad reſtitutionem, ſi tantum negative inhonoraveris, ſecus, ſi poſitive. *Ratio primi eſt:* quia omittere honorem alteri debitum eſt contra obſervantiam, quæ graviter non obligat. *Dixi: per ſe;* quia ſi adjuncta ſit interpretativa contumelia, erit mortale contra juſtitiam; V. G. tranſit ſuperior, alii honorant, tu ſolus ſine ullo honoris ſigno eum impudenter reſpicis, cui adeſſe etiam ſolet affectus odii, vindictæ, ſcandalum &c. *Ratio ſecundi eſt:* quia, qui poſitive alterum inhonorat, facit ipſi injuriam: ergo tenetur reſtituere, vel ſatisfacere.

Reſ. 1. Quo perſona eſt honoratior, eo contumelia eſt gravior, & econtra; hinc ſæpe excuſantur a mortali mulierculæ, & infimæ ſortis homines, qui rixando invicem ſe in platea convitiis & contumeliis afficiunt, effutientes, quidquid in buccam venit; quia adſtantes nullam vel exiguam fidem tribuunt.

Reſ. 2. Non teneris in confeſſione exprimere qualitates contumeliæ: V. G. appellavi adulterum, furem, &c. ſed tantum: gravibus contumeliis alterum toties affeci; quia omnes contumeliæ ſunt ejusdem ſpeciei infimæ, cum contumelia omnis ſit contra idem bonum,

(a) *Matth.* 26. *v.* 68.

num, ſeu jus, ne dignitas minuatur, ſæpe tamen accedunt aliæ ſpecies: V. G. eum, quem irriſiſti, commoviſti ad gravem iram, vindictam, & addidiſti ſcandalum: ſi parentibus illudas, eſt impietas: ſi ceremoniæ ſacræ, eſt blaſphemia, & ſic de aliis.

(44) *D.* 3. Si inhonoraſti poſitive, teneris reparare honorem apud alios injuſte ablatum; per talem enim inhonorationem minuitur in æſtimatione hominum alterius dignitas: ſi nemine præſente inhonoraſti, adhuc injuria eſt reſarcienda; quia cauſaſti afflictionem, quam ex juſtitia teneris tollere.

D. 4. Modus reparandi honorem ille requiritur & ſufficit, quo attentis circumſtantiis inhonorationis, perſonarum qualitate, locorum conſuetudine cenſetur honor ſatis reparari, ut placari poſſit animus inhonorati, & rationabiliter plus exigi non poſſit. Hoc fieri debet coram iis, coram quibus inhonoraſti, vel ſaltem ita, ut iis inoteſcat.

D. 5. Honor læſus tribus modis reparatur. Primus eſt amica ſalutatio aut compellatio, vel exhibere ſigna benevolentiæ, ut ſupra de detractione (a), quomodo Superior ſatisfacit ſubdito, dominus famulo &c.; hi enim raro tenentur veniam petere, *ne*, ut ait S. Auguſtinus, *dum nimia ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas.* Hi, ſi contumelioſe ſuos correxerint; parum excedendo, non tenentur ad reparationem. Similes tamen correctiones raro proſunt, & ſubditos potius ad iram movent, quam emendent, ſuntque peccatum grave, ſi exceſſus ſit enormis. Secundus eſt majora ſolito ſigna honoris oſtendere V. G. ad menſam invitare, propinare, locum honoratiorem cedere. Tertius eſt humiliter veniam petere, & ad hoc tenentur Subditi erga Superiores, quandoque & æquales inter ſe, ſi ſcilicet extraordinaria fuerit inhonoratio, ac val-

(a) *Vid. Num.* 37.

valde decet, ut fiat inter æquales Religioſos, ubi inhonoratio fuit notabilis.

Reſ. Si offenſus ſumpſerit vindictam per illationem reciprocæ injuriæ, non tenetur alter ad ulteriorem ſatisfactionem; hoc enim probat communis hominum perſuaſio, & ulciſcens videtur vindictam, quam ſumit, acceptare pro ſatisfactione ſibi debita.

DISSERTATIO II.

DE INJURIIS IN CORPUS, ET VITAM PROXIMI, AC NECESSARIA RESTITUTIONE.

QUÆSTIO I.

(45) *An, & qualiter liceat occidere malefactores, tyrannum, & deprehenſos in crimine?*

D. 1. Eſt in republica poteſtas occidendi malefactores, quando id exigit delicti gravitas. Eſt certum, & praxi omnium Nationum conforme. *Ratio eſt:* quia ſicut expedit membrum putridum ſeparare, ut totum corpus ſervetur, ſic expedit quandoque ad conſervationem pacis, quietis, & ſecuritatis publicæ hominem noxium & ſcandaloſum occidi; exigit hoc etiam bonum publicum ad deterrendos alios ab hujusmodi delictis, ideoque non obſtat, reum ſe emendaſſe.

(46) *D.* 2. Extra caſum neceſſariæ defenſionis, *de quo infra* (a), nemini licet authoritate privata occidere malefactorem; poteſt tamen illum ob graves cauſas Judex proſcribere, ita ut quilibet privatus poſſit illum

(a) *Vid. Num.* 54.

illum occidere; quia tunc occiditur authoritate publica, & quilibet hoc facit tanquam juſtitiæ executor; qui tamen talem occideret ex vindicta, odio, &c. non amore juſtitiæ, utique peccaret.

D. 3. Si nomine Tyranni intelligatur ille, qui eſt legitimus Princeps, ſed tyrannice regit, non licet ipſum occidere; & oppoſitum eſt damnatum in Concilio Conſtantienſi; ſi vero intelligatur ille, qui non eſt legitimus Princeps, ſed invaſor, plures abſolute affirmant, id licere, ſi non timeantur majora mala; quia eſt hoſtis gerens bellum continuum quaſi cum regno; ſed hoſtem licet occidere; ergo. Probabilius tamen videtur limitandum, id licere, dum actu regnum invadit: non, poſtquam invaſit, & jam pacifice poſſidet; quia tunc res tam gravis non eſt remittenda privato judicio, ſed illis, quorum intereſt Remp. regere & defendere.

D. 4. Non licet parenti aut marito filiam aut uxorem in adulterio deprehenſas, vel ipſum adulterum occidere; contrarium enim damnavit Alexander VII. in prop. 19., quæ ſic ſonat: *Non peccat occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* Hinc Leges civiles, quæ illud videntur permittere, ut juſtæ ſint, debent hoc ſenſu intelligi, quod talem interfectorem liberent a pœna judiciaria, ob juſtum dolorem, & vehementem animi paſſionem.

(47) Q. 1. *An aliquando liceat occidere innocentem?*

℞. Nunquam licet *per ſe & directe*; colligitur ex generali præcepto (a): *Non occides*; vel (b) *Inſontem & juſtum non occides*; a quo non legitur facta exceptio; *indirecte* autem, & *per accidens* aliquando licet occidere innocentem, utendo ſcilicet jure ſuo in re tanti momenti, ut vitæ æquivaleat.

Reſ.

(a) *Exod.* 20. *v.* 13. (b) *Exod.* 23. *v.* 7.

Reſ. 1. Judex non poteſt condemnare ad mortem illum, quem privata ſcientia novit innocentem, licet in judicio probetur nocens, quia directe occidere innocentem eſt intrinſece malum; & contra legem naturæ; lex autem, quod Judex debeat procedere ſecundum allegata & probata, eſt tantum humana, ergo ruit fundamentum adverſariorum. *Deinde* ad conſervandum totum mundum non licet occidere innocentem; ergo nec ad conſervandum ordinem juris propter commune bonum inſtitutum.

Ob. Judex directe intendit obſervare præſcriptam juris formam, & indirecte mortem; ſicut Bellidux expugnans turrim, tantum indirecte intendit mortem innocentum, qui ſunt in turri; ergo. ℞. *n. aſſ.* Nam Judicis ſententia condemnatoria ad mortem qua talis non habet objectum directius, quam mortem condemnati; expugnatio autem turris qua talis non habet pro objecto immediato mortem innocentum, ſed turris illius expugnationem. Cæterum etiam juxta adverſarios tenetur Judex ex juſtitia tentare prius omnia media ad liberandum. Quando autem agitur de bonis fortunæ tantum, concedi poteſt, poſſe Judicem agere ſecundum allegata & probata; quia hæc non ſunt tanti momenti.

(48) *Reſ.* 2. Si Tyrannus minetur urbi excidium, niſi innocens aliquis occidatur, hoc non licet directe; poteſt tamen Reſp. in eo caſu innocentem cogere, ut Tyrannum adeat, & ſi ire nolit, tradere; quia ex charitate & juſtitia legali tenetur vitam exponere pro Rep. Unde ſi pertinaciter reſiſtat, fit nocens: nec hoc eſt directe cooperari ipſius morti, ſed tantum illam permittere graviſſima cogente, & excuſante neceſſitate; nam traditio ex ſe eſt indifferens, & mors ſequitur indirecte præter intentionem Reip.

(49) *Reſ.*

(49) *Reſ.* 3. Si perſequente te hoſte fugere non poſſis, niſi per viam anguſtam, qua quispiam illic ſedens, infans V. G. eſſet proterendus equo, nihilominus licet; quia mors ſequitur indirecte; ſi tamen infans non eſſet baptizatus, tenereris ex charitate curſum ſiſtere.

Reſ. 4. Ad expugnandam urbem, & victoriam juſtam obtinendam, ſi neceſſe ſit, licitum eſt tormenta explodere verſus locum, ubi multi ſunt innocentes; quia horum mors præter intentionem ſequitur.

Reſ. 5. Si injuſtum aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ velis occidere, ille autem opponat tibi infantem, vel innocentem, ſi aliter eum ferire non poſſis, poteris ictu ſclopeti innocentem ſimul, & hoſtem ferire; quia uteris jure tuo ad neceſſariam tui defenſionem, dirigendo ictum directe ad aggreſſorem; per accidens autem eſt: quod in ſpatio intermedio ſit innocens, propter quem tunc in neceſſitate extrema non teneris abſtinere; idem eſt de multis aliis.

Reſ. 6. Non licet infantes, uxores hoſtium, Clericos, &c. in bello etiam juſto captos occidere; nec rabioſos ſuffocare, ne aliis noceant, ſed debent alligari.

Reſ. 7. Rei ſunt homicidii Medici, Chirurgi, Infirmarii, qui ex ignorantia, negligentia, avaritia, ſunt in cauſa, cur moriatur infirmus, morbus notabiliter ingraveſcat, diu prolongetur, &c. Idem eſt, ſi extremo periculo illorum vita exponatur; quia, ut aliquis dicatur homicida ſaltem inchoatus, parum refert, an utatur gladio, an pharmaco.

Reſ. 8. Medici poſſunt tripliciter peccare: *ante factum*, dum medicinam exercent ſine ſufficienti ſcientia implentes burſam pecuniis, & cœmeteria mortuis. Idem eſt de Chirurgis, qui ex ignorantia abſcindunt uni brachium, alteri tibiam. Peccant *in facto*, dum

artem callentes non regulas artis, ſed phantaſiam ſequuntur capitis. *Poſt factum* peccant, ſi dato ſalutari pharmaco infirmum negligant, convivia, & ſimilia frequentantes. In his ergo, & ſimilibus caſibus nequeunt ſuſcipere ſalarium, ſed tenentur ſimul ad damnorum inde ſequentium reſtitutionem.

(50) Q. 2. *An liceat dare pharmacum matri gravidæ de vita periclitanti, ſi putetur proles inde moritura, & quid de abortu procurando?*

℞. 1. Si pharmacum directe tendat ad fœtus etiam nondum animati expulſionem, non licet, multo minus, ne puella deprehenſa occidatur, vel infametur. Contrarium eſt damnatum ab *Innocentio XI.* per propoſitionem 34. hanc: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur. Ratio* autem eſt; quia in nullo caſu licitum eſt directe procurare abortum; ſi enim fœtus ſit animatus, directe occiditur innocens, & anima privatur beatitudine: ſi nondum ſit animatus, reducitur ad homicidium, quatenus impeditur vita ipſius, qui eſt in via ad illam. *Deinde*, ſicut de pollutione dicitur, ſic & hic: ſi in aliquo caſu liceret procuratio abortus, ſeu directa expulſio fœtus, periculum eſſet, ne homines liberius fornicationibus indulgerent ex ſpe, quod poſtea ſuperveniente quadam cauſa licet imaginaria impediri poſſet generatio prolis, cujus timor modo abſterrere ſolet; quod cederet in magnum ſpeciei humanæ detrimentum; ergo ſicut nunquam licitum eſt directe procurare pollutionem, ſic nec abortum.

Dices 1. Licitum eſt amputare membrum, ut conſervetur totum. 2. Fœtus cenſetur aggreſſor matris. ℞. *Ad* 1. Non eſt pars, vel membrum matris proprie; quia dicit ordinem ad diſtinctum ſuppoſitum.

Ad

Ad 2. Non fœtus, ſed ipſa infirmitas eſt aggreſſor vitæ. *Nec juvat :* quod pereunte matre fœtus ſit periturus : quia adhuc recta gubernatio reipublicæ humanæ exigit, ut non liceat directe expellere, ne homines illa licentia abutantur in detrimentum generis humani.

℞. 2. Si ſit ſpes prolem ad baptismum perventuram, non poteſt mater tale pharmacum ſumere, ex quo etiam per accidens prævidetur abortus ſecuturus; quia tunc ex charitate cum periculo vitæ æternam ſalutem prolis præferre debet.

℞. 3. Si fœtus nondum ſit animatus, aut ſi animatus ſimul putetur cum matre moriturus ante partum, licet dare matri pharmacum directe tendens ad ejus curationem, licet per accidens ſequi poſſit expulſio fœtus, ſi aliud medium non ſuppetat ; quia periculum fœtui forte oriturum compenſatur per ſpem ſalvandi matrem, & fœtum.

(51) *Obſ.* 1. Procurans, præbens auxilium, vel conſilium, ſecuto effectu abortus animati incurrunt 1. *Excommunicationem* ipſo facto reſervatam Epiſcopo. 2. *Irregularitatem* reſervatam Papæ. 3. *Privationem beneficii, & dignitatis*, ſi quam habeant, ſed poſt ſententiam declaratoriam criminis (a). 4. *Inhabilitatem ad dignitates, & beneficia obtinenda.*

Obſ. 2. In dubio, an fœtus fuerit animatus, aut medium adhibitum ad expulſionem contulerit, adeſt irregularitas; non tamen, ſi mas expellatur ante quadrageſimum diem a conceptu: quia cenſetur non animatus. In dubio an fœtus expulſus poſt quadrageſimum fuerit mas, cenſetur talis ; ita obſervari dicitur a S. Pœnitentiaria.

(52) Q. 3. ***Quænam peccata reducantur ad homicidium illicitum ?***

 ℞. Om-

(a) *Vid. Part. I. T. de Legib. n.* 39.

℟. Omnis injuſta verberatio, læſio, mutilatio, cruciatus, incarceratio reducuntur ad homicidium, & dici poſſunt quædam hominis inchoata occiſio; hinc ubi hæc vitæ humanæ graviter nocent, ſunt peccata mortalia contra præceptum: *Non occides.* Idem eſt de rixis, ſi ſimilium adſit periculum.

QUÆSTIO II.

(53) *An liceat occidere invaſorem vitæ, rerum temporalium, & pudicitiæ, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ?*

Invaſus tunc ſervat *moderamen inculpatæ tutelæ:* quando præciſe facit id, quod ad vitæ ſuæ defenſionem V. G. neceſſarium eſt; unde ſi illam tueri poſſit minis, verbis, fuga, non poteſt percutere: ſi percutiendo, vel retundendo arma, non poteſt mutilare: ſi mutilando, non poteſt occidere: ſi autem in illis excedat, certum eſt peccare graviter, vel leviter ſecundum exceſſum. In actuali tamen defenſione invaſus non debet ſcrupuloſe ratiocinari, an hic, vel ibi tangere liceat invaſorem, ne talibus occupatus facile cauſa cadat.

(54) *D.* 1. Injuſtum aggreſſorem vitæ licet occidere, ſi aliter quis ſe defendere non poſſit, non intendendo alterius mortem, ſaltem directe, ſed propriam vitam conſervare; lex enim naturalis dictat, quod vitam propriam poſſim præferre alienæ; adeoque injuſtam vim vitæ propriæ illatam æquali vi repellere licet, ſi aliter averti nequeat.

Reſ. 1. Licet filio occidere patrem, ſubdito Superiorem, laico Sacerdotem ſine ullo excommunicationis, irregularitatis, impietatis periculo; quia jus intimum conſervandæ vitæ hæc omnia excludit.

Reſ.

Reſ. 2. Licet occidere furioſum, amentem, ebrium &c.; licet enim hi non peccent formaliter me aggrediendo: quia tamen mihi licitum eſt vitam meam conſervare, etiam licet vim vi repellere.

Reſ. 3. Invaſus licite ſe defendit, licet cauſam aliquam dederit invaſori, V. G. calumniando, irridendo, &c. quia ſicut ob calumniam meam non acquiſivit per hoc jus me occidendi, ita nec amiſi jus me defendendi.

Reſ. 4. Non teneor fugere, ſi prævideam periculum, quod fugiendo ſim a tergo occidendus; alias, ſi fugiendo poſſim tueri vitam, teneor fugere; ſaltem ſi ſine meo magno incommodo, & dedecore poſſim; quod additur: quia aliqui ſuſtinent, quod, ſi invaſus ſit vir militaris, vel nobilis, cui fuga eſſet valde probroſa, non teneatur fugere; quia non tenetur cum tanto ſuo dedecore mortem injuſti invaſoris vitare; ſed contrarium eſt magis Chriſtianum.

Reſ. 5. Non tenetur invaſus exſpectare, donec invadens primum ictum dederit, ſed poteſt illum accedentem prævenire, ne præventus non poſſit ſe defendere.

(55) *Reſ.* 6. Illicite tamen prævenires inimicum, quem ſcis quærere opportunitatem te occidendi, cum necdum reputetur invaſor.

Reſ. 7. Sic nec videtur licere uxori occidere maritum, quem ſcit occultaſſe gladium, ut ipſam de nocte interficiat, etiamſi domo exire non poſſit: quia poteſt maritus animum mutare, uxoris precibus, lacrymis flecti, & invaſio illa non videtur ſatis actualis, quam ſi liceret prævenire, multis inconvenientiis janua aperiretur. Contrarium tamen tenent alii.

Reſ. 8. Licite defendo me contra illum, qui ſolvit canem ferocem, ut me dilaceret; quia ex tunc moraliter me invadit.

Reſ. 9. Non licet occidere illum, qui impoſitione falſi criminis parat circumvenire Judicem, a quo ideo prævides mortis ſententiam tibi imminere; quia illa ſunt nimis remota, multis abuſibus obnoxia, cum homines ex averſione, aut alio pravo affectu ſibi facile fingant ejusmodi pericula. Ob eandem rationem non licet occidere volentem inferre calumniam gravem, impedientem a conſecutione alicujus boni, ad quod tantum habes ſpem, aut etiam jus: Contrarium enim damnatum eſt ab *Innoc. XI.* (a)

Reſ. 10. Non ſervat moderamen inculpatæ tutelæ, qui fugientem, a quo vulnus etiam lethale accepit, vulnerat, aut occidit. Sic etiam practice loquendo eſt injuria, ſi quis percutientem, & jam deſiſtentem repercutiat, niſi hoc neceſſarium ſit ad impediendam ulteriorem injuriam; quia alioquin fit ſub ratione vindictæ, quæ privata authoritate nunquam eſt licita.

Reſ. 11. Quia iniquus aggreſſor eſt in evidenti damnationis periculo, poteſt quis ex charitate ei parcere; ſi prudenter credat, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, nec tenetur homo tam horrendo medio, ut eſt occiſio proximi, vitam ſervare; ad hoc tamen non tenetur; quia alter per ſuam malitiam eſt in tali periculo, & poteſt, ſi velit, ſe ſalvare deſiſtendo.

(56) *D.* 2. Licitum eſt occidere invaſorem bonorum temporalium, ſi aliter ſalvari aut recuperari nequeant, adſintque ſequentes conditiones. 1. Ut ſit bonum jam acquiſitum, non acquirendum tantum. 2. Ut occulta compenſatione, via juris, aut ſimili modo ſine magnis moleſtiis recuperari nequeat. 3. Ut ſit res magni momenti conſideratis circumſtantiis neceſſaria pro ſuſtentatione vitæ, vel ſaltem conſervatione ſtatus; hinc ſiquis pro fructibus, vel gallinis capiendis

(a) *Prop.* 32. & 33.

dis murum noctu aſcendat, eſt contra juſtitiam illum occidere. 4. Ut fur rem actu adhuc invadat, aut fugientem ita inſequaris, ut adhuc cenſearis eſſe in poſſeſſione civili, non autem, dum jam rem tuam domi pacifice habet. *Ratio concluſionis contra plures eſt:* quia alias licentia furum, & prædonum nimis invaleſceret, & bona temporalia ſunt per ſe neceſſaria ad vitam conſervandam. *Deinde* id permittitur utroque jure, & probat conſuetudo gerendi bella ob bona temporalia, ubi multi occiduntur, nec charitas exigit, ut quis faciat magnam jacturam bonorum temporalium pro vita proximi, niſi is eſſet in neceſſitate gravi, vel extrema, quod hic non eſt. Debet autem eſſe evidens, quod grave damnum inferatur, & quod non poſſit moraliter alia via impediri aut recuperari.

Reſ. Hæc maxime valent de fure nocte infringente fores, &c. quia tunc ſæpe ſubeſt periculum vitæ; valent tamen etiam de fure diurno; quod autem jura dicant: nocturnum, non diurnum poſſe occidi, ideo eſt: quia diurnus, ſi ſit inermis, plerumque ſine occiſione poteſt abigi, capi, &c. aut res ablata recuperari.

(57) *D.* 3. Licitum eſt ſervato moderamine inculpatæ tutelæ occidere violentum aggreſſorem pudicitiæ. *Prob. a fortiori*, quam de bonis temporalibus; quod ſi tamen periculum conſenſus deeſſet, charitati conformius quis faceret mere paſſive ſe habendo, ſi aliter reſiſtere non poſſet, ob æternam alterius damnationem; ſed in praxi vix aberit periculum in fornicatione, & ſimilibus, ideoque huic ſe exponere non tenetur propter alterius malitiam.

Reſ. Puella, quæ ab aliquo vi, vel fraude tactum paſſa eſt, poteſt fugienti alapam infligere, non in vindictam, ſed defenſionem pro futuro; ſi enim diſſimulet, credet is, id ei placere, & facile repetet.

Obſ. Quibus licitum eſt alium in ſui, ſuarumque rerum defenſionem occidere, vel mutilare, etiam idem licitum eſt pro tuenda vita, & rebus alterius innocentis: imo plerumque ex charitate obligatorium, ſi ſine gravi incommodo poſſit, *dr. plerumque*; quia ſi aggrediens eſſet pater, vel alius proxime conjunctus, pietas prohiberet occidere pro defenſione extranei.

Nota 1. Ea, quæ modo circa bona temporalia magni momenti, defendenda etiam cum occiſione injuſti invaſoris, dicta ſunt, a gravibus quidem Theologis hodiedum, & privatim, & publice propugnantur; attamen Theologi etiam primi ſubſellii contrariæ adhærent opinioni, ducti ſequentibus præcipue motivis. 1*mo*. Quia præceptum illud, *non occides*, neque in ſacra ſcriptura, neque in Patrum decretis, neque in jure canonico limitatur, cum de bonis fortunæ ſermo eſt. 2*do*. Quia Exodi 22. expreſſe prohibetur, ne fur diurnus occidatur; quia *poterat diſcerni*, *quod ad furandum*, *non ad occidendum veniſſet*; igitur eum, qui duntaxat ad furandum venit, non licet occidere. 3*tio*. Ex *S. Auguſtino*, qui lib. 1. de lib. arbitrio ait; *quomodo apud divinam Providentiam liberi erunt*, *qui pro his rebus*, *quas contemni oportet*, *humana cæde polluti ſunt.* 4*to*. Quia non licet præferre bonum ordinis inferioris bono ordinis longe ſuperioris, ei præſertim, cujus jactura eſt irreparabilis, quale eſt bonum vitæ reſpectu bonorum vitæ. 5*to*. Propter propoſitiones damnatas, ex quibus tres ab Alexandro VII. & quatuor ab Innocentio XI. in hac ipſa materia confixæ ſunt ex nulla alia ratione; quam quia alias, ſi talia velut licita defenderentur, via patens homicidiis panderetur.

Nota 2. Sententiæ, quæ de defenſione pudicitiæ cum occiſione injuſti invaſoris paulo ante relata eſt, præter magni nominis Theologos etiam *S. Auguſtinus* con-

contradicit; hic enim lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. ſic ait: *De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtituta, quando quidem virtus eſt? Unde a violento ſtupratore eripi nec ipſa poteſt. Quidquid igitur erepturus erat ille, qui occiditur, id totum in poteſtate noſtra non eſt: quare quemadmodum noſtrum appellandum ſit, non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: ſed quo ipſos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Ad periculum autem conſentiendi in delectationem, adeoque peccandi reſpondet, idem S. Doctor lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. his verbis: *Quis ita deſipiat, ut dicat; jam nunc peccemus, ne forte poſtea peccemus, jam nunc perpetremus homicidium, ne forte poſtea incidamus in adulterium?*

QUÆSTIO III.

(58) *Quid reſtituendum ratione homicidii, aut mutilationis?*

D. Pro vita aut membro hominis liberi præciſe nulla debetur reſtitutio ante Judicis ſententiam, bene vero pro damnis temporalibus concurrentibus ab injuſto occiſore, vel mutilatore. *Ratio primi eſt*: quia bona unius ordinis non debent compenſari per bona alterius ordinis, utpote inter ſe ex natura ſua non commenſurabilia, adeoque tunc obtineri non poteſt intenta a juſtitia æqualitas, nequidem quoad partem; ſic, qui infert damnum ſpirituale inducendo in peccatum, non tenetur reſarcire per pecunias. *Dixi: ante Judicis ſententiam;* ſi enim hic aliquid imponat per modum pœnæ, utique ſolvendum eſt. *Ratio ſecundi eſt:* quia ſunt injuſte illata, & ad æqualitatem compenſabilia, ergo per ſe loquendo compenſanda.

Ob. Qui non poteſt reſtituere ad æqualitatem, debet reſtituere, quantum poteſt; ſic qui non poteſt dare mille, tenetur 100. aut 10. quos poteſt; ergo quamvis non poſſit pro vita ſatisfieri ad æqualitatem, debet fieri, quantum poteſt. ℞. *d. a.* In bonis ejusdem ordinis. *c.* diverſi. *n. diſp. eſt*: quia, qui dat 100. ponit initiative æqualitatem, & dat partem debiti; qui dat mille, imo centum millia, non dat partem vitæ, & famæ.

Reſ. 1. Nihil eſt reſtituendum pro deformitate cicatricis, quæ ex vulnere contracta eſt: eſt enim damnum corporis, quod in homine libero non poteſt æſtimari pecunia. Aliud eſt de mancipio; hujus enim corpus, & vita ratione operarum pretio æſtimatur, & inter bona temporalia reputatur non minus, quam vita, & corpus jumenti.

(59) *Reſ.* 2. Puellæ, & juveni in facie deturpato per vulnus reſarciendum eſt damnum, quod inde patitur in ordine ad contrahendum V. G. pinguius matrimonium.

Reſ. 3. Injuſtus occiſor, vel mutilator tenetur integre reſtituere expenſas neceſſarias, non vero ſuperflue factas in Medicos, Chirurgos, &c.: ad funeris tamen expenſas non tenetur; quia & poſtea faciendæ erant, niſi jam eſſent majores ratione loci, vel aliarum circumſtantiarum; has enim tenetur ſolvere; quia earum fuit cauſa injuſta.

Reſ. 4. Tenetur ad omne intereſſe lucri ceſſantis, & damni, quod inde vulnerato, vel familiæ emergit; quia cenſetur prævidiſſe in confuſo, aut culpabiliter ad ea non reflexiſſe. V. G. opifex læſus laborare non poteſt; quia eſt injuſta horum cauſa: deductis tamen expenſis; quas læſus alias facere debuiſſet. Non tamen deducendi ſunt labores, quibus hoc lucrum comparare debuiſſet; quia quod hos non poſuerit, evenit

per

per alterius injuriam, ſicut qui opificem impedivit a lucro diei, tenetur ad totum lucrum ceſſans.

Reſ. 5. Lucrum ceſſans, & damnum, quod occiſus incurrit ante mortem, reſtituendum eſt hæredibus etiam extraneis; quia defunctus jam acquiſierat jus ad hanc compenſationem: jura autem realia defuncti tranſeunt ad hæredes; qui ſi deſint, expendenda ſunt in cauſas pias, ut proſint animæ occiſi.

(60) *Reſ.* 6. Si occiſus uxorem, proles, vel parentes habuerit, his damnum emergens, & lucrum ceſſans reſtituendum eſt ſecundum ſpem judicio prudentum metiendam attentis circumſtantiis, ſcilicet occiſi valetudine, robore, ætate, peritia, artificio, modo vivendi, & lucrandi, deductis expenſis, & iis, quæ conſumpſiſſet; quia hi faciunt unam moraliter perſonam cum defuncto, & damnificantur directe cum illo; cum autem difficile ſit definire, quantum illis debeatur, expedit cum illis transactionem facere, attamen ſine dolo, & vi, ne quaſi coacte conſentiant.

Reſp. 7. Si uxor occiſo marito æque commode nupſerit, aut gratis ab alio alatur, ſi proles jam ſint adeptæ pubertatem, & ſe ipſas alere poſſint, occiſor liberatur ſaltem ab hoc onere alimentandi, licet ad alia teneatur. Talibus enim defunctus non tenebatur alimenta providere, & occiſor non obligatur, niſi in quantum ſuccedit in obligationem occiſi.

Reſ. 8. Hæredibus non neceſſariis, ut fratribus, cognatis, amicis, quos ex ſola charitate alebat, non tenetur ſaltem ex juſtitia compenſare damna inſecuta. Ita videtur probabilius, & praxi magis conforme; quia hi non cenſentur unum moraliter cum defuncto, ideoque & per ſe, & directe non damnificantur in, & cum illo, ſed per accidens, & remote; adeoque occidens non cenſetur phyſica cauſa, nec moralis;

ralis; ſi tamen damna illa intendiſſet, quod rariſſimum eſt, dicunt communius teneri; quia intentio faceret, ut actio externa directe connecteretur cum damno aliorum, adeoque eſſet formaliter injuſta reſpectu damnificatorum.

Reſ. 9. Neque creditoribus occiſi tenetur, licet damnum inde patiantur; quia & hoc damnum per accidens evenit. *Deinde* ſi hæredibus reſtituatur lucrum ceſſans, & damnum emergens, ab his ſolutionem petere debent creditores.

Ob. Qui injurioſe impedit aliquem a bono ſperato, tenetur pro rata ſpei (a); ſed hoc hic fit; ergo. ℞. 1. Ergo & iis, qui promotionem, commendationem apud Principem, eleemoſynam, &c. ſperabant, quod nemo dicit. ℞. 2. *d.* qui impedit per actionem per ſe, & proxime conjunctam cum damno. *c.* remote tantum per accidens conjunctam. *n.* primam, utpote per ſe influentem in damnum, prohibet juſtitia, non ſecundam. ℞. 3. *D.* 1. Niſi ex univerſali conſuetudine habeatur eum non obligari, prout hic eſt C. ſecus N. De hoc argumento ſatis difficili videri meretur *P. Mayer*, *n.* 738.

(61) *Reſ.* 10. Occiſus non potuit *licite* remittere obligationem reſpectu filiorum, uxoris, parentum, cum hoc cedat in ipſorum præjudicium; an *ſaltem valide ?* Diſputatur: videtur, quod non; quia hi immediate læſi ſunt, & habent jus quæſitum, ne per vim directe impediantur, de quo jure occiſus non potuit diſponere.

Dices. Si provocans in duello occidatur, provocatus ad nihil tenetur, quia provocans cenſetur omnia damna donaſſe; idem eſt, ſi duo ſe invicem provocent; ergo poteſt condonare. ℞. Non ideo, ſed quia occiſio non eſt injurioſa provocanti, qui ceſſit juri in pro-

(a) *Vid. de reſtit. in Commun. Q.* 7. *n.* 10.

propriam vitam, unde nec hæredes occiſi injuſte per vim privantur ſpe: a quo titulo oritur obligatio reſtituendi.

Obſ. Si moriturus dicat, ſe condonare, intelligitur de offenſa, & injuria, pro qua debetur ſatisfactio, non de damnis; niſi exprimatur.

Reſ. 11. Si mors ſecuta ſit non ex vulnere, ſed negligentia læſi, vel Chirurgi, vulnerans non obligatur reſtituere ut homicida, ſed ut vulnerans. *Dixi: negligentia;* quia ſi in tali V. G. loco non potuerit haberi Chirurgus, cenſetur, pro tali loco, & tempore vulnus lethale.

Reſ. 12. Per ſe non excuſat a reſtitutione damnorum pœna talionis, quæ in vindictam criminis, & aliorum horrorem a Judice infligitur: ſicut per ſuſpendium furis non ceſſat obligatio reſtituendi res furto ablatas; ſi tamen ab hæredibus occiſi V. G. nobilibus aut divitibus nihil exigatur, cenſentur contenti morte occiſoris. *Denique* communior jam eſt ſententia, injuſtum occiſorem non teneri ex ſtricta juſtitia ad preces, ſacrificia &c. pro anima defuncti; æquitas tamen poſtulat, hæc fieri, & a Confeſſario pro ſatisfactione Sacramentali ſaluberrime injunguntur.

QUÆSTIO IV.

Quid reſtituendum ob ſtuprum, & adulterium?

Stuprator dicitur, qui invitam, *deflorator*, qui conſentientem virginem corrumpit (a).

(62) 1. Deflorator in conſcientia non tenetur ad aliquam reſtitutionem; volenti enim, & libere conſentienti non fit injuria; in foro tamen externo ob commune

(a) *Vid. Part. I. Tract. 2. de peccat. n.* 41.

mune bonum cogitur a judice eam dotare, aut aliam mulctam ſolvere.

(63) *D.* 2. Qui promiſſione matrimonii puellam ſeduxit, tenetur eam ducere, ſi ipſa velit; ſi enim fuerit promiſſio vera, eſt contractus oneroſus: ſi ficta, tenetur elicere verum conſenſum; & hoc mediante facere contractum validum; *ut dicetur infra* (a).

Reſ. 1. Stuprator tenetur ad omnia damna virgini, vel ejus parentibus inde obvenientia, & ad ſatisfactionem pecuniariam, ſi ipſa nolit ei nubere; ad quod cogi non poteſt, cum matrimonium debeat eſſe liberrimum; debet ergo tunc prolem alere, & defloratam dotare, quantum ſufficit, ut æque utiliter nubere poſſit.

Reſ. 2. Si ex ſtupro nulla virgini, vel parentibus ſint damna ſecuta, eoquod res manſerit occulta, & æque honeſtum ac utile matrimonium ſit conſecuta, ad nihil tenetur; non enim aliquid debet pro integritate corporis, quæ non eſt pretio æſtimabilis. Idem eſt, ſi corrupta ipſamet factum propalaverit. Quod autem dicitur de virgine, etiam tenet de corrupta, ſi paſſim habeatur virgo.

Reſ. 3. Si puella ex circumſtantiis facile potuerit advertere fictam promiſſionem, ut ſæpe fit, quando eſt magna diſparitas in nobilitate, divitiis, &c. Item ſi finxerit ſe virginem, cum non eſſet, ſi ex conjugio timeantur gravia ſcandala, &c. ſi puella ex poſt permittat ſe ab alio ſeduci: ſi nolit ei nubere, ſi parentes ex gravi cauſa nolint, promittens non tenetur eam ducere.

(64) *D.* 3. Adulter pro injuria præciſe conjugi illata debet tantum ſatisfactionem per petitionem veniæ, aut alia ſigna doloris; quia pro injuria ſeparata a dam-

(a) *de Contract. in gen. n.* 4.

a damno plus non tenetur (a); hinc ubi res manet occulta, ceſſat hæc obligatio. Partu ſecuto tenetur mater prolem alere primo triennio, ſed nonniſi dando lac, ad alia tenetur adulter (b), qui & reliquo tempore alere tenetur, donec proles poſſit ſibimet ipſi alimenta acquirere: in defectu adulteri tenetur mater; ſi tamen adultero non conſtet, prolem eſſe ſuam, probabiliter ad nihil tenetur (c). Probabilius tamen videtur, quod teneatur pro rata dubii; quia non eſt æquum, quod maritus innocens totum præſtet, & adulter nihil, cum per actionem de ſe damnificativam innocentem conjecerit in certum periculum injuſti damni actu probabiliter ſecuti.

Ob. In dubio præſumitur pro matrimonio, cui tanquam favor proles adjudicatur. *Deinde* in dubio melior eſt conditio poſſidentis. ℟. *Ad* 1. Innocentia prolis meretur, ut in dubio habeatur legitima, poteſtque cum aliis dividere hæreditatem: nullam autem præſumptionem favorabilem meretur adulter. *Ad* 2. A potiori melior eſt conditio mariti, & hæredum innocentum, qui etiam ſunt in poſſeſſione ſuorum bonorum.

Reſ. 1. Adulter, & adultera tenentur compenſare damna, quæ marito, & prolibus legitimis ex nata prole eveniunt; horum enim ſunt injuſta cauſa, teneturque uterque æque primo, ſi libere conſenſerit, & in alterius defectu in ſolidum; *ut ſatis colligitur ex dictis ſupra* (d): quæ, ſicut alia multa, facile probantur ſpeculative, ſed difficulter deducuntur ad praxin.

Reſ.

(a) *Vid. de Reſtit. in Comm. n.* 16.

(b) *Vid. de Pietate & Obſervantia. n.* 74. *Dic.* 4.

(c) *Vid. de Reſtit. in Comm. n.* 64.

(d) *Vid. de Reſtit. in comm. n.* 73.

Reſ. 2. Modi compenſandi in praxi hæc damna communiter aſſignantur ſequentes : 1. Si adulter occulte V. G. per Confeſſarium ſub aliquo prætextu ſummam pecuniæ tradi curet marito, aut filiis legitimis. 2. Si ſub prætextu aliquo amicitiæ aut ſimili modo illis aliquid leget, ſed ita caute, ut non detur occaſio ſuſpicandi. 3. Si adultera relinquat illi bona paraphernalia, aut alioquin libera. 4. Si diligentius rem familiarem curet, de ſumptibus ſolitis minuat, ſi ſpurium deſtinet ad labores extraordinarios ; ſi beneficium, vel officium illi procuret; ſi ſuaviter ad ſtatum Religioſum inducat, &c. quod vero non teneatur ordinarie crimen manifeſtare, *jam ſupra dictum eſt* (a).

DISSERTATIO IX.

DE INJURIIS IN BONIS SPIRITUALIBUS, AC NECESSARIA RESTITUTIONE.

QUÆSTIO I.

(65) *Quanta ſit injuria, & quæ obligatio illius, qui alium inducit ad peccatum?*

D. 1. Qui vi, fraude, vel metu gravi etiam reverentiali alterum inducit ad peccatum mortale, peccat graviter contra juſtitiam : quia cauſat illi grave damnum, ſcilicet : privationem gratiæ, augmentum pœnæ æternæ, & majorem difficultatem reſurgendi; quo enim magis augentur mortalia, eo magis ſubtrahuntur gratiæ actuales *per ſe loquendo.*

D. 2.

(a) *de Reſtit. in comm. n.* 92.

D. 2. Qui alterum vi, vel fraude induxit ad peccatum, aut ab alicujus virtutis exercitio abduxit, tenetur ex juſtitia non tantum vim, fraudem, metum, ſi adhuc durent, tollere, ſed & efficaciter laborare, ut ſeductus gratiam per peccatum amiſſam recuperet, aut opera virtutis neglectæ exerceat, uti & damna fortunæ inde ſecuta reparare; quia fraus, vis, & metus annexam habent injuriam; cauſant enim aliquid involuntarii; ſed omnis injuria debet ex juſtitia reparari: ergo. *Deinde* qui alterum per fraudem, & metum induxit, ut ſibi noceret in bonis fortunæ, tenetur ex juſtitia damnum reparare; ergo a fortiori, qui induxit, ut ſibi noceret in bonis animæ.

Reſ. 1. Qui alterum falſa dogmata docuit, ſicque ad errorem in fide, aut bonis moribus induxit, non ſolum tenetur ex juſtitia falſitatem detegere, ſed & monendo, ſuadendo, Deum per ſe, & alios orando, deceptum, quantum in ſe eſt, ad pœnitentiam reducere.

Reſ. 2. Qui alterum graviter læſit in bonis animæ naturalibus, V. G. medicamine privavit uſu rationis, tenetur ex juſtitia tollere maleficia, ſi adhuc durent, & damna inde orta reſarcire. *Ratio* patet ex ſuperioribus. Idem eſt, ſi alterum vi, vel fraude averterit à ſtudio litterarum; pro ablato tamen uſu ſenſus V. G. memoriæ nihil tenetur reſtituere; eſt enim bonum ordinis ſuperioris, adeoque pretio non æſtimabile; damna vero ſecuta, aut ſecutura pro rata ſpei ad prudentis arbitrium compenſari debent.

(66) *D.* 3. Qui conſilio, aut alio modo ſine fraude, vi, aut metu alium induxit ad peccatum, tenetur ex ſola charitate procurare emendationem; quia non peccavit contra juſtitiam; *Scienti* enim, & ſponte *conſentienti non fit injuria. Deinde* conſulens alteri V. G. furtum tenetur quidem reparare damnum illa-

tum tertio, non tamen illud, quod inde patitur inductus, qui voluntarie ſe hujus periculo expoſuit; ergo & hic. Æquitas tamen naturalis exigit, ut, qui author eſt mali, laboret præ cæteris, ut emendetur; adeoque debet monendo, pro ipſo orando, &c. procurare converſionem.

QUÆSTIO II.

(67) *Quomodo peccet, & ad quid teneatur, qui aliquem retrahit a Religione?*

D. 1. Peccant graviter parentes, conſanguinei, & quivis alii, qui aliquem, vel aliquam ab ingredienda Religione absque rationabili cauſa retrahunt; quia retrahere a tanto bono eſt grave malum; hinc *Tridentinum* (a) excommunicat omnes, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem ingrediendi religionem, vel votum emittendi ullo modo ſine juſta cauſa impedierint. *Dixi: absque rationabili cauſa;* ſi enim ex tali fiat, bene fit. Hujusmodi cauſæ ſunt ſequentes: ſi ſtatus ille ingredienti prævideatur noxius: ſi in illa Religione, vel monaſterio non vigeat diſciplina monaſtica: ſi complexio volentis ingredi ſit tali inſtituto inepta: ſi laboret aliquo impedimento: ſi parentes graviter egeant ejus auxilio; tunc enim licite ingredi non poteſt. *Denique* licitum eſt parentibus ad tempus diſſuadere ingreſſum, ſi prudenter dubitent de viribus, vel conſtantia, ut ſic magis probent; peccant autem graviſſime, ſi exponant periculis peccandi, alliciant ad voluptates illicitas, ut ſic a propoſito avocent. In dubio, an cauſa diſſuadendi ſit juſta, ſtandum eſt pro Religione, quæ perfectior eſt, & ſecurior.

(c) *Seſſ.* 25. *cap.* 18. *de Regular.*

(68) *D.* 2. Qui per vim, fraudem, aut metum gravem impedit, aut abſtrahit aliquem a Religione, vel ingredienda jam reſolutum, vel profitenda Novitium, peccat graviter contra juſtitiam, adeoque tenetur reparare omne damnum emergens, & lucrum ceſſans, compenſare ſpem, &c. tum Religioni, quæ jus habet, ne tali modo impediatur a bono ſperato: tum ipſi abſtracto; quia & huic fecit injuriam, ideoque tenetur hortari ipſum ad bonum propoſitum, Deum pro illo orare, &c. Aliud eſt, ſi ſolis precibus, ſuaſione, &c retraxerit; tunc enim nulli fecit injuriam.

(69) *D.* 3. Qui per vim, metum, aut fraudem retrahit a Religione jam profeſſum, tenetur de damno ſecuto tum Religioni, tum profeſſo; qui autem precibus tantum, aut conſilio, adhuc tenetur Religioni, non profeſſo. *Ratio primi eſt:* quia utrique facit injuriam; Religioni (quæ jam habet jus ſtrictum in ipſum) & Religioſo; quia adeſt vis, adeoque injuria. *Ratio ſecundi eſt:* quia licet profeſſus, utpote ſponte conſentiens non patiatur injuriam, patitur tamen Religio, quæ privatur emolumento ſibi ex induſtria ſubditi debito. Interim ſi damna illa per alium compenſentur, non eſt obligatio reſtitutionis.

Ob. Religioſus non tenetur laborare ex juſtitia, ſed obedientia tantum; ergo ſicut ille non agit contra juſtitiam non laborando, ita nec impediens ipſum a labore. ℞. *t. a.* quod facile negatur: quia a monaſterio alimenta, & neceſſaria recipit, *n. c.* quomodocunque enim obligetur profeſſus, ſufficit, quod monaſterium habeat jus ad commoda ab eo procuranda, ſicut poſſidens arborem habet jus ad fructus; ergo ſine injuria privari non poteſt.

Q. Quid de Religioſis negantibus ſine gravi cauſa Novitio ſuffragium ad profeſſionem?

(70) ℞. Peccant graviter 1. contra charitatem; quia, quantum in ſe eſt, expellunt, & Novitius vix poteſt repelli ſine gravi ſuo detrimento, ac læſione famæ; hoc enim communiter apud homines tribuitur dedecori. 2. Contra juſtitiam commutativam; quia Novitus per novitiatum acquiſivit jus ad profitendum, ſi inveniatur dignus, & interceſſit contractus ſaltem implicitus; econtra etiam graviter peccant, & Religioni inferunt injuriam damnoſam, qui approbant indignum. Sed quid, ſi de Novitii idoneitate graviter dubitetur, adeoque an recipiendus, an rejiciendus ſit? ℞. Eſſe rejiciendum: quia juxta *Tridentinum* ii ſoli ſunt recipiendi, qui poſt probationem inventi fuerint habiles; ſed is, de cujus idoneitate vere dubitatur, non cenſetur habilis; ergo.

Reſ. Cauſa negandi ſuffragium eſt, ſi Novitius ratione ſuæ indolis, complexionis, valetudinis, defectu talentorum, &c. judicetur futurus gravis Religioni, ſi timeatur notabile detrimentum, ſive ſpirituale, ſive temporale. Interim, dum agitur de candidato recipiendo ad Novitiatum, debent Superiores, & illi, ad quos ſpectat admittere, prius de habilitate debite inquirere; dum enim Novitiatum peregit, ſecundum aliquos videtur habere jus ad profeſſionem, niſi poſitive probetur indignus. In dubio ſaltem differri poteſt profeſſio, ut idoneitas melius innoteſcat. Quodſi reſolvere te non poſſis, juſta eſt cauſa emanendi ex capitulo, aut non dandi ſuffragium.

De injuriis, & reſtitutione in particulari.

Caſus I. Titius ſtudioſus 1. cum apud nobilem pranderet, furatus eſt cochlear argenteum affabre factum. 2. Hoſpiti furatus eſt unum nummum poſt alium,

(a) *Seſſ.* 25. *de Regular.*

alium, donec ad quantitatem magnam pervenit. 3. Parentibus ſucceſſive aliquot aureos. 4. Berta ancilla hoſpitis cuidam mulieri ſolet dare carnes reſiduas, tum quia eſt pauper, tum quia juvat in labore: denique ſubtrahit ſibi in prandio, & dat pauperibus. Q. 1. *Quid ſit furtum? Quale peccatum? Quæ materia gravis?* 2. *Qualiter peccaverit tum Titius, tum Berta?*

℟. 1. Furtum eſt ***rei alienæ occulta acceptio invito rationabiliter domino***, ubi acceptio comprehendit detentionem (a): eſt peccatum ex genere ſuo mortale (b). Materia ſufficiens ad mortale communiter ſtatuitur valor ſufficiens ad congruam ſuſtentationem pro una die illi, cui aufertur; jam enim eſt rationabiliter graviter invitus (c). ℟. 2. Auferendo cochlear argenteum peccavit graviter; quia eſt materia gravis reſpectu communis Nobilis. ℟. 3. Si cœperit furari animo perveniendi ad magnam quantitatem, ſtatim ab initio peccavit graviter; quia voluntas illa jam ferebatur in objectum grave; & ſi ſic perrexerit, ſingulis vicibus peccavit graviter; quia executio ſingulorum, ut ſubſtabat tali intentioni, eſt executio peccati mortalis (d). Si non intenderit, adverterit tamen ſe ad materiam gravem pervenire, iterum peccat graviter: ſi nullo modo adverterit, ſemper venialiter peccavit, adhuc tamen ſub mortali tenetur reſtituere; quia plene voluntarie intulit damnum grave. ℟. 4. Auferendo aliquot aureos, niſi parentes ſint valde divites, peccavit graviter; quia vix præſumi poteſt de conſenſu parentum, præſertim ſi dilapidet. Interim major hic requiritur quantitas metienda tum ex parentum facultate, affectu &c. tum ex filii opera, officio &c. iterum in quos uſus (e). ℟. 5. Berta dando de reli-

(a) *Vid. Num.* 1. (b) *Vid. Num.* 3. (c) *Vid. Num.* 6.
(d) *Num.* 7. (e) *Num.* 10.

quiis, quæ alias a vermibus corroduntur, aut muceſcunt, bene facit; quia dominus non poteſt eſſe rationabiliter invitus: de aliis non poteſt plus dare, quam prudenter præſumit conſentire dominum, aut ſincere creditur non contradicturus. Nec juvat, quod ſublevet in labore; plerumque enim hæc ſublevatio non tam in commodum dominorum, quam famularum ſit, quarum pigritia per hoc fovetur. *Ad ultimum:* ſi ideo veſperi plus manducet, male facit dando; alias non peccat, ſi adhuc laborem debitum peragat.

Caſus II. Caja vidui ſat divitis filia advertit fratri ſuo multa liberaliter impendi pro ſtudiis, veſtibus &c. non ita ſibi; hinc, ut ſe quaſi compenſet, ſucceſſive 200. florenos furata eſt. Berta ancilla juſſa ab hero, ut Thee, Caffee &c. aſſignato certo pretio emat a mercatore A, emit ab alio, a quo obtinet minori pretio; reſiduum ſibi reſervando pro induſtria, vel dono. *Q. Quid utrique dicet Confeſſarius? & quid de occulta compenſatione?*

℞. 1. Caja per ſe loquendo peccavit graviter; quia dubitari vix poteſt, quin parens id reſciens ægre tulerit, fueritque graviter invitus. Nec facit 1. quod pater multum impendat fratri; nam & ipſa accipit ſua, & cum pater ſit dominus, poteſt ex rationabili cauſa illi plus dare, modo ipſa accipiat ſuam legitimam. Nec 2. juvat, quod ipſa forte domum gubernet, multum lucretur, & frater nihil; nam quamvis aliqui doceant poſſe ideo aliquid ſubtrahere, ſi ex verecundia non audeat petere, cum tamen hoc non ſit certum, non licet occulta compenſatio, *ut dictum ſupra* (a). ℞. 2. Quia mercator, niſi herus jam ante conveniſſet cum illo, non habuit jus ad tale lucrum, illi nihil tenetur, ſed hero reſiduum dare tenetur; vix enim

(a) *Vid. Num.* 14.

enim ullus eſt herus, qui velit hæc a famulis retineri: quæ tamen ad illam alliciendam donavit mercator, poſſet retinere, ſi alias fideliter ageretur; quod additur, quia mercatores ſolent hæc honoraria inadvertenter compenſare corrumpendo menſuram, dando merces viliores &c. quod ſine dubio iniquum eſt. ℟. 3. Occulta compenſatio eſt licita, ſi debitæ adſint conditiones, nempe ſi debitum ſit certum, ex ſtricta juſtitia, alia via commode non recuperabile &c. (a).

Caſus III. Berta ſuſpicatur 1. filiam permittere turpia Cajo, a quo ardenter amatur, ideo acriter prohibet, ne ſit ſola cum illo. 2. Videt aliquem ſecreto loquentem cum perſona ſuſpecta: hinc judicat agere de libidine. 3. Dum nuper in ſilva videret hominem peregrinum a longe, cogitabat eſſe latronem, & ideo a via declinabat. *Denique* dum vicinus laudabat ancillæ ſuæ fidelitatem, dicebat: tranſeant hæc omnia, ſed ſi &c. *Q. An, & qualiter in his peccaverit Berta?*

℟. *In* 1. Laudanda eſt Bertæ prudentia; quia ſimiles confabulationes, præſertim dum amor intercedit, ſunt periculoſæ etiam inter probos. *In* 2. Si ille fuerit petulans aliquis juvenis, aut alias non adeo bonæ famæ, parum, aut nihil peccavit; quia ſufficiens eſt fundamentum: ſi fuerit vir gravis, & bonæ famæ, peccavit leviter ſuſpicando, graviter firmiter judicando (b); quia eſt leve inſufficiens indicium: potius debet judicare loqui de re ſeria, forte de ipſius emendatione. *In* 3. Non potuit judicare eſſe latronem; potuit tamen ſupponere forte eſſe latronem, & ideo declinare (c). *In* 4. Peccavit graviter peccato detractionis; quia per ſimilia in praxi valde uſitata datur anſa audientibus, neſcio, quæ mala ſuſpicandi.

(a) *Vid. Num.* 14. (b) *Num.* 17. (c) *Num.* 18.

Caſus IV. Caja confitetur 1. quandoque de proximo ſui male locuta. 2. Semel aliis narravi, quod ab aliquo Religioſo ſim tentata ad peccatum carnis, ſed non nominavi perſonam. 3. Sorori meæ de aliqua puella, quæ paſſim habetur pudica, dixi, me audiviſſe eſſe fornicatam, ſed addidi me non credere eſſe verum, & rogavi, ne ulterius propalaret. 4. De matre mortua aliis narravi, quod fuerit impia, diris imprecationibus dedita. Q. 1. *Quid ſit detractio, & quando grave peccatum?* 2. *An Caja bene ſit confeſſa?* 3. *Quomodo in ſingulis peccaverit?*

℞. 1. Detractio eſt *injuſta, & occulta famæ alienæ violatio* (a): eſt peccatum mortale, ſi defectus propalatus ſit illi perſonæ graviter probroſus, licet in ſe ſit venialis tantum, V. G. de Religioſo, vel viro gravi dicis, quod ſit mendax (b). ℞. 2. *In* 1. Non eſt confeſſa bene; quamvis enim non teneatur dicere, quid dixerit, cum omnes detractiones ſint ejusdem ſpeciei infimæ (c), tenebatur tamen dicere, an graviter, vel leviter detraxerit: & ſi graviter, quoties, & coram quot perſonis; tot enim actus includit malitias numero diſtinctas. ℞. 3. *In* 2. Si nominaverit Ordinem, peccavit graviter; quia redundat plerumque in gravem illius infamiam; peccavit etiam, ſi hunc non nominaverit, nec fuerit periculum in notitiam perſonæ, aut Ordinis veniendi: quia eſt gravis injuria ſtatus religioſi. *In* 3. Peccavit graviter; nec juvat, quod dixerit, ſe non credere; quia facile credet ſoror, & revelabit aliis, & ideo adhuc rationabiliter eſt graviter invita illa puella. *In* 4. Peccavit graviter ſimul contra pietatem.

Caſus V. Titius accuſat ſe 1. quod de aliquo, qui fictis virtutibus magnam famam compara-

(a) *Num.* 19. (b) *Num.* 21. (c) *Num.* 24.

paraverat, dixerit eſſe hypocritam. 2. De quodam Advocato, quod ſit magis verboſus, quam ſolide doctus. 3. Grave furtum Caji artificis commiſſum Londini hic divulgavit, quo factum, ut nemo ejus opera uti amplius velit. *Quid judicabit Confeſſarius?*

℟. *Ad* 1. Si fama illa quomodocunque acquiſita nulli noceat, eſt peccatum mortale, ſicut ſi peccator occultus infametur: ſi autem aliis noceat, non eſt peccatum grave per loquendo; hinc *in* 2. ſi verum ſit, non peccavit errorem vulgi detegendo; cum ille ſit pernicioſus: ſi falſum, eſt gravis calumnia obnoxia reſtitutioni, & famæ, & damnorum inde ſequentium. *In* 3. Si furtum Caji fuerit ibidem per Judicis ſententiam publicum, non peccavit contra juſtitiam (a); quia juridice privatus eſt jure ad famam in materia criminum, de quibus eſt publice condemnatus: peccavit tamen graviter contra charitatem, niſi eſſet periculum, ne alios defraudaret hic; ſi tantum fuerit notorium facto, vel fama, peccavit graviter contra juſtitiam cum onere reſtitutionis, & famæ, & aliorum damnorum; quia non amiſit jus ad famam pro his locis remotis (b); *niſi ut ſupra &c.*

Caſus VI. Cajus Aulicus frequenter loquitur Principi de æmulo ſuo, & ſemper hujus leve aliquod delictum ſubinde verum, ſubinde falſum immiſcet, quo fit, ut a Principe ignominioſe ab officio deponatur: hoc in agone exiſtens confitetur, dumque Confeſſarius renuit abſolvere, niſi reſtituat, vocat uxorem, & proles, ſed precibus harum victus ſine reſtitutione, & abſolutione moritur. Q. 1. *An per leves detractiones poſſit quis peccare mortaliter?* 2. *Ad quid Cajum obligare debuerit Confeſſarius?* 3. *Ad quid uxor, & proles teneantur?*

(a) *Vid. Num.* 27. (b) *Vid. Num.* 28.

℞. *Ad* 1. Poteſt; quia poteſt fieri gravis famæ læſio, ſi apud unum fiant; uniuntur enim in mente audientis (a), & in caſu poterat facile cogitare Princeps, quod alter ſit imprudens, rebus majoribus peragendis parum aptus &c. Hinc *ad* 2. obligare debuit Cajum, ut hinc efficaciter repararet famam etiam cum gravi proſtitutione ſua; cum in pari cauſa melior ſit conditio (b): deinde ad reparanda damna temporalia ex diffamatione ſecuta; hoc dum præſtare noluit, abſolvi non potuit. *Ad* 3. Hæc damna tenebantur reparare; non vero famam, niſi cauſa ſint, quod defunctus etiam famam non reſtituerit; quia hanc reparare eſt obligatio perſonalis, iſta vero realis ad hæredes tranſiens (c).

Caſus VII. Titia dum audit Cajam ſua ſervitia addixiſſe Petro, id ei diſſuadet, dicendo eſſe hominem valde mirabilem, inſupportabilem, imo Veneri maxime deditum, ideoque ſe reliquiſſe ejus ſervitium. 2. Audiens Titium eſſe notorie adulterum, id intellexit, & divulgavit de Cajo. 3. Nuper in conſortio audivit aliquem inſigniter detrahentem certæ matronæ, ubi illa ſubriſit. Q. 1. *Quandonam liceat revelare crimen alterius occultum? 2. An in his Titia peccaverit, & ad quid teneatur?*

℞. *Ad* 1. Revelatio peccati gravis occulti licita eſt 1. ad petendum conſilium, vel auxilium (d). 2. Ad correctionem, ſervato tamen ordine a Chriſto præſcripto. 3. Ad avertendum grave malum commune, vel etiam alterius innocentis. 4. Ad propriam defenſionem, ad vitanda gravia tormenta (e). *Ad* 2. *In* 1. Si alio modo potuerit Cajam avertere a ſervitio, peccavit graviter detrahendo: ſi non potuerit, & prævi-

derit

(a) *Vid. Num.* 23. (b) *Num.* 35. (c) *Num.* 36. *obſ.*
(d) *Vid. Num.* 25. (e) *Num.* 30.

derit probabilius periculum ſeductionis, non peccavit; aderat enim ratio ſufficiens revelandi. *In* 2. Tenetur cognito errore revocare, ſi ſine gravi detrimento poſſit; ſi enim ipſa ſciente prior actio pergat nocere, & non removeat, cauſa damni fiet illi voluntaria. *Vid. ſupra Tract. II. de injur. & reſtitut. in Com.* Q. 4. *Dico* 2. *n.* 18. Si autem illa nominaſſet Titium, & audientes intellexiſſent Cajum, videtur non teneri ex juſtitia; quia non narratio, ſed error audientium eſt cauſa hujus infamiæ: hoc tamen plurimi recte non admittunt; quia debeo procurare, ne ex mea actione alteri eveniat damnum. *In* 3. Si interrogando, adulando, aut ſimili modo fuerit cauſa cœptæ, aut continuatæ detractionis, peccavit graviter contra juſtitiam lædendo matronam, & contra charitatem alium ad detractionem inducendo (a): ſi nude audierit nequidem interne approbando, non tamen impedierit, per ſe loquendo peccavit graviter contra charitatem, attamen ſubinde excuſatur.

Caſus VIII. Cajus in judicium vocatus, & de enormi crimine ſemiplene convictus per unum teſtem, eidem teſti aliud grave crimen verum, ſed occultum objicit, ut fidem illius labefactet, & ſic evadat. Q. *An licite?*

℟. Licite, ſi ſic, & non aliter poſſit evadere jacturam vitæ, honoris, & bonorum (b): ſi autem crimen non poſſit probare, vel ad defenſionem non conducat, fruſtra objicitur, adeoque peccat contra juſtitiam revelando: ſic non poſſum alium appellare adulterum, qui me appellat furem.

Caſus IX. Titius revelando crimen occultum Caji eum privavit pingui beneficio. Q. *Ad quid teneatur?* ℟. 1.

(a) *Vid. Num.* 31. (b) *Num.* 30.

℞. 1. Si crimine non obſtante adhuc dignus erat, præter reparationem famæ, tenetur ad reſtitutionem pro rata ſpei, ſi nullum jus habuit: ſi autem habuerit jus ad rem, quia jam præſentatus, tenetur, quantum judicio prudentum valet hoc jus ſecundum majorem vel minorem probabilitatem beneficii conſequendi; ſi jus in re, tenetur ad totum (a). ℞. 2. Si propter crimen erat indignus, ad nihil tenetur ratione beneficii; quia Cajus non habebat jus, ne impediretur a beneficio, ſi autem alio modo potuiſſet impedire, quam revelando crimen, tenetur ad reſtitutionem famæ: quia in hac læſit injuſte, ſi non potuit impedire, niſi revelando crimen promotori, ad nihil tenetur, quia bene fecit. Si autem publice diffamaverit, cum ſatis fuiſſet ſoli promotori indicare, tenetur reparare famam apud alios perditam: quia in hoc injuriam fecit (b).

Caſus X. Berta famula altercando cum ſocia 1. varia convitia ei objicit: 2. deprehenſam in furto mox ad herum detulit, & fecit, ut dimitteretur: 3. nec ſic contenta hoc furtum cuidam domino revelando, fecit, ut ad ſervitia non aſſumeretur: 4. ſub ſecreto jurato novit, ſociam peccaſſe cum Titio, qui vult ducere hujus ſororem. Q. 1. *An, & qualiter lædatur honor? 2. qualiter reparandus? 3. qualiter peccaverit Berta convitiando? 4. qualiter revelando crimen? 5. quid de ſervando ſecreto?*

℞. *Ad* 1. Honor læditur vel negative per omiſſionem honoris debiti, quod per ſe eſt veniale tantum; vel poſitive per contumeliam, convitium &c. quæ ex genere ſuo ſunt mortalia (c). *Ad* 2. Reparatio honoris debet eſſe ſufficiens, attenta gravitate inhonorationis, qualitate perſonarum, conſuetudine locorum &c.

(a) *Num.* 36. (b) *Num.* 34. (c) *Num.* 42. & 43.

&c. (a). *Ad* 3. Per ſe loquendo peccavit graviter gravia convitia objiciendo, ſicque famam, honorem, & charitatem lædendo: in praxi ſubinde ſimiles excuſantur a mortali tum ob prædominantes paſſiones, tum quia audientes parum, aut nihil fidei adhibent. *Ad* 4. Tenebatur prius ſociam dehortari minando manifeſtationem, ſi iterum deprehenderetur, ideoque videtur feciſſe animo vindicandi non ſine gravi peccato; quo caſu non tantum tenetur reparare famam, ſed & damna inde ſecuta, curando V. G. ut æque commodum ſervitium obtineat. Juſta cauſa manifeſtandi fuiſſet timor rationabilis, ne repeteretur furtum pluries jam commiſſum, ne alii innocentes venirent in ſuſpicionem &c. *Ad ult.* ℞. Commiſſum ſecretum revelare eſt ex ſe peccatum mortale contra juſtitiam (b), niſi levitas materiæ excuſet; juſta cauſa revelandi ſecretum etiam juratum eſt damnum innocentis ejus, qui commiſit; hinc licite poterat, imo debebat denuntiare Parocho, ſi monita deſiſtere noluerit, ob Sacramenti reverentiam & peccatum vitandum (c).

Caſus XI. Titius homicidium clam a ſe patratum tibi revelavit conſilii cauſa. Cajus in quæſtionem adductus occidendus eſt, vel tu ipſe absque Titii culpa in homicidii ſuſpicionem venis, & capite periclitaris. *Quid facies?*

℞. 1. Non potes, ut Cajum liberes, prodere Titium, quia hic ipſe non tenetur ſe prodere cum æquali periculo ad impediendam Caji mortem, cujus cauſam non dedit niſi per accidens; aliud eſt, ſi Titius vellet Cajum occidere, & a propoſito avocari non poſſet, tunc enim deberes manifeſtare, qualitercunque te obligaſſes: quia obligatio tunc tacendi foret vinculum iniquitatis.

℞. 2.

(a) *Num.* 42. & 43. (b) *Vide Num.* 39. (c) *Num.* 40.

℟. 2. Si Titius poſſit ſibi conſulere per fugam, tenetur cum famæ periculo ſe prodere, & liberare Cajum, ſi hoc recuſet, licebit tibi, eo prius de fuga monito revelare ſecretum Caji liberandi cauſa.

℟. 3. In ſecundo potes Titium prodere, ſi aliter te liberare non poſſis: quia non cenſeris te pro tali caſu obligaſſe.

℟. 4. Si expreſſe promiſiſti etiam cum vitæ periculo, teneris tacere; quia, cum objectum promiſſionis ſit honeſtum, licet enim ex motivo virtutis vitam pro proximo exponere, non videtur, cur ſervari non debeat. Si autem non agatur de damno magno committentis ſecretum, non teneris ſervare cum vitæ periculo, quamvis hoc promiſeris.

Caſus XII. Superior præcipit mihi, ut revelem peccatum, quod ſub ſecreto novi. Titius per vim, vel fraudem ſecretum aſſecutus eſt. *Q.* 1. *An in primo poſſim obedire? 2. An Titius ad evitandam mortem poſſit illud revelare, ſi ille, cujus eſt ſecretum, inde æquale periculum ſubeat?*

℟. *Ad* 1. Si peccatum ſit committendum, aliterque impediri non poſſit, teneris revelare; ſi ſit commiſſum, & nulli amplius ſequatur detrimentum, aut ſi agatur de aliquo faciendo nemini nocivo, non debet revelare, niſi revelationem exigat bonum communitatis.

℟. *Ad* 2. Videtur probabilius quod non, quia injuriam continuaret.

Dices. Fur poteſt rem furtivam conſumere in extrema neceſſitate, quamvis Dominus etiam indigeat, ergo & hic.

℟. N. C. in extrema neceſſitate omnia ſunt communia, ergo quamvis injuſte acceperit, modo acquiſivit jus in illam; ſimile non eſt hic.

Ca-

Caſus XIII Petrus deriſus a Paulo gravem illi infligit alapam, Paulus mox æqualem reddit Petro. Q. 1. *Quid ſit deriſio? 2. Quale peccatum? 3. An teneamur patienter ferre injurias juxta illud: ſi te percuſſerit in unam maxillam, præbe illi & alteram? Quid ad Caſum?*

℞. *Ad* 1. Deriſio eſt *jocus de proximi defectu, ut rubore afficiatur;* quod additur; quia ſi fiat ex motivo honeſtæ recreationis non eſt peccatum, ſed non caret periculo; ſunt enim multi, qui libenter alios derident, ad minimam vero ſui deriſionem excandeſcunt. ℞. *Ad* 2. Eſt peccatum ex genere ſuo veniale; quia non infert proximo gravem injuriam vel contemptum: eſt mortale, ſi fiat animo graviter confundendi (a). *Ad* 3. Non tenemur ſemper: nam & Chriſtus, dum accepit alapam, non præbuit aliam maxillam, ſed dixit: *Quid me cædis?* Senſus præcepti eſt, ut non rependamus malum pro malo animo vindictæ, quod licitum docebant Phariſæi: quandoque oportet moderate repellere illatam contumeliam, ut alterius audacia reprimatur, tum ad ſuam authoritatem tuendam, tum proprer bonum aliorum. *Ad* 4. Petrus per ſe loquendo peccavit graviter; eſt enim de ſe injuria gravis. Paulus repercutiens etiam peccavit graviter, ſi Petrus deſiſtebat; quia poſt injuriam conſummatam repercuſſio non eſt injuriæ propulſatio, ſed ultio ſoli Deo, & ejus miniſtris competens, niſi forte fecerit ad injuriam futuram avertendam, quam audacior factus eſſet illaturus, ſed eſt periculum odii, vindictæ &c. non videntur autem teneri ad aliquam reparationem honoris (b). Licita autem eſt moderata percuſſio impudice tangentis, oſculantis etiam poſt factum; quia alias ſollicitans non credet eſſe ſerium diſſenſum, ſicque facile redibit: ideo percuſſio eſt defenſio pudicitiæ adhuc periclitantis. *Ca-*

(a) *Vid. Num.* 43. (b) *Vid. Num.* 44.

Caſus XIV. Milites, inquirendo fures de nocte, deprehendunt aliquos in caſa quadam, cumque unus aufugeret, nec monitus curſum ſiſteret, fiſtula jaculatoria occiditur, alii ſtrenue ſe defendunt. Q. 1. *An ſatellites juſſi apprehendere malefactorem, poſſint eum occidere, ſi is ſe opponat, ſuique apprehenſionem impedire nitatur?* 2. *An malefactor capiendus poſſit ſe defendere?* 3. *Quid ad caſum?*

℟. *Ad* 1. Non eo ipſo, quod mandatum ſit aliquem apprehendere, permiſſum eſt fugientem occidere; hinc male faciunt ſatellites, ſi fugientem ſclopeto petant, niſi concurrentibus certis conditionibus fuerit ſpecialiter mandatum. ℟. *Ad* 2. Poteſt ſe ex manibus ſatellitum extricare (a), non tamen illis inferre violentiam, vulnerando, percutiendo, idque verum eſt, licet innocens foret, ſi ſatellites innocentiam, prout communiter eſt, ignorent; quia bonum publicum exigit, ut non lædantur miniſtri juſtitiæ bona fide officium ſuum exequentes. Aliud foret, ſi conſtaret illos innocentiæ eſſe conſcios. Ex his patet *reſponſio ad caſum.*

Caſus XV. Venator ex mandato, aut ſaltem permiſſione ſui domini explodit ſclopetum in feripetas in ſylva deprehenſos, dum fugiunt, non ſine gravi læſione, ex qua nuper unus mortuus eſt. Q. *An licite?*

℟. 1. Nullus dominus videtur licite poſſe præcipere, aut permittere venatori, ut explodat in feripetam, quamvis mandet, ne lethaliter vulneret; quia adeſt periculum vitæ, imo æternæ damnationis, aut ſaltem graviſſimæ læſionis, & perpetuæ inhabilitatis, delictum autem illud non videtur tam grave, ut mereatur pœnam corporis ſaltem tali modo infligendam. Aliis viis deprehendi, capi, & ad pœnas meritas trahi poſ-

(a) *Vid. de judiciis. Num.* 17.

poſſunt, capiendo per inſidias, invigilando, quibus vendant carnes, cutes &c. Quod magis tenet, ſi mandet, aut permittat univerſaliter; quia ſaltem prima vice non meretur, & quid ſi eſſet Clericus? Ideo ℟. 2. Peccat graviter venator, ſi mox in feripetam explodat; quod ſerio eis prohibendum eſt a Confeſſario; conentur aliis modis invigilare. ℟. 3. Si venator advertat feripetam velle prævenire & venatorem occidere, poteſt ejaculando prævenire; non enim tenetur exſpectare inſultum (a).

Caſus XVI. Parochus advertens fures infregiſſe domum, arrepta fiſtula jaculatoria unum occidit, inclamatque auxilium a parochianis; hi fures fugientes perſequuntur, vulnerant. *Q.* 1. *An Parochus licite occiderit?* 2. *An parochiani licite fures fugientes vulnerarint?*

℟. *Ad* 1. Licite; quia fur nocturnus præſumitur ſimul invadere vitam (b). *Ad* 2. Si cum rebus magni momenti fugerint, nec aliter recipere potuerint, poterant vulnerari, imo, & occidi; adhuc enim erant actuales aggreſſores. Ita quidem tenent graves Theologi: attamen vide num. 57. notam duplicem.

Caſus XVII. Titius 1. Cajam blanditiis induxit in copulam, quæ imprægnata eſt, & occulte peperit; prolem autem exponit ab hoſpitali alendam. 2. Bertam nolentem conſentire in copulam inebriavit, & plene ebriam imprægnavit. *Q.* 1. *Ad quid teneatur, qui virginem corrupit?* 2. *Quid ad caſum?*

℟. 1. Si libere conſentientem, ad nihil tenetur, niſi prolem alere: non puellæ; quia ceſſit juri ſuo: nec

(a) *Num.* 54. (b) *Num.* 56.

nec ejus parentibus ; quia injuriam iis proprie non intulit. ℞. 2. Si vi aut fraude; tenetur ad omnia damna puellæ, ejusque parentibus inde orta (a); quia eorum fuit cauſa injuſta, & ſi aliter non poſſit, tenetur eam ducere per ſe loquendo. ℞. 3. Si promiſſione etiam ficta matrimonii: tenetur eam ducere; adeſt enim contractus innominatus ex parte puellæ impletus. ℞. 4. Cajæ nihil debet, & ſi a Judice ut ſtuprator cogatur dotare, Caja tenetur eum indemnizare; quia præſumptio non ſubſiſtit, adeoque nec ſententia illi innixa (b); hoſpitali tamen debent refundi expenſæ; quia nonniſi pro pauperibus fundatum eſt. ℞. 5. Bertæ tenetur qua ſtuprator; quia fraude induxit.

Caſus XVIII. Cajus adoleſcens dives, & talentatus vult ingredi certum monaſterium, jamque ab Abbate quaſi admiſſus eſt; quod audiens alterius Ordinis vir Eximius eum ad menſam invitat, laute tractat, diſciplinam clauſtralem inter ſuos vigentem deprædicat, ut Cajum ad ſuum ordinem alliciat, quod feliciter factum eſt. Q. *An licite, & an ad aliquid teneatur?*

℞. Licite: non enim peccavit contra religionem peccato ſimoniæ; quia allicere aliquem ad actum bonum, de ſe bonum eſt: nec contra juſtitiam; quia priori monaſterio nullum adhuc jus acquiſitum erat in perſonam: nec contra charitatem; quia ut ſupponitur non intendit damnum prioris monaſterii, ſed quæſivit emolumentum proprii per actiones de ſe honeſtas utens jure ſuo.

Caſus XIX. Alius adoleſcens dives, & nobilis firmiter propoſuerat ingredi religionem, quod advertens Titius omni ſtudio illum revocare

(a) *Vid. Num.* 63.

(b) *Part.* 1. *Tract.* 1. *de Legib. n.* 43.

care eſt conatus ; hinc duxit ad conſortia puellarum etiam ſuſpectarum, puellam divitem, & nobilem in uxorem proponit, de religioſorum vita multa falſa enarrat, ob quæ ita mutatus eſt juvenis, ut, quantum prius deditus erat devotioni, nunc irretitus ſit vitiis : modo Titius perditi juvenis vices dolens ad confeſſionem accedit. ***Q. Quid illi imponet confeſſarius?***

℞. Proponat illi peccatorum ſuorum gravitatem, & quod ex charitate ſaltem teneatur modo poſſibili per ſe, & alios abducere a vitiis, cumque propter naturam noſtram ab adoleſcentia ad malum proclivem longe facilius ſit pervertere, quam convertere, vix poteſt ſatis reſtituere: proponat illi tremenda verba, quæ Gerſon *Serm. de pœnit.* habet : *Horreant, & caveant, qui ad ſimilitudinem dæmonum gaudent alios ſecum trahere in interitum præſertim juvenes, & pueros ; tales neſcio, ſi potuerint unquam ſatis pœnitere.* Interim, ſi per calumniam fraudem, metumve ipſum abduxerit, ad reſtitutionem tenetur revocando calumniam &c. ; nec per ſe loquendo tenetur inducere, ut religionem ingrediatur ; quia non expedit Ordini, invitos induci, præſertim ſi vitio carnis dediti fuerint.

INDEX
ALPHABETICUS
RERUM ET MATERIARUM IN HAC PARTE SECUNDA CONTENTARUM.

In quo Numerus paginam, Littera V. Vide denotat.

A.

Abbatiſſa num vota ſuarum poſſit irritare 222. aut in iis diſpenſare 226.

Abigeatus quid 470.

Abortus procuratio an licita 514. hujus pœnæ 515.

Acceptio perſonarum quid 367.

Acceſſio quid, quotuplex 327.

Adjuratio quid 250.

Adoratio quid 138. quotuplex ibid. V. *Cultus*.

Adventitia bona quæ 301. V. *Bona*.

Adulter & *Adultera* ad quid teneantur 527. an Mater adultera teneatur in articulo mortis crimen revelare, ne damnificentur proles 443. Adulterum occidere an liceat 511.

Adultus quæ fidei myſteria teneatur credere in omni lege 19 ſeq. quæ in lege Evangelica 20. qualiter fides ei neceſſaria 18. hujus myſteria ignorans a quibus inſtruendus 24 ſeq.

Aggreſ-

Aggreſſor vitæ an & quando licite occidatur 516. quid de aggreſſore bonorum temporalium 518. ſententia negans 520. aut pudicitæ 519.

Agnus Dei quid, quæ ejus efficacia 251 ſeq. an temere contrectari poſſit 252.

Alluvio quid 326. V. *Dominium.*

Amicus an ſubin præferri poſſit propinquo 63.

Amor benevolentiæ quid 53. *Concupiſcentiæ* ibid.

Amphibologia quid 247.

Ancilla an & in quibus actionibus ad peccatum ordinatis licite obediat hero 106. V. *Famuli.*

Angeli an & quorum bonorum ſint domini 290.

Animæ purgantes an licite invocentur 140. an pro iis orandum 142.

Animalia cui & quomodo acquirantur 317. libertatem quando cenſeantur conſecuta ibid. ſeq.

Antiphernalium bonorum quis habeat dominium 298.

Apoſtaſia quid 37.

Apum examen fugiens cujus ſit 316.

Ars notoria quid 180.

Aſtrologia judiciaria quid, & an licita 176 ſeq. naturalis an licita 177.

Attentio quid & quotuplex 156. an ſit de eſſentia orationis 157. qualis requiratur ad orationem 158. qualis ad horas canonicas ibid. ſeq. per quæ impediatur 158. per quæ principaliter conſervetur 162. V. *Diſtractus.*

Authoritas Dei revelantis per quid conſtituatur 5.

Authoritas Eccleſiæ quotuplex 11.

B.

Belliduces ad quid teneantur 93 ſeq. ſtipendium acceptantes pro militibus ſuppoſititiis an peccent 132.

Bellum quid, quotuplex 89. Clericis an licitum ibid. quando 90. ex quo fine licitum ibid. 130. quid ſi dubitetur de ejus juſtitia 90. 130 ſeq. taliter dubitanti quænam licita 131. an utrimque juſtum 93.

Beneficiatus an & quomodo obligetur ad horas canonicas 143 ſeq. has omittens ad quid teneatur 145 ſeq. quid ſi habeat plura beneficia 143. ſi fructus non percipiat 144. ſi beneficium ad ſuſtentationem ſit inſufficiens ibid. ſi litigioſum ibid. quid de canonico, qui primis annis nihil percipit 145. vel fructus vult dare pauperibus, vel alteri clerico ut pro ſe recitet horas 253. an in horis diſtractus teneatur ad reſtitutionem 159. quorum bonorum ſit dominus 354.

Beneficium Eccleſiaſticum quibus conferri debeat 367. conferens illud minus digno qualiter peccet 368.

Blaſphemia quid 193. quotuplex 194. quale peccatum ibid. ſeq. in Deum, & ſanctos an ſit ejusdem ſpeciei 198. quid de eo, qui tribuit creaturæ, quod eſt Deo proprium 195. vel dicit: perdat te ſanguis Chriſti ibid. qui ex contemptu in cœlum ſpuit &c. 195. in ira contra hominem ſeptem V. G. nominat Sacramenta aut verba Blaſphemiæ profert ad demonſtrandam iram ibid. ſeq. ne blaſphemet verba immutat 196. contumelias dicit in ſanctos ibid. verbis ſacræ ſcripturæ abutitur ad profana 197. in ira nominat dæmonem, vel blaſphemandi habet conſuetudinem ibid. quomodo rudes hic examinandi ibid. ſeq. 262 ſeq.

Boni-

Bonitas Dei quæ ſit motivum formale ſpei 46 ſeq. quæ charitatis 53.

Bona fides ad præſcriptionem neceſſaria 330. V. *Præſcriptio.*

Bona derelicta & vacantia quæ 323. an ſint inventoris ibid. 359. quid de incertis 325. aut de iis, quæ dœmones donant 290. V. *Inventio.*

Bona temporalia quomodo a Deo petenda 140.

Bonorum ceſſio quid 445. quibus patrocinetur 447. an extinquat obligationem reſtitutionis ibid. iis cedens quænam ſervare poſſit ibid.

Bonorum genera, vel *Ordines* quot ſint 442. quæ comunia, quæ dotalia 297. quæ paraphernalia, quæ antiphernalia 298. quæ caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, adventitia 301. quæ profectitia 302. quæ patrimonialia & quaſi-patrimonialia 303. quæ vacantia & derelicta 323. quæ incerta 325.

Breviarium proprium quid & quomodo obliget 152. V. *Officium.*

C.

Calumnia quid 487.

Canoniſſæ ſæculares an obligentur ad horas canonicas 148. an teneantur orare pro fundatoribus ibid.

Carthuſianus an debeat manducare carnes ut vitam ſervet 296.

Caſtrenſia bona quæ 301. V. *Filiusfamilias.*

Caupo num peccet promendo vinum ſeſe inebriaturis 108. injuſta menſura defraudens communitatem ad quid teneatur 433 ſeq. quid ſi recipiat ſtudioſos, qui potu &c. peccunias male perdunt 396. 463. ſi recipiat fures aut furtiva 419.

Cauſæ excuſantes a recitatione horarum 162. a reſtitutione 445. a repartitione famæ 503 ſeq.

Cenſuræ propoſitionum quæ 44.

Ceſſio fori 445. V. *Bonorum Ceſſio.*

Charitas Theologica quid 53 ſeq. quodnam ejus objectum ibid. an & qualiter neceſſaria 54. per quid amittatur 58. an & quomodo obliget præceptum illius erga Deum 54 ſeq. quando hoc obliget 57. quomodo erga nos ipſos & proximum 58. quandonam hoc obliget 59. erga inimicum 64 ſeq. illius actus quomodo practice eliciendus 29. ex quo hic ſupernaturalis 54. an neceſſario appretiative ſummus 124. quis ordo charitatis ſervandus inter ſe & proximum 59 ſeq. quis inter proximos 63. an hic obliget ibid. an & quando obliget ad eleemoſynam 69 ſeq. V. *Bonitas Dei. Eleemoſyna. Neceſſitas.*

Chirurgus num pauperi infirmo teneatur ſuccurrere gratis 73. inexpertus an & quomodo peccet 513.

Chorus quomodo obliget 147 ſeq.

Chriſtiani a turcis capti quænam licite, vel illicite agant contra catholicos 107 ſeq. V. *Fidelis.*

Cingaras conſulere an liceat 259 ſeq.

Clerici quorum bonorum ſint domini 304 ſeq. 354. cui debeant impendere ſuperflua 305. num hoc ex juſtitia ibid. quid ſi ex patrimonio vivere poſſint 307. ſi plura habeant beneficia 308. an ſuperflua licite dent conſanguineis ibid. ſeq. vel ex illis ſolvant debita, aut emant prædia 309. quid de eo, qui accipit aliquid a clerico donante ex ſuperfluis in uſum non pium 310. clericorum ſuſtentatio congrua unde determinanda 307 ſeq. V. *Beneficiatus.*

Coadjutoria an obliget ad horas 143.
Cæcus an & quomodo excuſetur a recitandis horis 162. 164.
Columbarium an licitum 316. quid ſi columbæ ad aliud avolarint ibid. ſeq.
Commixtio. V. *Mixtio.*
Communicatio cum infideli an licita 39 ſeq.
Communitas religioſa an capax dominii 310. V. *Religioſi.*
Commutatio Voti, Juramenti. V. *Votum. Juramentum.*
Comœdiarum ſpectatores & actores qualiter peccare poſſint 133. V. *Hiſtriones.*
Compenſatio quid 445. quando extinquat obligationem reſtitutionis 446 ſeq. occulta an & quando ſit licita 481. 534 ſeq. quid de famulis, dum putant operam ſuam majorem ſalario 482.
Compoſitio cum Pontifice quid 445. an excuſet a reſtitutione 448.
Concionatoribus quæ cantela adhibenda in correptionibus publicis 79.
Concioni hæreticorum intereſſe an licitum 34.
Condonatio facta a creditore an deobliget debitorem 445. a quo nam fieri poſſit 446.
Condictio quid 281.
Confuſio qualiter differat a permixtione 327.
Conjux quid debeat comparti 345 ſeq. quomodo peccare poſſit contra amorem, honorem &c. ibid. quomodo obligetur ad ſocietatem 346. per quæ ab ea excuſentur ibid. an teneatur alere compartem 347.

Conſenſus quotuplex 313.

Conſentiens in damnum alterius quis, & ad quid teneatur 415. quid de eo, qui ſuffragatur ſententiæ iniquæ 415 ſeq. quid, ſi dubitet an ſuffragando nocuerit 416 ſeq. V. *Reſtitutio.*

Conſilium quotuplex 413 ſeq.

Conſulens quis, & ad quid teneatur 410 ſeqq. quid de eo, qui parato ad inferendum damnum majus, ſuadet, ut inferat damnum minus 411. aut indifferenti ut potius furetur a divite, quam paupere ibid. 461. vel paratum movet, ut libentius, atrocius, citius exequatur 412. quid, ſi conſilium ſit revocatum 413. an teneatur monere damnificandum 414. *Cooperantos.*

Contentio quid & quale peccatum 88.

Controverſiarum fidei judex quis 13. an ſpiritus privatus hæreticorum ſit talis ibid.

Contumeliæ quid 487. 507 ſeq. an ad invicem differant ſpecie 508.

Convitium quid 507 ſeq.

Cooperantes ad injuſtam damnificationem qui 406 ſeq. quo ordine teneantur reprarare damnum 425 ſeq. quis teneatur ut cauſa principalis ibid. an ſinguli teneantur ad totum 427 ſeq. quid de eo, qui pravo exemplo ad damnificationem movet 414 ſeq. V. *Reſtitutio.*

Cooperatio ad peccatum quotuplex, & an licita 105 ſeq. 135.

Correctio fraterna quid 76. quomodo ibid. ſeq. quando 77. quos 79. quo ordine obliget 80 ſeq. eam ex timore omittens qualiter peccet ibid. quid in dubio emendationis ſecuturæ ibid. num excuſet neceſſi-

ceſſitas corrigendi ad familiam bene gubernandam 129.

Credere fide theologica quid 110. credere in Deum, Deo, Deum quid 15.

Credibilitatis evidentia quotuplex 9. qualis in pueris, rudibus & infidelibus ibid. quæ ejus motiva 12. V. *Fides.*

Creditores quinam in concurſu præferendi 438 ſeq.

Crimen publicum quomodo & quando poſſit manifeſtari 493 ſeq. 538. quid ſi ſit injuſte publicatum 495. vel oblivione ſepultum ibid. occultum an liceat revelare prudenti ſolatii cauſa 491. an ob alias cauſas, & quas 495 ſeq. V. *Diffamare. Publicum.*

Culpa quotuplex 375 ſeq. qualis extra contractum inducat obligationem reſtitutionis 376. 379. quid de culpa theologica veniali ibid. qualis in officio ad reſtitutionem obliget 382 ſeq. qualis in contractu 385 ſeqq. quid de confeſſario non obligante pœnitentem ad reſtitutionem 384.

Cultus Latriæ, Duliæ, Hyperduliæ quis 138. publicus & quibus qualis deferendus 139. qualis Chriſto, B. Virgini, Sanctis & Reliquiis 138 ſeq. qualis deferri poſſit pie defunctis nondum canonizatis 139.

Curatoris obligatio erga minorennem 343.

Cuſtodes nemorum, vinearum &c. ad quid teneantur, ſi damnificantes non impediant 422.

D.

Damnum emergens quid 392. V. *Cooperantes. Culpa. Reſtitutio.*

Debita incerta cui ſolvenda 431 ſeq.

Debitum legale & morale quid 279.

Decimæ quæ & quotuplices 167 ſeq. quo jure debeantur 168. quibus 170. a quibus 171. prædiales quando ſolvendæ 169. an parocho diviti & non monenti ibid. quoties 170. quid de parocho non exigente 258. aut de eo, qui decimas defraudat 168. deteriores portiones adſignat 169. quid de decimis dubiis 170. an ad eas teneantur pauperes 171 ſeq. jus decimandi quibus competat 170. an amittatur per conſuetudinem contrariam aut præſcriptionem 172. quid de faciente numerum inæqualem manipulorum 259.

Defenſio ſui ipſius an licita 516. quid ſi invadens ſit furioſus amens 517. aut ſi huic cauſam invadendi dederis ibid.

Deflorator quis 525. ad quid teneatur ibid. ſeq.

Defuncti an proximi noſtri 54. iis detrahens quomodo peccet 492.

Delictum publicum. V. *Crimen.* qualiter corrigendum 81. aut deferendum ibid.

Denuntiatio quotuplex 80.

Derelicta res an ſit inventoris 323. an res in naufragio objecta ſit talis ibid. ſeq.

Deriſio quid & quale peccatum 543.

Deſiderare ſibi vel alteri malum an liceat 85 ſeq.

Deſperatio quid 49. quale peccatum 50. quando hæreticalis ibid. an tollat ſpem 52.

Deſperans quomodo examinandus 50. adjuvandus 123.

Detractio quid 487 ſeq. 536. quot modis fiat 487 ſeq. an una diſtinguatur ſpecie ab altera & quale peccatum 490 quid de eo, qui de altero dicit, quod amet puel-

puellas 488 ſeq. aut ſit ſcrupuloſus 489. de muliere quod ſit bibax ibid. quid ſi defectus quaſi in genere dicantur, aut ſoli defectus naturales revelentur ibid. ſeq. ſi plures defectus leves de eodem ab uno vel pluribus, vel de pluribus revelentur 490. ſi in genere dicatur: ſcio aliquid ibid. ſi crimen alterius dicatur ut dictum ab aliis & apud unicum quamvis prudentem 491. detrahens parocho quomodo peccet 552. detrahens defuncto 492. quid de detractionem audientibus 497. non impedientibus 498. ad illam inducentibus 497.

Devotio quid 137. qualis ſit in monialibus recitantibus horas 141.

Diffamare ſe ipſum an liceat 291. vel metu tormentorum fateri crimen falſo impoſitum, aut non ſufficienter probatum 499 ſeq. V. *Crimen.*

Differens reſtitutionem an peccet, & ad quid teneatur 373. V. *Reſtitutio.*

Dignior an præferendus minus digno in promotionibus 368. in concurſu 372. quando poſſit prætermitti 369.

Dignus quis dicatur, quis dignior, quis indignus 366.

Diſcordia quid & quale peccatum 87.

Diſpenſatio Voti quid ſit 225. quæ hujus cauſæ 227. ejus poteſtas cui competat 225 ſeq. V. *Votum.*

Diſputare cum hæreticis an & quando liceat 40. 120. Diſputando qualiter hi convincendi ibid.

Diſſimulare quid 31. an fidem diſſimulare liceat 33. 116.

Diſtractus in oratione non præcepta an & quomodo peccet 142. in horis Canonicis quomodo peccet, & ad

ad quid teneatur 159 ſeq. V. *Attentio. Beneficiatus.*

Divinatio quid & quotuplex 175. quale peccatum 176. quomodo in confeſſione explicanda ibid. quid de divinatione ex ſomniis 177 ſeq. quid de ſortibus divinatoriis 178. aut phyſiognomia 179.

Divites an, quando & ex quibus bonis teneantur dare eleemoſynam 70 ſeq. V. *Eleemoſyna.*

Dæmones an quid donare poſſint 290.

Doloris actus quomodo practice eliciendus 29.

Dominium quid 282. quotuplex ibid. ſeq. quot ſpecies illius 283. ſeq. quomodo acquiratur per occupationem 316. ſeqq. per inventionem 323. ſeqq. jure Belli & per alluvionem 326. Mixtionem 327. Acceſſionem ibid. aut præſcriptionem 328. ſeqq. in quæ & quale dominium habeat homo, an in alium hominem 290 ſeq. an in vitam & in membra 292. 350. in quæ bona conjuges 297 ſeqq. in quæ filii-familias 300 ſeqq. in quæ Clerici 303 ſeqq. quale Religioſi 310 ſeqq. Dominii incapacitas in illis unde 312.

Dominorum obligatio erga famulos 344.

Dominus rei quotupliciter eſſe poſſit ignotus 431. hoc ignoto cui facienda reſtitutio ibid. 433.

Dos quid 297. cujus ſit ibid.

Dotalia bona quæ 297. V. *Bonorum genera.*

Dubitans in fide an ſit hæreticus 41. an infidelis 37. dubitans de damno illato, aut actione damnoſa ad quid teneatur 397.

Dubitatio temeraria quale peccatum 485 ſeq. dubia in periorem partem interpretari liceat 486.

Duellum quid 94. quotuplex ibid. an authoritate privata licitum 95. an & quando authoritate publica 97. an liceat fictum ibid. ad illud provocatus quid poſſit 96. quæ pœnæ contra duellantes 97 ſeq. contra ſpectatores 98. quid agendum confeſſario de illis, qui ſe accuſant de duello 132.

Dulia quid 138. V. *Cultus.*

E.

Eccleſia quid & quotuplex 10. quæ ejus membra ibid. ſeq. quotuplex ejus authoritas 11. an viſibilis ibid. in quibus infallibilis 12. quæ ejus notæ ibid. an habeat jus ubique prædicandi Evangelium 38. an cogere poſſit non baptizatos ad fidem ibid. an baptizatos 39.

Eleemoſyna quid 71. an, quomodo & quando obliget 70. ſeq. ex quibus bonis fieri poſſit 72. num licite acceptetur a paupere ficto ibid. 128. quanta 73. a quibus 71. quibus 75. ex quo fine danda ibid. an remittat peccata 75. an & qui teneantur inquirere pauperes, ut iis dent eleemoſynam 74. quid de Magiſtratu impediente extraneos, ne mendicent 75. in eleemoſynis dandis prodigus an peccet 128. V. *Pauperes.*

Emphyteutæ jus quodnam 287.

Euchariſticum ſacrificium quid 166. V. *Sacrificium.*

Excommunicati an membra Eccleſiæ 10. ſeq. an deobligati a recitandis horis 144. V. *Eccleſia.*

Exemplo pravo ad damnificandum alios movens an teneatur ad reſtitutionem 414. ſeq. V. *Cooperantes*, *Reſtitutio.*

Expenſæ quotuplices 404. an reddendæ poſſeſſori bonæ, vel malæ fidei 405. quantum pro iis reſtituendum ibid. num caſus fortuiti, vel damna per accidens ſecuta computentur inter expenſas ibid. ſeq. quid ſi hæ excedant pretium rei reſtituendæ 436.

Exponens prolem, ſi ſit dives, num hoſpitali teneatur reſtituere expenſas pro nutritione factas 342.

F.

Fama quid 483. qualiter reſtituenda 500 ſeq. ſi quis alium inculpabiliter infamaverit 376. infamator injuſtus ad quid teneatur 501 ſeq. obligatio reſtituendi famam an ſit perſonalis 503. quæ cauſæ ab ejus reſtitutione excuſent ibid. ſeq. ſi quis famam reparare nequeat an teneatur compenſare pecunia 504. V. *Crimen. Detractio. Diffamare.*

Famulari hæreticis an liceat 119. V. *Hæretici.*

Famuli quid teneantur præſtare heris 344. an poſſint obedire in actionibus ad peccatum ordinatis 106. an & quos fures teneantur ex juſtitia impedire 423 ſeq. 464. quid de iis, qui clam frumenta ſurripiunt, ut impinguent jumenta ſibi commiſſa 478. V. *Compenſatio.*

Feripetæ an licite occidantur 544 ſeq.

Feudale jus quodnam 287.

Fides bona ad præſcriptionem neceſſaria quæ 330.

Fides Theologica quid 5. an prima inter virtutes theologicas 4. quodnam ejus objectum 5. ejus actus ſupernaturalis quis 3. aſſenſus rudis ob authoritatem parochi, vel erroneus an ſufficiat 6. 110. an in pueris & ſimplicibus ſit talis 6 ſeq. an ad eum requiratur revelatio objecti 5. an ſufficiat exiſtimata 6.

actus fidei meritoriæ quis 7. quid requirat ibid. ſeq. unde ſupernaturalis 7. an certior ſcientifico 9. an talis circa præſentiam Chriſti in hac numero hoſtia 111. qualiter & cui neceſſarius 18. an ſufficiat in voto 19. an virtualis 22. an illius gratia inculpabiliter ſubtrahatur adulto 18. 22. quæ fidei myſteria credenda neceſſario neceſſitate medii 19 ſeq. 113. quæ neceſſitate præcepti 23. 113. fidei præceptum quotuplex 25, quotuplex ejus obligatio ibid. præceptum fidei internæ quando per ſe obliget 26. 113. quando per accidens 29. an ſemel in anno 26. fidei actus qualiter practice eliciendus 28. quænam ad illum requirantur 7. ſeq. V. *Adultus. Aſſenſus. Fidelis. Myſteria.*

Fidelis an poſſit externe negare fidem 32. 114. quot modis eam negare poſſit 30. an & quando teneatur eam externe profiteri ibid. ſeq. eam externe negans qualiter peccet 32. 114. an & quibus ſignis infidelium poſſit uti 33. an intereſſe funeri, nuptiis, concioni hæreticorum 34. num frequentare eorum cænam, cum iis cantare & orare 32. comedere carnes die vetito 33 ſeq. interrogatus de fide an teneatur profiteri 34 ſeq. 115. ſeq. num tempore perſecutionis poſſit fugere 35. an ad hoc teneatur ibid. ſeq. V. *Concio. Communicatio. Diſſimulare.*

Filius-familias quis 300. quid debeat parentibus 337. quorum bonorum ſit dominus 301 ſeq. 353. ea dilapidans an peccet 302. quomodo & quando peccet contra pietatem parentibus debitam 338. contra amorem & reverentiam ibid. ſeq. contra obedientiam 339 ſeq. aut ſubventionem debitam 340. quid de illius furtis 477 ſeq. an per hæc peccet contra pietatem 362.

Fœdus pacis quomodo obliget 92.

Fructus rei quotuplices 399 ſeq. quinam reddendæ a poſſeſſore bonæ fidei 400. aut malæ 401. induſtriales an reſtituendi 400. an mixti 402 ſeq. fructuum nomine quid intelligatur 284. V. *Poſſeſſor.*

Fur an & quando poſſit recipi 419. quando occidi 518 ſeq. ſententia negans 520.

Furtum quid 468. 533. quotuplex 469. quale peccatum 470. ejus gravitas ex quo dignoſcenda 471. quæ illius materia gravis 472. 533. quid de furtis minutis 474 ſeqq. quid de furtis filiorum 477 ſeq. ſartorum, textorum, dum retinent fragmenta materiæ datæ 479. quid ſi plures ſimul modicum quid furentur 477. quid de iis, qui contra prohibitionem furtim capiunt cervos &c. 321. in ſylva ligna colligunt 322. V. *Filius-familias.*

G.

Gabellæ ad portam civitatis an ſolvendæ 365. quid de defaudante ibid. 451 ſeq. quid de gabellarum exactoribus, ſi diſſimulent cum viatoribus 366. V. *Tributum. Vectigal.*

Gemmæ in littore maris inventæ cujus ſint 323.

Gloria quid 484.

H.

Habitatio quid 286.

Habitus fidei quomodo amittatur 37. quando ſpei 52. quando charitatis 58.

Hæreſis quid & quotuplex 40. ad eum ab eccleſia puniendam quid requiratur 42. quæ ejus pœnæ 43 ſeq. quæ ſit reſervata 117 ſeq. materialis an talis

43. formalis interna exterius non manifeſtata an talis ibid. ad ejus reſervationem an requiratur externa revelatio ibid. quis ab ea poſſit abſolvere 117 ſeq.

Hæreticus quis 41. materialis an talis 42. an hic excommunicatus 43. diſcredens uni fidei articulo an & qua fide credat reliquos 37 ſeq. 112. volens fidem amplecti qualiter inſtruendus 120 ſeq. an liceat hæreticis famulari 119. quid de eorum ſpiritu privato 13. eorum libri an legendi, retinendi, imprimendi 44. 117. an cum iis diſputandum 40. quid de relapſo in hæreſin 118. hæreticus in extremis qualiter juvandus 112. ſeq. an ſepeliendus in loco ſacro 44. hæretica, hæreſin ſapiens propoſitio quæ ibid. in fide dubius an hæreticus 117 ſeq. V. *Myſteria. Famulari. Infideles.*

Herus an teneatur ad damnum a famulo aliis illatum 421 ſeq. V. *Dominorum.*

Hiſtriones quando peccent 133. V. *Comœdiarum.*

Holocauſtum quid 166.

Homicida ad quid teneatur 521 ſeqq. quidſi occiſus ante mortem obligationem remiſerit 524. aut homicida pœnam talionis ſubierit 525.

Hominis Dominium, V. *Dominium.*

Honor quid 484. læſus quomodo reparandus 509. 540 ſeq.

Horæ canonicæ quid & quot 143. an obligatoriæ ibid. quando obligare incipiant ratione beneficii 144. ordinis ſacri 147. & profeſſionis religioſæ ibid. quomodo integre 148 ſeq. quo tempore 153. quo loco 155. qua intentione 154. qua attentione ſint recitandæ 157. num poſſint interrumpi 154. aut

ordine inverſo perſolvi ibid. an quandoque antici-pari 154. 164. quomodo verba in horis pronun-tianda 149 ſeq. quid de Lytaniis omnium Sancto-rum in die S. Marci, feriis rogationum, aut offi-cio defunctorum in die animarum 149. horas omit-tens ad quid teneatur 145 ſeq. quid de eo, qui ho-ras ſæpius omiſit ignorans obligationem reſtituendi fructus aut ad hos reſtituendos impotens 254 ſeq. aut de eo, qui dubitat, vel non meminit ſe reci-taſſe horam 149. qui occupatur miniſterio ad cho-rum pertinente, qui tuſſit ibid. quænam excuſent a recitatione horarum 162 ſeqq. quid de febricante 163. quid de eo, qui orat cum ſocio 150 ſeq. num quis quandoque teneatur hunc adhibere 163 ſeq. quis poſſit in horis diſpenſare 164. V. *Brevia-rium. Officium. Cauſæ excuſantes.*

Hoſtia ut ſacrificium quid 166. quotuplex ibid.

Hyperdulia quid 138. V. *Cultus.*

Hypotheca quid 287. quis ordo inter creditores hy-pothecarios ſervandus 438 ſeq.

I.

Idololatria quid 174. quotuplex & quale peccatum ibid. an ſubjaceat excomunicationi 175.

Ignorans Myſteria fidei quomodo peccet 23 ſeq. an abſolvendus 24 ſeq. in agone quomodo juvandus 113 ſeq. V. *Adultus.*

Illuſio quid 508.

Immolatio quid 166.

Impediens aliquem a conſecutione beneficii a quid te-neatur 539 ſeq. an conſecutione boni 371. 452 ſeq. ab ingreſſu religionis 531. V. *Reſtitutio.*

Implan-

Implantatio quomodo transferat dominum 327 ſeq.

Impotentia an excuſet a Reſtitutione. V. *Reſtitutio.*

Imprecantes quomodo peccent 86. quomodo examinandi 130. quid de parentibus ſibi mutuo, aut proli mortem imprecantibus 87.

Imprecari creaturis irrationalibus an licitum 87.

Improperium quid 508.

Incerta bona quæ 325. eorum dominus an inquirendus ibid.

Indignus quis 366. eum promovens quomodo peccet 367.

Induſtriales fructus an reſtituendi 400. V. *Fructus.*

Infamatio & *Infamia* quid 483 ſeq. V. *Detractio.*

Infamatus in uno loco an poſſit infamari in altero 492 ſeqq. V. *Crimen.*

Infidelis de veritate fidei noſtræ dubius an elicere poſſit actum fidei ſupernaturalem 10. an ad fidem 39. an ad audiendam fidei prædicationem cogi poſſit ibid. an cum eo liceat communicare 39 ſeq. diſputare privatim 40. eos in auxilium vocare vel juvare in bello 93. V. *Communicatio.*

Infidelitas quæ & quotuplex 36. quot & quæ ejus ſpecies ibid. an & quæ expellat habitum fidei 37.

Infirmitas quæ excuſet a recitatione horarum 163.

Ingreſſus Religionis an & quomodo excuſet a Reſtitutione 448 ſeqq. V. *Reſtitutio.*

Inhonorans negative an peccet 508. inhonorans poſitive ad quid teneatur 509.

Inimici an & quomodo ſint diligendi 63 ſeq. quæ charitatis ſigna illis exhibenda 64. quæ eis poſſint

negari 65. ſeq. quid de eo, qui dicit ſe quidem ignoſcere inimico, aſt injuriæ oblviſci non poſſe 68. aut de eo, qui viſo inimico memor injuriæ illatæ expalleſcit 129 ſeq. an liceat inimicum ab oratione 64. vel teſtamento excludere 126. eum non ſalutare ibid. qualiter procedendum confeſſario cum eo, qui dicit ſe non poſſe oblviſci injuriæ illatæ 68.

Injuria quid & quotuplex 67. 363. qualiter differat ab offenſa 67. an condonanda 68. injuriam quis patiatur 363. quid pro ea reſtituendum 375. V. *Reſtitutio.*

Injuſtitia quotuplex 363.

Innocens an aliquando poſſit occidi 511. V. *Judex. Occidere.*

Intentio quid, & qualis requiratur ad recitationem horarum 156 ſeq. V. *Horæ Canonicæ.*

Invaſor vitæ an licite occidatur 516 ſeq. V. *Aggreſſor.*

Inventio an & quarum rerum tribuat dominium 323 ſeq. V. *Bona Vacantia.*

Irreverentia an ſpeciale peccatum 338.

Irriſio quid 508.

Irritatio Voti quid 221 ſeq. quis poſſit vota irritare 222. 268. V. *Votum.*

Judex an condemnare poſſit innocentem, qui probatus eſt nocens 512.

Judicium temerarium quid 484. quale peccatum ibid. ſeq.

Juramentum quid 234. quotuplex 236. quando licitum 237. de re mala quomodo illicitum 238. de re indifferente 239. de utraque an validum 240 ſeq.

pro-

promiſſorium quomodo obliget 241. quas imbibat conditiones 243. quotuplex 249. quid de juramento ex errore vel dolo circa ſubſtantiam rei promiſſæ 244. ſi fiat exterius ſine animo jurandi 245 ſeq. ſi ſine animo ſe obligandi 246. obligatio juramenti an tranſeat ad hæredes 249. quomodo tollatur 250. jurandi conſuetudinem contrahens quomodo peccet 237. an & quando poſſit abſolvi 269. quid de juramentis circa ſtatuta Capituli, univerſitatis &c. 272 ſeq. an juramentum exigere liceat a pejeraturo 273.

Juridica culpa quotuplex. V. *Culpa.*

Jus quid 280 ſeq. quotuplex 281. 348.

Juſtitia quid 277 ſeq. quod ejus objectum 278. quas requirat conditiones 279. quotuplex ſit ibid. ſeq. 348. diſtributiva quomodo obliget 366 ſeq.

L.

Latreuticum Sacrificium quid 166.

Latria quid 138.

Laus quid 484.

Legens libros hæreticorum. V. *Hæreticus.*

Libamen quid 166.

Libellarii jus quid 287.

Lignantes in ſylvis an & quando, peccent 322 ſeq.

Litteras amatorias ſcribere, portare &c. an liceat 106 ſeq. literas alienas aperire, vel caſu apertas legere an liceat 506 ſeq.

Locus ſacer quot modis poſſit pollui 191 ſeq.

Lucrum filii bonis paternis negotiantis quale & cujus 302 ſeq. lucrum ceſſans quid 392.

M.

Magia quid 185. quotuplex ibid. quale peccatum ibid. unde dignoſcatur opus magicum ibid. ſeq. quibus modis tollendum 186. quid ſi dubitetur an maleficium poſſit tolli ſine novo maleficio 188. magi an & qualiter abſolvendi 188 ſeq.

Magiſtri & præceptores ad quid teneantur 344 ſeq. 361.

Maledicere proximo quale peccatum 86 ſeq. V. *Imprecantes.*

Maledictio quid 508.

Malefactores an licite occidantur 510. recipiantur 419. in judicio defendantur ibid. ſeq.

Maleficium an licite tollatur novo maleficio, quæ remedia contra maleficia, V. *Magia.*

Malum deſiderare ſibi aut alteri an liceat 85 ſeq. V. *Deſiderare.*

Mandans quis, & qualiter teneatur ad reſtitutionem 407 ſeq. quid ſi mandatum revocaverit 408.

Maritus num poſſit irritare Vota uxoris 224. quorum bonorum habeat dominium 298. quomodo peccet diſſipans bona uxori propria, aut communia ibid. quomodo peccet uxorem male habens 345 ſeq. ad quid teneatur 347.

Mater num quid poſſit in vota filiorum 224. ad quid teneatur 342 ſeq. qualiter peccet ſuis muniis ſe ſubtrahendo ibid. matri in partu periclitanti an pharmacum dare liceat 514.

Medici pauperibus opem ſuam negantes qualiter peccent 73. inexperti quomodo peccent 513.

Medicinas renuens qualiter peccet 190. V. *Occidere.*

Mercatores indifferenter fraudantes mercibus, menſura & pondere quomodo debeant reſtituere 433 ſeq.

Metallorum venæ cujus 324.

Metus an irritet votum 201 ſeq.

Miles de juſtitia belli dubitans an poſſit militare 130 ſeq. militans in bello injuſto quomodo peccet 131 quomodo in bello peccare poſſit 94.

Mixtio an transferat Dominium 327.

Moderamen inculpatæ tutelæ quando ſervetur 516.

Moniales extra chorum an obligentur ad horas 147. V. *Horæ Canonicæ.*

Mutilatio an & quando licita 296 ſeq. injurioſa ad quid obliget 522.

Mutus quando obligetur ad reſtitutionem 421.

Myſteria fidei quando ſufficienter propoſita 27. quando credenda 26. quænam neceſſario credenda & quomodo 113. diſcredens uni an amittat fidem 37. ſeq. eorum ignarus quomodo inſtruendus in extremis 113 ſeq. an pœnitens de iis examinandus 114.

N.

Neceſſaria vitæ & ſtatui quæ 69.

Neceſſarium neceſſitate medii & præcepti quodnam & quotuplex 17.

Neceſſitas proximi quotuplex 60. *Spiritualis extrema* quos & ad quid obliget 61. *extrema corporalis* quomodo 70. *Corporalis* gravis ibid. ad quid *Communis* 74. V. *Charitas. Eleemoſyna.*

Neceſſitas quæ & qualis excuſet a furto 479 ſeq.

Negare fidem. V. *Fidelis*, num neget fidem dicens ſe eſſe Religionis Evangelicæ 115 ſeq.

Notæ veræ Eccleſiæ quæ 12. V. *Eccleſia.*

Novalium decimæ ad quem pertineant 171.

Novitiorum vota an poſſint irritari 222. diſpenſari 223. an peccet ſine cauſa iis negans ſuffragium ad profeſſionem 531 ſeq. quid ſi de eorum idoneitate dubitetur 532.

Nuptiis hæreticorum intereſſe an liceat 34.

O.

Oblationes quid & cui competant 166 ſeq. num ſit obligatio illas exhibendi ibid.

Obligationes parentum, Conjugum, Filiorum. V. *Parentes. Conjux. Filius-familias.*

Obſervantiæ virtus quid 337.

Obſervantia Vana quid, quæ ejus ſpecies 180. V. *Vana obſervantia.*

Occaſionem præbere alteri ad peccatum an & quando liceat. V. *Scandalum.*

Occidere ſe ipſum an liceat 292. quid de matre parturiente, quæ permittit ſui inciſionem 293. aut de illa, quæ ad vitandum ſtuprum ſe ipſam occidit ibid. vel ſtupratorem 125. quid de eo, qui medicinas renuit 296. qui nimiis abſtinentiis vitam abbreviat ibid. qui potu mortem ſibi infert 293. qui ad evitandos dolores V. G. incendii ſe ipſum ex alta turri præcipitat, vel gladio confodit 295. alium occidens ad quid teneatur 455 ſeq 521. ſeq. ad quid obligetur hæredibus 523 ſeq. quid creditoribus 524.

Occul-

Occultum crimen revelare quibus ex cauſis liceat 495 ſeq. V. *Crimen.*

Odium quid ſit, & quotuplex 83 ſeq. quale peccatum ſi contra Deum 84. quale ſi contra proximum ibid. V. *Inimici.*

Offenſa quid 67. an remittenda 68. V. *Injuria.*

Officia quibus ſint conferenda 367 ſeq.

Officiales ex qua culpa obligentur ad reſtitutionem 382. V. *Reſtitutio.*

Officium Canonicum quale, & ex quo breviario recitandum 152. an poſſit mutari ibid. ex quibus cauſis mutari poſſit 153. qualiter recitandum 158. quid de officio B. M. V. 143. quid de eo, qui plura habet beneficia in Eccleſiis diverſa breviaria habentibus 254. V. *Horæ canonicæ. Breviarium.*

Optare ſibi aut proximo mortem aut malum an liceat. V. *Deſiderare.*

Oratio quid & quotuplex 140 ſeq. quomodo neceſſaria & quando obliget 141. quando & pro quibus orandum ibid. ſeq. quæ ad orationem requirantur 142. an eſſentialis attentio interna ibid. quid de eo, qui orationes ex voto, vel pro pœnitentia injunctas perſolvit cum ſocio 150. aut in oratione petit rem temporalem, aut malum 140. V. *Attentio. Diſtractus.*

Ordo charitatis. V. *Charitas. Neceſſitas.*

Ordo Reſtitutionis inter damnificantes 425. V. *Reſtitutio.*

Ornatus corporis an & qualis licitus 135 ſeq.

P.

Pacta inita cum infidelibus an à papa diſpenſabilia 92.

Paga-

Paganiſmus quid 36. quæ ejus ſpecies ibid. ſeq. qualiter diſtinctus a Judaismo & hæreſi 37.

Palpo quando teneatur ad reſtitutionem 418.

Papa an infallibilis 12. quando loquatur ex cathedra ibid. quorum poſſit irritare Vota 222. V. *Votum.*

Paraphernalia bona quæ 297. an eorum dominium & uſus ſpectet ad uxorem 298. V. *Bonorum genera.*

Parentes quibus præferendi in ordine charitatis 63. quid debeant filiis 341 ſeq. imprecantes prolibus quomodo peccent 87. 341. mittentes filios ad univerſitates acatholicas qualiter peccent 119. qualiter compellentes ad religionem 342. num vota filiorum poſſint irritare 223.

Parochus quo jure exigat decimas 170.

Participans quis & quotuplex 420. an & quomodo obligetur ad reſtitutionem ibid.

Pater quæ bona filii poſſit alienare 302.

Patres-familias ad quid obligentur 344.

Patria poteſtas quæ, & cui competat 300 ſeq. quomodo amittatur 301.

Pauperes qui poſſint acceptare eleemoſynam 72. V. *Eleemoſyna.*

Peculatus quid 469 ſeq.

Penſio clericalis ad quale officium obliget 143. eam habens & omittens officium B. M. V. ad quid obligetur 145.

Periculo peccati ſe exponere an liceat 60. ad peccatum inducens qualiter peccet 351 ſeq. ad quid teneatur 529.

Pharmacopola an gratis teneatur dare medicinam pauperi 73. an & quibus poſſint vendere venenum. V. *Venenum.*

Philtrum quid 185. an tollat libertatem 186. V. *Magia.*

Phyſiognomia. V. *Divinatio.*

Pia motio voluntatis ad actum fidei requiſita 8.

Pietas quid 337.

Pignus quid 287.

Piſcatio quomodo fieri poſſit illicita 320. quomodo peccet, qui piſcatur in loco, vel tempore prohibito 321. quid de eo, qui piſces ex fluvio extrahit, vel cum fluvius ob aquarum inundantiam per prata ſe diffudiſſet, piſces per prata vagatos, & defectu aquæ palpitantes capit 356 ſeq.

Plagium quid 470.

Pollutio loci ſacri. V. *Locus Sacer.*

Poſſeſſio facti quid 288. juris quid ibid. facti quotuplex ibid. quot modis acquiratur 289. & amittatur ibid. quæ ſint commoda poſſeſſionis ibid. ſeq.

Poſſeſſor bonæ fidei ad quid teneatur 388 ſeq. 396. 458. ſi rem bona fide conſumpſerit 388 ſeq. ſi bona fide a fure receperit an poſſit reſtituere furi 390. quos fructus teneatur reſtituere 400. ſeq. quas expenſas juſte exigat 405. V. *Expenſæ. Fructus.*

Poſſeſſor dubiæ fidei ad quid obligetur 331. 395. 458.

Poſſeſſor malæ fidei ad quid obligetur 401 ſeq 459. an teneatur reſtituere rem cum incremento, quod apud dominum habitura non fuiſſet 392 ſeq. 403. ſeq. quid ſi res apud dominum erat melioranda 394. quos fructus teneatur reſtituere 401. quas expenſas poſſit deducere 404.

Poſſeſſori an & quando obſit mala fides anteceſſoris 331.

Præſcriptio quid 328. an transferat Dominium in conſcientia ibid. quas conditiones requirat 329. 360. quando interrumpatur & dormiat 335. an currat, contra jus decimarum 172. V. *Decimæ.*

Præſumptio quid & quale peccatum 51. an gravius deſperatione ibid. an tollat ſpem 52.

Præſumens quis 52. quomodo juvandus 123.

Principes ſæculares an & quando infideles ſubditos ad fidem cogere poſſint 38 ſeq.

Primitiarum nomine quid intelligatur 167.

Profectitia bona quæ. V. *Bona*, quis eorum Dominus 302.

Profeſſio externa fidei quando obliget 30. ſeq. V. *Fidelis. Jurata.* quos & quando & ſub qua pœna obliget 36.

Profeſſio religioſa filii ob minas patris emiſſa num valida 202. V. *Votum.*

Propitiatorium ſacrificium quid 166. V. *Sacrificium.*

Propoſitionum erronearum cenſuræ theologicæ 44.

Proximus noſter quis 54. quomodo diligendus 58. V. *Charitas. Eleemoſyna. Neceſſitas.* proximum amare quid 53 ſeq.

Publicum quotuplex 493. crimen publicum an & ubi poſſit manifeſtari ibid.

Pueris quando fides cenſeatur ſufficienter propoſita 27.

Pulvis ſympateticus num ſuperſtitioſus 182.

Q.

Quaſi-caſtrenſia bona quæ 301, penes quem eorum Dominium ibid. V. *Bona. Dominium.*

R.

Rabioſos an liceat ſuffocare 513.

Rapina quomodo differat a furto 470.

Recipiens quando teneatur ad reſtitutionem 418.

Reconciliatio quid ſit, quæ & a quo quærenda 67.

Recurſum dans quis dicatur 418. quando ad reſtitutionem teneatur ibid. ſeq.

Regula fidei quotuplex 13. ſacra ſcriptura an talis ibid. V. *Scriptura.*

Regulares mendicantes an poſſint diſpenſare in votis 226. 268. an illa commutare 231.

Religio Virtus quid 137, num virtus theologica 3. quod ejus objectum 137. quotuplex ejus actus ibid.

Religionis ingreſſus num ob contradictionem parentum differendus 133 ſeq. excluſus a Religione, quam vovit clericus, an teneatur ad eam qua laicus 266 ſeq. debitis gravatus an eam licite ingrediatur 448 ſeq. an valide profiteatur 450.

Religioſi quæ delicta Viſitatori poſſint aperire 83. quas cautelas debeant adhibere in accuſando 81. quale eorum dominium 355. an dominii in particulari capaces 311. ſeq. quid de eo, qui hæreditatem delatam aut donationem repudiat, item volenti monaſterium inſtituere hæredem, id diſſuadet 315. 356. contra Votum paupertatis quomodo peccet 312 ſeq. qua indigeat licentia ad quid expendendum 313. V. *Dominium.*

Reliquiæ Chriſti & Sanctorum quæ 139. quo cultu colendæ 138. ſeq. V. *Cultus.* an exponendæ 250 ſeq.

Repreſſaliæ in quantum licitæ 93,

Reſo-

Reſolutivum ultimum fidei 16.

Reſtitutio quid 370. quomodo neceſſaria 372. an ſubin obligatoria ſine culpa 381. qualiter diſtincta a ſolutione 375. ejus radices 374. ex qua culpa ad eam obligetur damnificans 376. 379. eam differens an abſolvendus 373. officiales an obligentur ex culpa levi 382. an hi ex culpa lata 383. ex qua culpa in contractu oriatur obligatio reſtitutionis 385 ſeq. 457. quid de re ſuæ cuſtodiæ commiſſa 387 ſeq. an hæc præferenda tuis pariter perituris ibid. quis reſtitutionis ordo inter damnificantes ſervandus 425. cui facienda reſtitutio 429 ſeq. quo tempore 434. quo loco 435. cujus periculo 436 ſeq. 466. quo ordine inter creditores ſervato 437 ſeq. 467. reſtitutionem differens an teneatur ad damna inde orta 444. quid de bonis & debitis incertis 431 ſeq. an & quomodo a reſtitutione excuſet impotentia 440 ſeq. an & quomodo condonatio, compenſatio, ceſſio fori, compoſitio cum Pontifice 445 ſeq. ingreſſus Religionis 448. 450. quomodo fama ſit reſtituenda 509. quid reſtituendum ratione homicidii aut mutilationis 521 ſeq. quid ratione ſtupri 526. aut adulterii ibid. ſeq. quid ratione injuriarum in bonis ſpiritualibus 528 ſeq. quid reſtituendum ab illo, qui aliquem impedit a Religione ingredienda 530 ſeq. vel profeſſum retrahit 531. quid agendum cum moribundo reſtitutioni obnoxio 466. V. *Cooperantes. Poſſeſſor.*

Reſtitutio rei in integrum quid ſit, & quibus concedatur 336.

Reſtrictio mentalis quid & quotuplex 247. quæ ſit illicita ibid. quæ & quando licita reo 248.

Reus an redire teneatur, ſi id jurato promiſerit 272.

Rixa quid, & quale peccatum 88.

S.

Sacellani caſtrenſes an poſſint participare ſpolia 92.

Sacrificium quid & quotuplex 165 ſeq. quodnam in lege nova 166.

Sacrilegium quid & quale peccatum 191. quotuplex & quot modis committatur ibid. ſeq. non mundare vaſa ſacra an tale 261 ſeq. eripere ſacerdoti breviarium 262 ſeq.

Sagæ an licite repercutiantur 187. ad quid ante abſolutionem adſtringendæ 188. quid de modo probandi ſagas dum in aquam projiciuntur 179. an acquirant dominium peccuniæ a dœmone acceptæ 290.

Sancti quo cultu colendi, num invocandi 139. quid de eorum reliquiis 138 ſeq. quid de eo, qui cum fama ſanctitatis obiit 139.

Sanguinis humani transplantatio an licita 183. ſanguis an equis mittendus in feſto S. Stephani ibid.

Sanitatem lædens per potum an peccet 293. per inordinatas abſtinentias 296.

Sartores an fragmenta retinere poſſint 479. ad quid teneantur opus promiſſum tempore fixo non conficientes 270.

Scandalum quid 99. quotuplex 100. an & quando ſit peccatum ſpeciale ibid. ſeq. quid de turpia loquentibus, Hiſtrionibus &c. 102. 133. quid de muliere advertente ſe turpitet amari 104. quæ actiones omittendæ ad evitandum ſcandalum 103. 105. quid de eo, qui præbet alteri occaſionem furti, ut depræhenſus emendetur 109. potum an dare liceat ſe inebriaturis 134.

Scandaloſa propoſitio quæ 44.

Schiſma quid 88.

Schiſmatici qui, & an membra eccleſiæ 10 ſeq. V. *Eccleſia.*

Scriptura ſacra an regula fidei infallibilis 13. an ſe ſola ſufficiens ibid.

Secretum quotuplex 505. revelans illud an & quomodo peccet ibid. 541. quid de eo, qui per fraudem alterius ſecreta expiſcatur 506.

Seditio quid & quale peccatum 88.

Servitus quid 286 ſeq. quotuplex ibid. an & quomodo præſcribatur 332. quot annis præſcribatur 335. per quid acquiratur 292.

Signa dilectionis quot 64. quæ inimicis exhibenda, quæ negari poſſint. V. *Inimici.* num ſpecialia ſubin exhibenda inimicis 66.

Signa proteſtativa ſectæ quæ. V. *Simulare.*

Signa veræ Eccleſiæ. V. *Eccleſia.*

Signis, nomine, aut veſtibus infidelium an uti liceat 116 ſeq. V. *Diſſimulare.*

Simulare quid ſit 31. falſam Religionem an liceat 33.

Simulatio quotuplex 31.

Solemnitas voti in quo conſiſtat 204. V. *Votum.*

Somniorum genus quotuplex 177. quid de conjectura ex ſomniis, & unde colligatur ſomnium eſſe a Deo vel dæmone 178.

Sortilegium quid & an licitum 178.

Specificatione quando acquiratur Dominium 326.

Sperare quid ſit 45. 121 ſeq.

Spes theologica quid ſit 45 ſeq. ejus objectum *materiale* 46. *formale* ibid. quomodo neceſſaria 47. quomodo practice elicienda 28. præceptum ſpei quotu-

plex 48. quando obliget ibid. 122. contra eam qualiter peccetur 51. 123. per quid tollatur 52.

Stratagemata an licita 92.

Studioſus ſtudia negligens qualiter peccet, & quomodo examinandus 361 ſeq.

Stuprator ad quid teneatur 526. num poſſit occidi 125. V. *Reſtitutio.*

Subditi an quandoque teneantur corrigere ſuperiorem 79 ſeq.

Subſannatio quid 508.

Superficiei jus quod 287.

Superflua ſtatui quæ 69. ſuperfluorum an habeant clerici dominium 354. V. *Beneficiatus.*

Superior an cuique permittere poſſit libertatem fidei 38. an & cui delicta ſubditorum poſſit aperire 81 ſeq. ſuperior ad quid teneatur ſubditis 344.

Superſtitio quid 173. quale peccatum ibid. quot modis committatur ibid. ſeq. quid dicendum de imaginibus aſtronomicis &c. 181. de Reliquiis, Verbis ſacris & ſcripturæ &c. ibid. ſeq. quid de virga divinatoria, circumductione equorum circa templum 182 ſeq. quid de ceremoniis ad S. Hubertum 183. quid in dubio an hæc vel illa res habeat naturalem connexionem 184. quomodo examinandus de ſuperſtitione ſe accuſans ibid.

Suſpicio temeraria quale peccatum 485 ſeq.

Suſurratio quid 87. quale peccatum ibid.

Suſurro ad quid teneatur 88.

Sylvarum prohibitio. V. *Lignantes.*

Symbolum quid 14. quotuplex ibid. Apoſtolicum quomodo ſciendum & credendum 23 ſeq. qui ejus articuli

ticuli 15 ſeq. unum illorum culpabiliter ignorans qualiter peccet 23. an ſufficiat eos ſcire memoriter absque intelligentia ibid. ſeq.

T.

Tempus in ordine ad præſcribendum quotuplex 334. quale ad præſcribendum requiratur ibid. V. *Præſcriptio.*

Tentatio Dei quid & quotuplex 189. quale peccatum ibid. ſeq. quid de eo, qui absque cauſa offert ſe Martyrio 190. aut ad faciendum miraculum in confirmationem fidei ibid. 261 ſeq.

Teſtis an poſſit uti reſtrictione mentali, ſi adſit ſemiplena probatio 248. non manifeſtans veritatem an teneatur ad reſtitutionem 424 ſeq. 453 ſeq. falſum deponens ad quid obligetur 454. V. *Reſtitutio.*

Theſaurus quid 324. ſi inveniatur cujus ſit ibid. aurei veſtibus inſuti an talis 357 ſeq.

Timor quotuplex 48 ſeq. an præceptus 49.

Titulus Dominii acquirendi quid & quotuplex 333. qualis requiratur ad præſcriptionem ibid.

Traditio quid & quotuplex 13 ſeq. an regula fidei 14.

Tributum quid 363. hoc ut ſit juſtum quas conditiones requirat 364. an & quomodo obliget ibid. ſine cauſa imponens an peccet ibid. quid ſi non ſatis conſtet de ejus juſtitia 365. an iis teneantur peregrini 364. an pauperes 365. V. *Gabellæ.*

Tutor ad quid obligetur 343 ſeq.

Typographi hæretici filius converſus num manere poſſit apud patrem 136.

Tyrannus an poſſit occidi 511.

V. U.

Vacantia bona quæ 323. cujus fiant ibid. V. *Bona.*

Vana obſervantia quid & quale peccatum 180. unde colligatur vanitas obſervantiæ 183 ſeq. quid ſi dubitetur 184. quid de eo, qui ſub luſu, ut feliciter ludat, mutat locum, die veneris non vult reſecare ungues, pillulos non ſumit, niſi cum numero impari 260 ſeq. V. *Superſtitio.*

Vectigal. V. *Tributum. Gabellæ.*

Venæ metallorum in agro latentes ad quem pertineant 324. qui ſcit eas latere an poſſit agrum communi pretio emere ibid. ſeq.

Venatio quomodo fieri poſſit illicita 320. an a principe aut republica poſſit prohiberi ibid. ſeq. 356 ſeq. quid de damnis, quæ feræ, ob prohibitionem venationis multiplicatæ, inferunt 321. quid de eo, qui contra prohibitionem venatur ibid. quid ſi unus feram lethaliter vulneraverit, alter cœperit 318. venatu feras ſibi retinens an peccet 356. ſeq.

Veneficium quid 185. quid de ea, quæ dum e lacte nequit extrudere Butyrum, lac ſuperimponit igni &c. 259 ſeq. V. *Magia.*

Venenum an & quibus poſſit a pharmacopola vendi 108.

Verbis ſacræ Scripturæ abutens ad profana & turpia quomodo peccet 261.

Veſtibus infidelium an uti liceat fideli 116 ſeq. V. *Signa.*

Vindictæ appetitus num ſemper illicitus 127 ſeq.

Virga divinatoria an ſuperſtitioſa 182 ſeq.

Virtus quid & quotuplex 1 ſeq. quæ Theologica, quæ Moralis 2. virtutes ſupernaturales unde ibid. Virtutes

tutes Theologicæ quot ibid. an dentur theologicæ naturales 3.

Viſitator quæ delicta poſſit inquirere 83.

Vita propria an exponi poſſit pro vita alterius 62.

Votum quid 198. quotuplex 203. votum ex metu an obliget 201 ſeq. invalidum an per ratificationem revalidetur 203. alienum an obliget 209. ut ſub mortali obliget quas conditiones requirat 211. an poſſit impleri per alium 215. an tranſeat ad hæredes 216. quo tempore implendum 217 ſeq. ejus materia an coaleſcat 214. id differens an peccet 218.

Votum conditionatum qualiter obliget 219 ſeq.

Votum pœnale num obliget 220 ſeq. quot modis ceſſet 221 ſeq. a quo poſſit irritari 222 ſeq. commutari 230 ſeq. quomodo in praxi commutandum 232 ſeq.

Votum reſervatum quid & quotuplex 204. ut ſit reſervatum quænam requirantur 227 ſeq. an & quando Epiſcopus in reſervatis poſſit diſpenſare 229. a quo reſervatum poſſit commutari 233. Materia voti qualis eſſe debeat 205. quid ſi votum ſit de re indifferente aut mala ibid. aut ſi de re bona ex intentione conſequendi a Deo rem malam vel ad agendas gratias pro re mala ibid. ſi ſit ex motivo indifferente 206. quid de voto ineundi matrimonium cum paupere aut nunquam vovendi in conſulto confeſſario 207 ſeq. quid de voto perpetuo peregrinandi, non jejunandi, non ſuſcipiendi Epiſcopatum, nunquam petendi diſpenſationem 208. quid de voto nunquam vovendi 207 ſeq. quid de voto vitandi omnia venialia 209. & omne verbum otioſum, omnes diſtractiones 264 ſeq. quid ſi ſit de materia partim poſſibili, partim impoſſibili 209.

Uſurarius quis 284.

Uſus ſpecies Dominii utilis quid 283 ſeq.

Uſus-fructus quid 283. quamdiu duret 286. an cum Religioſo tranſeat ad monaſterium 286.

Uſufructuarius quis 284. quandonam acquirat dominium fructuum ibid. ſeq. ad quas teneatur expenſas ibid.

Uti re quis dicatur, quis frui 284.

Uxor an & quando in ordine charitatis præferenda parentibus 63. quid de ea, quæ marito propter adulterium negat debitum 127. quæ ejus bona 297 ſeq quorum retineat dominium ibid. 352. an ex bonis communibus facere poſſit donationes 299. an ex iis ſuccurrere conſanguineis ibid. an de iis teſtari 352. V. *Conjux. Imprecantes.*

Z.

Zelotypia quid & quale peccatum 345.

Acc 3222
240
S17
Sassenich, P. Dionis
AUTHOR
Theologia Moralis
TITLE